THESAVRI

PRINCIPVM HAC ÆTATE IN EVROPA VIVENTIVM PARALIPOMENA.

QVIBVS

BAVARICA, TVRCICA, ANGLICA, Belgica, & Bohemica Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, aliorumque Europæ procerum atque heroum

STEMMATA CONTINENTVR.

PER

MICHAELEM EYTZINGER AVSTRIACVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Godefridum Kempensen.
Anno cIↃ. IↃ. XCII.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13998

PHILIPPI II. REGIS HISPANIARVM CONSILIARIIS ORDINARIIS, DVOBVS FRATRIBVS, GODEFRIDO à Mœsenbroucq, in Consilio Prouinciali Hollandiæ & Zelandiæ: necnon HERMANNO à Mœsenbroucq, in Consilio Ordinario Prouinciali Frisiæ, Iuris vtriusque Doctoribus excellentissimis,

MICHAEL EYZINGER, Austriacus S. D. P.

CONSCRIPSI ante paucos menses, Viri præstantissimi, THESAVRVM PRINCIPVM hac ætate in Europa viuētium, atq; id quidem eas ob consilij mei rationes, quas tum temporis adduxeram, quasq; non parum momenti apud lectores habituras esse mihi planè initio persuaseram: expertusq; postea comperi, quanto cum animo conatum meum approbauerint.

Hunc Thesaurum Nobili ac præstanti viro

viro IOHANNI à DRENCKVVART, Domino in Dormal, potentissimi eiusdem Hispaniarum Regis PHILIPPI II. Thesaurario annonæq; maritimæ Quæstori fide ac pietate insigni consobrino vestro nuncupaui, atque ob id inter cætera inscripsi, quod velut alterum Mecœnatem ac Patronum erga literarum, Historiarumque studiosos eum animaduerterim candidissimum.

Res autem in editione Thesauri huius sic fœliciter accidit, vt quamprimùm exemplaria vndique distracta Typographo materiam & occasionem subministrauerint, hunc eundem reuocandi denuò sub incudem. At ne vitia, quæ inter imprimendum incuria fortè irrepserunt, minus correcta manerēt, quædam emendaui, multisque in locis plurima Principum Stemmata superaddidi, quæ in editione priore non habebantur.

Ingenuè sanè fateor, te Godefridum non contēnendas quasdā Genealogias liberaliter mihi cōmunicasse, quibus inter cæteras Europam, in formam virginis Tauro insidētis, à me præparatam illustrarem; restabant tamen adhuc Stemmata, quæ nec secūda quidem

dem Thesauri Principum editio trium partium continebat. In quartam igitur hanc partem PARALIPOMENON titulo insignitam huiusmodi stemmata conieci, vt nullus in virginis imagine locus supersit, quin suam habeat applicatam Genealogiam.

Supererat duntaxat, vt, absoluta hac etiam quarta parte, de viris pietate, doctrina, vita, ac rerum experientia præditis mihi prospicerem, quorum patrocinio ac tutela eandem contra liuidos obtrectatorum & maleuolorum morsus defendendam committerem: sed præter vos duos regios consiliarios prudentissimos, vtriusq; iuris viros præstantissimos, nemo mihi occurrit aptior, qui velit hoc & possit etiam præstare.

Tanta verò quartæ huius partis PARALIPOMENON, cum tribus prioribus Thesauri partibus est connexio & affinitas, vt quando, quæ vobis intercedit cum nobilissimo Domino Drenckvuart, cui priores partes dicaui, cōsanguinitatis rationem considero, vos q; ex eadem ipsa nobili familia procreatos animaduerto, vtpote quorum mater Adriana honestissima soror fuerat Patris Domini Drenckvuart, Thesaurarij

regis dignissimi, Ego etiamsi vellem, nō possem tamen alijs hanc cæteris tribus tam cognatā partem rectius quā vobis inscribere, nisi eos ab inuicem separare instituerē, quos natura & sanguis ipse connectit.

Verùm & has quoq; dedicandi (si placet) causas accipite: principiò, quod præter Bauaricas, Turcicas, Anglicas & Bohemicas, præcipuarum etiam Illustrium Belgij familiarum Genealogiæ hac in Paralipomenon parte describuntur, quæ non nisi Belgis, quales & vos esse Catholico Regi fidelissimos norunt omnes. Deinde, quod in eadem hac parte, præter historias etiam iura allegantur, ad triplicem progenitorum differentiam relata, de quibus nemo melius iudicare potest quàm vos, ad quos huiusmodi tractatus tanquam viros iurium peritissimos pertinent.

Suscipite igitur qualemcunque huius laboris mei partem, ea animi promptitudine, qua consobrinus vester nobilitate præclarus, omniq; virtutum genere præstans Dominus Drenckvuart priores tres partes accepit, dū in hæc verba ad me scriberet. Libellus, vir eruditissime, de Principum hac nostra ætate viuentium Genealogijs à te mihi nuncupatus, inscriptus atq; missus, non mediocre gaudium mihi attulit, vt qui sanè non solum lect-

lectu dignus sit, verumetiam vt à quibus suis praeclaris viris continua lectione cõteratur. Is profectò tantam penes me authoritatem adeptus est, quod non instar monitorij tantùm, vt petis, eum, sed tanquam eximiæ tuæ eruditionis quoddam exemplar retineam. Sic & vos quæso hanc quartam prioribus tribus adiectam partem retinete, meq;, quod facitis, amare pergite. Datum Bonnæ inter crepantium bombardarum Vulcani tonitrua, die 8. Martij. Anno 1592.

TABVLA I. PARTICVLARIS,

Stemma Boiariæ Ducum continens ante constitutum Germaniæ Imperium à Theodone I. vsque ad Theodonem vltimum, & Carolum Magnum per XIII. generationes continuatum.



Numeri qui nominibus in Stemmate seu arbore ascribuntur, significant paginas, in quibus singulæ generationes latius explicantur.

De Caroli Magni abauo Childeberto pagina 2. De proauo Pipino 27. De auo C. Martello 24. De patre Pipino 27. Et de Carolo Magno 30. & 32.

TABVLA II. PARTICVLARIS,

Stemma Bauariæ Ducum in Imperio fundato à Carolo Magno vsque ad Ludouicum Ludouici Imperatoris patrem per XIII. generationes continuatum.



Videantur hæc singula latius ijsdem paginis, quas numeris ascripti nominibus denotant, hancque dispositionem tabulæ fixa interim memoria retine.

TABVLA III. PARTICVLARIS,

Stemma Bauariæ Ducum post Germaniæ Imperium ad Austriæ Principes Sereniſsimos delatum, per XI. generationes continuatum.



Numeri nominibus aſcripti paginas libri Paralipomenon denotant hîc, vt in præcedentibus duabus tabulis, ex quibus in librum ingreditur.

TABVLA IV. PARTICVLARIS,

Genealogię Regum Bohemiæ à Rudolpho I. vsque ad Rudolphum 2. Imperatorem, per XI. generationes continuatæ.



Singularum generationum latior explicatio quæratur in paginis, quas numeri nominibus aſcripti denotant, inde enim vxores & mariti petuntur, ob anguſtiam tabulæ hic omiſſi.

IN-

INDEX GENERALIS EORVM, QVAE IN HOC PARALIPOMENON libello continentur, ad tres Thesauri Principum hac ætate viuentium partes singillatim referenda.

Ad primam partem Thesauri.

GEnealogia Bauariæ siue Boiariæ Ducum à Theodone primo, vsq; ad Theodonem vltimum, & Carolum Magnum per XIII. generationes continuata. pagina 1.

Genealogiæ Bauariæ Ducum à Carolo Magno, vsq; ad Ludouicum per XIII. quoque generationes continuata pag. 32.

Genealogia Bauariæ Ducum à Ludouico Ludouici Imperatoris patre vsque ad Ernestum Principem Electorem Imperij, per XI. generationes continuata 123.

Genealogia Turcarum ab Ottomanno primo per XII. generationes continuata, vsque ad Amurathem 3. adhuc Imperantẽ 140.

Ad

Ad secundam partem Thesauri.

Genealogia Elizabethæ reginæ Angliæ 245.
Genealogiæ decem Illustrium Principum Belgij 346.
Norvuegiæ & Suediæ cum Anglia & Belgio collatio 385.
Genealogiæ Regum Bohemiæ à Rudolpho 1. Imperatore vsq; ad Rudolphum 2. 409.

Ad tertiam partem Thesauri.

De progenitorum differentia 467.
De progenitoribus legitimis 470.
De progenitoribus illegitimis 471.
De progenitoribus Naturalibus 504.
Naturales in quibus ab Illegitimis differāt respectu literarum S.V.M. 504.
Naturales in quibus cum legitimis conueniant respectu literarum N.C.I.A. 509.
Mysticæ Iosephi Genealogiæ in Thesauro Principum XXXVI. tabulis annexæ latior explicatio. 528.

PRI-

GENERALIS

INDEX ALPHABETICVS,

QVO MEDIANTE, QVIS EX Thesauro Principum æquè, atque ex Paralipomenis in Europæ chartam ingredi possit, & videre, vbinam locorum ij resederint, quorum Genealogias hactenus descripsimus.

AVSTRIA 9.h.1.9.30.42.
Anglia 12.g.245.d.250.
Bauaria 10.g.1.2.20.32.86.123.
Bourbon 10.h.110.190.
Bohemia 10.h.402.
Burgundia 10.f.113.
Badena Mar. 10.f.143.
Brandenburg 11.h.155.204.208.212.214.
Brunsvuig 11.g.159.216.281.220.248.

Brus-

Bruſsia 11.k. 162.232.256.
Belgium 11.f.346.
Dania 12.h.131.192.
Ferraria 9.g.221.224.
Florentia 8.g.122.
Gallia 10.11.e.186.188.
Græcia Conſt. 6.l.167.
Hiſpania 10.b.99.
Holſatia 12.k.246.
Luſitania 10.a.102.
Lotharingia 11.f.116.
Ligniz duc. 10.k.206.
Lucenburg 15.h.155.204.208.212.214.
Mantua 9.g.125.226
Megapol 11.k.194.230.
Mansfelt 15.h.242.
Nauarræ Borb. 10.e.110.190.
Norvuegia 15.k.385.
Portugallia 10.a.102.
Palatinatus Rheni 10.11.g.177.
Polonia 10.k.180.

Pomerania 12.k.126.
Sabaudia 9.f.120.222.
Scotia 14.f.127.
Saxonia 15.h.136.140.196.198.200.202.
210.
Sueuia 10.g.169.
Sleſvuig 12.h.234.
Svuedia 13.l.385.
Turcia 67 g.140.144.153.

Sed hęc omnia latius explicata ſunt in Topographica atq; Hiſtorica Auſtri Reginæ deſcriptione Theſauro quoque Principum atque Paralipomenis, de quibus hactenus, accommodata.

PRI-

PRIMÆ PARTIS THESAVRI PRINCIPVM *hac ætate in Europa viuentium, Paralipomena.*

Anno Christi

DE GENEALOGIA DVCVM BAVARIÆ ante institutum Imperium, Generationes XIII.

REFERT Polybius libro 2. eius historiæ, Regem Aneroestum, vel (vt gẽtilitio Teutonicorum more pronũciamus) Arnestum siue Ernestum præfecturæ Boiorum (sic enim Bauari tum appellabantur) institisse, Italiæque fines adeò exercuisse, vt Romani aduersus eosdem mittere cogerẽtur L. Aemilium & C. Attilium, qui Ernestum regem Bauariæ & suos ab Italiæ finibus arcerent, inque Boiariam suam redire compellerent. A quo quidem Ernesto Rege Genealogiam Bauaricam, inde à temporibus Iulij Cæsaris, vsq; ad ætatem nostram, & Ernestum Imperij Principẽ Electorem, Bauariæ Ducem, etiamnum adhuc viuentem, deducere quidem proposueram: verùm prætermissis, quem dixi Arnesto, & qui hunc postea sequuntur, Voccione, Cretosyro, Pynuete, Beaumundo, Ingranico, Maricco, Theodoneillo, qui imperante M.

Anno Christi

Antonio anno Christi 180. Boios in Vindelicia & Norico gubernauit; Adegero, Ládeberto, Heriberto, Hildomũdo, Cariouisto, Gibolpho, Vidomaro, Hunibolpho & Adelgero, ab illo Theodone primo Genealogiã antiquorum Boiorum per tredecim generationes continuabimus, vsq; ad Theodonem vltimum, & Carolum Magnum Imperatorem, ita vt sequitur.

i. THEODO i.

Theodo hic filius Aldegerionis (qui vnà cum Alemannis aduersus Francos profectus ad Tolbiacum vicũ Vbiorum, hodie Zulp, contra Lytauicum Francorum regem eius nominis primũ pugnauit) postquam eidem regi fidelem aduersus Burgundiones, eorũque reges, Gotogeselũ, atq; Gunebaldum, Vthogottorum q; regem Alaricum in Aquitania tenentem nauasset operam: adhortatus & adiutus à Franco, primus Vindeliciam, atque Norici partem à Romanorum Imperio adseruit, cum quibus sæpe victor congressus commemoratur gentilitijs annalibus. Primu, vbi est Sigenburgum, infra Abusinam: Secundò in der lacher hayd: Tertiò in Norico ripensi, ad Maticham flumen, supra Salisburgum: Quartò super Inutriũ, siue Mitternvvard, inter Oenum vel Athesim amnes: Quintò deniq; ad Sterczingam in Alpi-

in Alpibus super Athesim. Quibus omnibus locis victoria potitos Boios traduxit ex Germania magna in Vindeliciam atque Noricũ, superatis fluminibus, Altmilla, Danubio, Oenoq;. Sicq; gens Noricorũ prius expulsa, reuertitur ad sedes proprias, cum eorũ Duce Theodone: Latinis inde & Romanis eiectis. Anno Christi

Quinetiam egressi Germani Nortgoiam & Bohemiam, irruerunt in Romanum Imperium. Factus est autem Theodoricus Veronensis præfectus & vicarius Romani Imperij, vulgò Dietrich von Bern: hic posteris annis instaurauit Roman. exercitum, antea à Theodone prostratum iuxta Danubium, missis à Sauo fluuio ducibus militaribus ad superiora Danubij loca, vsq; ad Licum, & lacum Podamicum, sed denuò prosternitur à Theodone 2. filio huius Theodonis 1. quẽ ei peperit vxor Reginoberga, quæ Augustæ Tiberij vetus ac Romanum nomen in Reginoburgum mutauit, hodie Ratisbonam latinè, germanicè verò Regenspurg appellamus. 489.

ij. THEODO 2.

Theodo 2. primi filius, patri in gubernaculo Boiarici regni succesit. Hic mortuo patre strauit rursum Romanos apud Enum fluuium, qui locus vsque hodie vocatur Mortfeldt. Septies cum exercitu Im-

Anno Christi peratoris & eius prę̃side Theoderico, quem antea dixi, Veronẽsi conflixit, Romanosq; ex Germania repellens, in Italiam Potzen vsque fugiẽtes insecutus est. Territus Theodoricus Veronensis muro cinxit Tridentũ contra hostẽ, verùm id nihil eidem profuit, Theodo enim hic 2. cum Bauaris suis omnia subuertit, qui rediẽs, Ratisbonæ resedit. FRATRES huius fuerunt, 1. Vto, qui Noricum erat in diuisione sortitus, & pontes Oeni Romanorum restaurauit, à se Vtinum denominans, quam modò Ottingam siue Odingam vocamus. 2. Theobaldus alter frater, qui Athesinam prouinciam possederat. Vto ille dux anno gubernationis suæ octauo obijt. Theodo frater VVitigiso Ostrogottorum regi in Italiam aduersus Iustinianum Cæsarem, eiusq; duces Bellisarum ac Narsetem fida misit auxilia, obijt autẽ Theo
537. do anno Christi 537. postquam tres filios post se reliquisset, inter quos erat Theodobertus, rectam vsq; ad Theodonẽ vltimum lineam continuans.

iij. THEODOBERTVS.

THEODOBERTVS Theodonis 2. filius, patri in ditione succedit, cuius fratres, quòd limiti Boiorũ orientali præessent, haud procul ab Aniso flumine cum Hunnis congressi, bello superantur ac capiuntur, sed redempti à Cacano Hunorum rege, bellum redintegra-

tegrarunt, Hunnosq; profligarunt, Cacano comprehenso. Fuerunt autem fratres huius Theodoberti Thedo & Theobaldus siue Diebolt. Ille, scilicet 1. Thedo, fratre Theodoberto extincto, ex limitis orientalis præfectura Boiariæ gubernacula inijt, obijt, & sepelitur Salisburgi, relicto filio Theodoberto, auum Theodobertum nomine repręsentans. huic 2. Theobaldus, de quo supra, alter Theodoberti frater, eiusque filius Tassilo ditionem in Norico designarunt. Successit autem Tassilo patri Theobaldo, quem alij Theovvaldã vocant, in gubernaculis ditionis Boiorum: duo infœliciter bella gessit, alterum coactus aduersus Sclauos in Agunto, qui Carnorum prouinciam occuparant: alterum verò, in auxilium profectus Sigeberto regi Austrasiæ contra Hilpericum regem Franciæ, in quo, licet quidam scribant & Sigebertum & Tassilonem occubuisse, multi tamen sunt, qui neutrum occisum tradunt, sed Tassilonẽ apud Hildebertũ regẽ exulasse, cuius postremò opibus fuisset in dignitatem regni restitutus, Garibaldo pulso. Regis quoque Sigeberti filium ijdem referunt Brunehildis abauiæ insidijs profligatum, à patre per insidias occiso, exulatum abiuisse in Germaniam ad Gundobaldum, aliâs Grimoaldum Principem orientalium Francorum, nepotem suum, & filiũ

Anno Christi 565.

Anno Christi

Pipini Herstalli Crasi, de quo quidem Sigeberto supra diximus, sub Theodoberto Childeberti filio XVI generatione Genealogiæ Principũ Austriæ. Genuit autẽ Theodobertus Theodonis 2. filius Garibaldum.

iiij. GARIBALDVS.

GARIBALDVS filius Theodoberti, Theodonis 3. de quo supra dixi, nepos, Tassiloni extincto, succedit. Et primus ignauia regũ Francorũ regium titulum vsurpauit, quẽ vt genti suę confirmaret, Theodolindã filiã Vthario regi Lõgobardorum in matrimoniũ dedit, quẽ & ad fidem Christi conuertit. Altera Euyno Duci Tridẽtino locata: progenuit ex Gela filia Singulphi Ducis Foroiuliani, sorore Appę Sueuiæ principis Theodonẽ, de quo infra dicemus. Gessit bellũ cũ Sclauis Venetis, à quibus superatus acie, eos repetito prælio vicit in Agunto, vbi modò Gurcensis præpositura est. Vocant hunc Dietberti, siue Theodoberti filium alij Gerboldũ, qui excluso Tassilone, vendicauit sibi totam Bauariæ ditionem, habuitq; Curiam suam Ratisbonæ. Dux verò Tassilo confugiens ad Chilpericum regẽ Francię, qui illi sanguine erat iunctus, implorauit eius auxilium, inuenitque idipsum: nam an Christ. 590. Chilpericus mouens exercitum in Bauariam, expulit Gerboldũ & filium eius Gunholdũ, atq; filiam Theodolindam, qui venientes in Italiam,

590.

liam, illic manserunt, inquit Munsterus, qui putat Gerboldū, siue Garibaldū hunc filiū fuisse Tassilonis, qui obijt anno Christi 598. cùm tamen idem Garibaldus Theodoberti filius fuerit, qui genuit Theodonem 4. Anno Christi 598.

v. THEODO 4.

THEODO Garibaldi filius patri in regnū Boiorum succedit. Fratrem habuit Grymoaldum, & sorores duas, quarum vna fuit Theodolinda, quæ regi Vthario Longobardorum nupsit. Fuit aūt frater Grymoaldus Dux Beneuentanus, vnde multi Longobardorū reges processere. Theodobertū 3. Boiariæ Principē, & Tassilonem 2. limitis orientalis in Norico ripensi præfectum. Subquorum administratione docuerunt apud Laureacū Erchinofrid & Odoacer, apud Iuuauiam Vitalis & Auzologus, Reginoburgi Velophelogus & B. Haymerarius, apud Sabonam in Alpibus Rheticis in Italiam flexis, Constātius & Præconius. Genuit autem Theodo 4. Tassilonem .

vj TASSILO 2.

TASSILO Theodonis 4. filius, genuit 3. filios, Theodonē 3. Theodobertū 4. & Grymoaldū 1. Theodo in diuisione sortitus est Nariscas cum Reginoburgo, Theodobertus Noricum ripense cum Laureaco, & Grymoaldus Atheſinā Prouinciā, qui in linea recta Theodonē 6. protulit, familiāq; propagauit:

Anno Christi 650. resedit Tassilo 2. iuxta Oenum, & in comitatu Tyrolensi: frater autem eius Theobertus habuit Curiam suam Ratisbonæ: moritur Tassilo anno Christi 650. & reliquit tres filios, quos dixi. Suinboldum Munsterus loco Grymoldi posuit, cùm diceret: reliquit Tassilo 2. tres filios, Theodonem 5. Suinboldum & Theopertum, qui diuiserunt inter se totam Bauariam, Theodo resedit Ratisbonæ, & Theopertus Potzouiæ in comitatu Tyrolensi. Vnicam modò filiam reliquit Gutrudam Italiæ reginam: sed ad Grymoldum filium Thassilonis 2. in recta linea descendamus.

vij. GRYMOLDVS.

GRYMOLDVS filius Thassilonis 2. siue Grimoaldus Theodonis 5. & Theoberti 3. frater germanus circa annum salutis nostræ 690. in Boiariæ regnum fratribus succesit, Campaniæ quoque Dux cognominatus. Hic Theodonem 6. de quo paulò post dicemus, protulit, & Blutradam, quæ aliâs Plectrudis vocatur, Pipino nuptam seniori Angisi filio, maiori domus Franciæ apud Hildericum regem, qui etiam Austrasiæ Dux, vt antea dictum est, Caroli Magni proauus fuit: à quo per rectam lineam, tanquam à primo Germaniæ Imperatore, duces Bauariæ, postea per ordinem deducemus, vsq; ad Ernestum Imperij Principem Electorem. Guilielmi

Jielmi Bauariæ Ducis fratrem germanum, quod hîc tempestiuius lectorem admonere volui, priusquam Genealogiam antiquorũ illorum Bauariæ Ducum absoluam, eorum scilicet, qui ante constitutũ Germanię Imp. Boiariæ siue Bauariæ præfuerũt. Progenuit autem huius Grimoaldi frater Theodo eius nominis 5. Landobertum interfectorem S. Haymerarij Episcopi Reginoburgensis, & Vtam, quæ à Sigebotone, nobili Boiario compressa, & edocta, Sanctum Haymerariũ profitebatur impręgnationis authorẽ. Quocirca intumescente vtero, cùm flagitium appareret, Landobertus frater puellæ Episcopum è Roma redeuntem, in superiori Bauaria inter Oenum & Isaram in pago Helffendorff comprehẽsum crudeliter occidit. Cuius corpus paulò post, cùm innocentia eius innotuisset, ductum per Isaram fluuium in Danubium, atq; deinde ad Ratisbonam, & honorificè à vulgo susceptum, fuit cum magna solennitate humatum. Theodo Dux idẽ corpus deuotè suscepit, & apud dictam Ratisbonam Sãcti Haymerarij, quod adhuc supereſt, cœnobium construxit, filio ad Anares siue Hunos in Pannoniam ob tale homicidium fugiente, & filia. quæ falsò virum Dei insimulauerat, in Italiã relegata, Theodobertus Theodonis item 5. filius, ex præfecto Athesino Boiarię Dux constitutus, Lã

Anno Christi

Anno Christi

dobrandum cum Lytoberto pulsos Longobardorum Reges, diu exules in Boiaria tenuit, eos denique in regnum auitum postremò reduxit, collocata Guthrada filia Lytoberto Landobrandi filio in vxorem. Nunc ad Theodonem 6.

viij. THEODO 6.

Theodo 6. hoc nomine, Grymoldi superioris filius, Athesinam prouinciam procurabat, frater germanus Blutradæ, quam antea dixi, coniugis Pipini senioris, genuit Hugobertum, cui Noricum cum Odinga Iuuania & Batauiade signauerat: Grymoldum 2. cui Alpestrem prouinciam cum Fruxinensi, siue Frisingensi Metropoli: & Theodoné 7. cui pater Athesinam prouinciam destinauerat. Cœperat hoc tempore primùm Euangelium in Boiaria docere Sanctus Corbimanus, cui Grymoldus Dux sedem in Metropoli Fruxinensi constituerat, sic vt primus Fruxinensis Antistes numeretur Corbimanus. Verùm cùm vir Sanctus Grymoldũ, ductus zelo, sumptaque audacia, reprehendebat, quòd fratris viduam sibi coniugem contra leges assumpsisset, acriusque interdũ adhortando instabat, vt eam dimitteret. ea res mulierem eò insaniæ concitauit, vt de struendis sancto insidijs cogitaret, quas ille tamen diuino inspiratus numine præsentiens, fuga vitauit. Blutrada, de qua supra dixi,

dixi, Pipini senioris vidua, profligata ex Gallijs, in Boiariam redierat, exigens & ibi à patre Grymoaldo 2. legatam debitamq; apud Boiarios portionem, simulque Boiarios in Francos sollicitare non destinebat, in quo tumultu Grymoldus (ignoratur à quo) interficitur: post cuius necem VVilletruda vxor cum liberis aufugit in Franciam ad Carolum Martellum auum Caroli Magni. Anno Christi

Quo tempore quoque Lytobrandus Longobardorum rex, cuius vxor erat ex Boiaria oriunda, nactus occasionem, Athesinam prouinciam occupauit. Reliquit Theodo 6. circa annum Domini 708. Hugobertum filium.

ix. HVGOBERTVS.

Hvgobertvs Theodonis 6. filius ex Cliso matre progenitus, Noricum ripense in diuisione cum fratribus Theodone 7. & Grymoldo 3. sortitus, genuit Hugobertum 2. qui extinctis ante se fratribus, à Carolo Martello Caroli Magni auo, cùm ex Sueuia in Boiariã veniisset, Boiariæ totius Dux confirmatur. Cuius neptem Svvindehildam idem Carolus quoque vxorem duxit. Cæterùm Hugobertus egregiam operam contra Saracenos in Aquitania, quos Vto Aquitaniæ Dux aduersus iam dictũ Carolum Martellũ accersierat, nauauit, receptis quas Abdyramus Saracenorum rex expugnauerat, oppi-

Anno Christi

oppidis, Achymam insuper regem, qui Abdyramo successerat, comprehendit. Genuit autem Hugobertus 1. Hugobertum eiusdem nominis secundum.

x. HVGOBERTVS 2.

HVGOBERTVS 2. primi illius Hugoberti filius à Pipino Caroli Magni patre, eiusque Pipini fratre, Carolomanno victus, illis iure homagij subiectus, quod regium titulum, quem Carolomannus sibi vendicabat, vsurparet, ad Ducis dignitatem humiliatus est. Ferunt ad hunc Hugobertum veniſſe VVunifridum Anglum, à Gregorio 2. ac 3. itemque Zacharia Romanis Pontificibus Germanię reformatorem constitutum, cumque contra ordinem Ecclesiasticum plerosq; viuentes in Boiaria repressisset, contumaces atq; resistētes loco ac ordine mouit, in quo labore cōmilitantes plerosq; habuit ex Anglia & Scotia (vbi nostro hoc tempore tamē religio Catholica prorsus exulare videtur) qui auxiliante Beato Burckardo Herbipolensium primo Episcopo, vbique Saluatoris nostri Iesu Christi Ecclesiam pristino nitori restituerunt. Obijt autem Hugobertus anno Dominicæ incarnationis 73 . relicto Odilione sine Vtilone successore filio.

xj. VTILO.

VTILO Hugoberti 2. filius, educatus in aula Caroli Martelli maioris siue gubernatoris

toris omnium Franciæ populorum, cuius filiam Hiltrudem rapuerat Odilo, sororem videlicet Carolomanni & Pipini, & matrem Tassilonis postremi, postquam in Ducatu Boiariæ à socero, sororijsque confirmatus esset, longè lateque imperaret, obq; latum fidele Pipino regi auxilium aduersus Aistulphum Longobardum, Atheſinam prouinciam ad Boiarios reduxisset, Suydegero præterea Principi Alemannorum, in Nariscis iura daret, Landfridum denique ac Theodealdam Sueuorum Duces bello subiecisset, elatus animo, regium nomen arripuit, Boiarumque se regem contra Frãcorum leges ad dignitatem vocauit. Hanc iniuriam vindicaturus Pipinus, qui Hilderico regi Francorum ignauiter imperanti, eidemq; ob id ex auctorato successerat, Vtilonem bello ad obsequiũ reduxit, atq; vt regiã dignitatem abiuraret, coëgit, cõstructis aliquot munimẽtis in parte Boiarię occidentali, in meridiem inclinante, ne denuò Principes Boiorũ deficere possent: quæ vetustate in villas passim abiere, nomen tamen conditoris Pipini testantur apud posteritatem: Pipinga, Pipinhusium, Pipifrieda, Pipispachum, & Carlosperga: vbi Carolum filium, qui Magni postea nomen est consecutus, ex Berta coniuge procreauit. Anno Christi

Vtilo igitur Pipino & Carolomanno homagium

Anno Christi

magium fecit, vt annales referũt, hoc est, inuestituræ subiectionem, vnde tam Pipinus, quàm Carolomannus Boiariæ se reges nominarũt in diplomatibus passim, Ducali dũ taxat dignitate penes Odilonem siue Vtilonem consistente. Vnde scribit Vrspergensis,

744. Anno Domini 744. Carolomannus & Pipinus, iunctis copijs contra Vdilonem Ducem Boiariorum profecti sunt, prælioque commisso, exercitum eius fuderunt. Scribunt præterea Rheginò Prumiẽsis & Otto Frisingensis in suis Chronicis Anno Domini 746. Carolomannus cum Pipino fratre fecit diuisionem, & in diuisione Austriam, Boiariam, Sueuiam, & Thuringiam sortitus est. Progenuit autem Vtilo ex Hiltrude Caroli Martelli Francorũ maioris domus filia Tassilonẽ 3. eius nominis, & mortuus est anno

765. 765.

vij. TASSILO 3.

Tassilo Vtilonis filius, ex Caroli Martelli filia natus, patri succesit, & inter initia Principatus patris eiusdem exemplum secutus, Pipino Francorum se regi subiecit, ad eumque vltrò profectus, in Compendio Belgij ciuitate inuestituram accepit, fidelitatẽque tam Regi Pipino, quàm filijs eius Carolo & Carolomanno iureiurando supra corpus Sancti Dionysij promisit, vt testatur E-

757. ginhartus Anno Domini 757. & non solũ ibi, sed etiam supra corpus Sancti Martini, & San-

& Sancti Germani simili sacramento fidem prædictis dominis suis, diebus vitæ suæ seruaturum est pollicitus. Similiter & omnes Primores ac maiores natu Boiarij, qui cùm eo in præsentiam regis peruenerunt, fidem se regi & filijs eius se seruaturos, in prædictis venerabilibus locis promiserunt, vt idem Eginhartus scribit. Anno Christi

Quamdiu igitur Pipinus vixit, Tassilo regis illius obsequio obnoxius, rerú in Boiaria potitus est sine turbis, quod vel ex eo facilè liquet, nam Gripho Pipini ac Carolomãni regum Franciæ frater ob Svvandehildem Odilionis filiã, vi socero succesit, sed in ordinem redactus à fratribus, Tassiloni vero hæredi & Odilionis filio cedere coactus est: Pipinus enim cum exercitu maximo venit in Boiariam, fratremque suum Griphonem cum omnibus suis cœpit, Tassilonem in ducatum restituit.

Cùm primùm verò rebus Pipinus humanis exemptus fuisset, contemnens filij eius Caroli iuuentutem, quem à magnitudine rerum gestarum magnum postea cognominarunt, Francis cœperat obsequium detrectare Tassilo, ei omne fuit abrogatum in Boiariæ regno Imperium, non quidem statim, & eo in bello quod Carolus Magnus contra illum susceperat, sed cùm violata fide, rursus occultos dolos cõcinnasset,

& vxo-

Anno Christi

& vxorijs illecebris circumuētus, à proprijs subditis Hunnos in perniciem euocasse argueretur. Huius rei conscius sibi Tassilo, cū malè sibi à Carolo Magno metueret, Hadriani Pontificis Maximi, dum Romæ esset Carolus, intercessionem ambiuit. Salisburgensi Præsule Arno cum Abbate quodam Henrico Romam misso, Pōtifex quāto potuit instantia apud regem intercedere curauit, vt inter eos pax & concordia ex suę Apostolicæ authoritatis admonitione atque interuentione proueniret.

Rex Carolus Pontifici idem se magnopere velle respondet, simulque à legatis Tassilonis inquisiuit, quam huius pacificationis firmitatem facere debeat: qui responderunt sibi de hac re nihil esse cōmissū, nec se de hoc negocio aliud dicturos, quàm responsa regis atque Pontificis domino suo Tassiloni duci reportarent, quorum verbis Papa commotus, velut fallaces ac fraudulentos, anathematis gladio statuit feriendos, si ab olim regi Carolo promissa fide discederent, atq; ita infecto pacis negotio legati Roma in Bauariam ex Italia reuersi sunt. Reuersus etiam Carolus, vxorem suāFastradam, filiosque ac filias, & omnem comitatum, quem apud eos dimiserat, VVormatiæ inuenit.

Postea Carolus congregato ingenti exercitu atq; in tres partes diuiso, Boiariam petere

tere constituit, cumq; Pipinum filium cum Italicis copijs in Tridentinam vallem venire iussisset, orientales quoque Franci ac Saxones, vt iussi fuerãt, ad Danubium, in locũ qui Pferinga vocatur, accessissent, ipse verò Carolus cũ exercitu, quem secum duxerat, super Lechum fluuium, qui Alemannos & Boiarios dirimit, in Augustæ ciuitatis suburbano cõsedit. Inde Boiariam cum tam valida manu procul dubio petiturus, nisi Tassilo sibi & populo suo ad regem veniendo consuluisset. Anno Christi

Nam videns se vndiq; circumsessum, venit supplex, & veniã de antegestis sibi deprecatus est. Sed & Rex Carolus (sicut erat natura mitissimus) supplici ac deprecanti pepercit, acceptisq; ab eo, præter filium eius Theodone, alijs, quos ipse imperauit, 12. obsidib⁹, & populo terræ per sacramenta firmato, in Franciam reuersus est. Interim Tassilo ad tertiam defectionẽ progressus, cùm nec post illam veniam melior factus fuisset, quin Hunos in Germanię deuastationem secundò euocasset, decreuit Carolus Rex in villa Ingelheim anno 788. generalem populi sui cõ 788.
uentum fieri: Adest & Tassilo Dux, vt alij Vasalli, ad Regis præsentiam perueniẽs, vbi à Boiarijs crimine læsæ Maiestatis accusatus est.

Objciebant ei, quòd postquam filium

Anno Christi

suum obsidem regi dederat, suadente coniuge Sualiberga, quæ filia regis Longobardorum Desiderij fuit, aliasque Litoperga, vel secundum alios Lymburge vocata, & post patris exilium Francis inimicissima semper extitit in aduersitatem regis, & vt bellum contra Francos susciperet, Hunnorum gentem cõcitaret, quod verum fuisse rerum eodem anno 788. gestarum euentus probauit. Obijciebant ei & alia quàm plura dicta & facta, quæ non nisi ab inimico fieri vel proferri poterant, quorum ne vnum quidem inficiari cœpit, sed noxę conuictus, vno cum assẽsu vt Maiestatis reus capitali sententia damnatus est Tassilo, qui genuit Theodonem vltimum.

788.

xiij. THEODO vltimus.

Theodo Tassilonis filius postremus suæ stirpis Boiarię Princeps, obses à patre datus Regi Carolo, qui quidem rex, licet videret Tassilonem à proprijs subditis accusatũ, vocatumque VVormaciam à Carolo publica Principum sententia condemnatũ, à morte tamen clementia regis & consanguinitatis intuitu liberare eum curauit. Nam mutato habitu in monasterium missus est: vbi tam religiosè vixit, quàm libenter intrauit. Similiter & Theodo filius ejus detonsus, & monasticæ conuersationi mancipatus est. Otto Frisingensis libro 5. capite 29. refert, Tassilonem,

lonem, de quo dixi, cum filio, Laurisheymẽ Anno
si cœnobio haud procul à Vvormatia, quod Christi
ipse prius construxerat, inclusum fuisse. Extat autem huius Tassilonis Epitaphium in antiquo codice fundationis suæ Krembs Monasterienſis cœnobij:

Tassilo Dux primùm, post Rex, Monachus sed ad imum,
Idibus internis decesserat iste Decembris.

Ab hoc tempore Bauaria in Prouinciæ formam redacta, mansit sub regno & imperio Caroli Magni & liberorum eius. Quidã dicunt vsque ad annum Domini 876. quo tempore Ludouicus Germanię rex obijt. Alij Conradum Francum Imperatorem vltimum de genere Carolino fuisse asserũt, ego verò ostendam, Carolinam in Germania stirpem necdum defecisse, sed inde à Carolo Magno continua serie vsq; ad Ludouicum Bauarum Imperatorem, & ab hoc tandem vsq; ad Ernestum Imperij Principem Electorem, etiamnum in viuis existentem, sine interruptione perdurasse. Verùm hæc de Genealogia Ducum Bauariæ ante instirutũ Germaniæ Imperium, quam continua serie per 13. generationes à Theodone 1. ad vltimum Theodonem perduximus: nunc sequũtur aliæ 13. generationes Ducum Bauarię in Imperio Germanię à Carolo Magno constituto.

Anno Christi

DE GENEALOGIA DVCVM BAVARIAE *in Imperio Germaniæ per Generationes XIII.*

EX ijs, quæ de Bauariæ Ducibus per XIII. generationes diximus hactenus, facilè animaduertitur, Carolum Magnum, non ab antiquis illis Bauaris, licet aliâs sanguine iũctis, sed ab Austrasiæ Regibus ac Ducibus stématis sui originem repetere. Quod vt clarius eluceſcat, id per Abauum, Proauum, Auum, & Patrem eiusdem Caroli ostẽdemus, antequam XIII. itidem generationes, à Carolo Magno primo Germaniæ Imperatore vsq; ad Ludouicum Bauarum, qui ex Rudolphi primi quoque Imperatoris, sed Austriaci filia Mechtilde Ludouicum alterum Imperatorem Bauarum genuit, deducamus.

PRAEMITTVNTVR CAROLI Magni Progenitores.

i. CHILDEBERTVS.

CHILDEBERTVS abauus Caroli Magni, filius Sigisberti 1. Regis Austrasiæ, nepos Lotharij, pronepos Clodouæi 1. Christianorũ regis Galliæ, vrbis Mediomatricũ rex, frater Chilperici eius nominis 1. ægrè ferens, quod Frede-

Fredegũda vxor fratris Chilperici & Gontradæ tutelam sibi vendicarent Lotarij 2. in fantis quatuor mensium duntaxat, vi armisque impuberis regis tutelam ad se transferre tentauit, verùm (vt alibi quoque diximus) Mater regis Lotarij coacto exercitu animosè illi obuiam progreditur, primos ordines exercitus præcedens, puerum regem, quem vlnis gestabat, militibus ostendens, quæ res Francorum animos adeò accendit, vt inde victoria manasse credatur: hac victoria Fredegunda, quæ pellex Childerici, non contẽta, in vindictam Childeberto venenum præparasse fertur, quo non longo post tempore moritur, postquam ex vna vxore genuisset Theodobertum & Theodoricum. A Theodoberto maiori natu Austriaci Principes descendunt, vt antea sub XVI. generatione à Constantino Imperatore computata, diximus: & ex altera coniuge procreasset Pipinũ & Martinum fratres Austrasiæ Duces, à quorum primo Pipino scilicet Herstallo cognomine Carolus ille Magnus Bauariæ gentis propagator originem ducit. Anno Christi

ij. PIPINVS 1.

Pipinvs Proauus Caroli Magni Austrasiam obtinens, habuit ex Blutrada siue Plectrude tres filios, Druonẽ scilicet, & Drugonem Comitem Campaniæ, & Grymoaldum siue Genebaldum, ad quem Sigisber-

Anno Christi tus Theodoberti superioris filius superstes, in illo tumultu bellico & laniena trãsfugit. Habuit & ex Alpaide Pipinus Carolum Tutilden dictum Martellum patrem Pipini illius Breuis, qui post factus est Francorum, vt infra dicemus Rex : Martellus autem idem à patre factus est Dux Austrasiæ : post mortem verò patris nouerca superstes hũc Martellum captum Coloniam duci iussit, eiusq; ditiones filio suo, ex secundis nuptijs nato, Theobaldo, siue Tibault possidendas tradidit. Hic Theobaldus, & quẽ dixi Grimoaldus, itemque postea Martellus, sicut & pater illius Pipinus, de quo hic scribimus, fuerunt omnes ordine suo Magistri supremi Palatij, siue Maioris domus, vt vocãt, Franciæ. Reges enim officij sui tum adeo negligentes fuerunt, vt regij fastigij obliti, cõstituerint regij sui Palatij regniq; Administratores, omnia munera publica, negotiaque nutui illorum permiserint : vnde tãta creuit huiusmodi præfectis auctoritas, vt ipsi reges parere præfectis quodammodo viderẽtur, secedentes à frequentia hominum, in remota ab vrbibus castella, aut amœnos aliquos hortos, vbi se oblectantes, toto anno non prodibant in publicum, nisi Maij mensis die, tum vecti curru triumphantium more splendido, regioque luxu vestiti sese ostentabant populo, excepti læti vulgi clamoribus salutationibusq;

busq;: populus enim ludicris mirabiliter de lectabatur, maiestatem q; suorum regum ad mirabundus spectabat. His spectaculis finitis, rursus sese conferebant in suas villas, venationibus, & reliquis superuacaneis operibus tempus transigentes, quasi regni negotia ad eos nihil pertinuissent, mãsitq; hæc cõ suetudo Francorũ regibus, ad Pipinũ vsq; patrẽ Caroli, qui ex præfecto factus est Francorũ rex, vt post dicetur. Fuit inter alios præfectus Ebroinus, qui Pipinũ hũc / Herstallũ cognomento deuicit, & fratrẽ eiusdem Pipini Martinũ cõtra datam fidem occidit, cuius tamen mortẽ non diu impunè tulit Ebroinus, à Comite Hermenfroy, occisi ducis Austrasiæ fundatario, mortẽ domini sui vindicante, illiusque arrogantiã puniente, in lectulo occiditur: qui deinde ad Herstallũ confugit, qui capto rege Theodorico Lotharij 2. fratre, restituto q; pristinę libertati & dignitati, magnã apud Frãcos nobiles gratiã & famã cõsecutus fuerat, promotusq; ad prefecturã etiam, in qua multa cum laude se gessit, præclara, excelsi animi signa edens, augendo, dilatandoque regni pomeria. Pipinus interim hic, regij palatij maior omnia publica regni negotia nutu suo administrabat. Multa bella gessit: Frisios etiam, eorumq; Ducẽ Radbodum, armis Christianã fidem susci pere cõpulit, Imperatorum regumq; legatos per se audie-

Anno Christi 697.

Anno Christi

audiebat, ijsq; etiã inconsulto rege responsa dabat. Bella gerebat, rursũ pro libidine sua pacem, induciasque faciebat. Instituit hic& filium suum, quem dixi Grimoaldum regij palatij maiorem, quo post paucos dies à milite Frisio interfecto, regebatur tum temporis nutu Plectrudis viduæ Pipini, illiusque nepotis maioris palatij Theobaldi. Interim crearunt sibi Franciæ aliquot nobiles alium regem Danielem seu Chilpericum vocatũ adiuncto illi maioris palatij Comite, quẽ dixi Hermenfroy (occisi ab ipso Ebroini Tyranni fama claro) qui Theodaldum maiorẽ illum palatij deuicit. Hæc dum in Francia geruntur, Carolus Martellus à Plectrude, quam alibi etiam Blutradam Bauaram diximus, captiuus in vrbe Colonia detẽtus fuit. Hermẽfroy sustinuit regem suum in regno, quoad Martellus, carcere euadens, creauit regem Clotarium Chilperico profligato, & ad regem Aquitaniæ confugere coacto.

iij CAROLVS MARTELLVS.

Carolvs Martellvs Magni illius Caroli Auus, posteaquam è carcere Colonienſi euasit, in quo eum Plectrudis, per aliquot annos arctissimè asseruari fecerat, liber factus, conscripto exercitu satis valido, Regem Chilpericum adoritur, manuq; armata regiam suam dignitatem tuẽtem, prope vrbem Samorabinam profligat.

Nec

Nec verò Chilpericus animum deſpõdet, ſed quanta maxima potuit celeritate renouato exercitu, impetratiſque auxilijs ab Aquitaniæ duce, denuò belli fortunam experitur, vincitur tamen à Martello ipſe, & dux Aquitaniæ ſocius, amboque in interiorem Aquitaniam profugiunt. Hermenfroy ſiue Irmẽfridus, maior palatij regis Chilperici, è fuga peruenit in vrbem Iuliomagum, eũ Carolus Martellus inſequitur, captaque vrbe in ſuam poteſtatem redegit, ſatis humaniter nihilominus cum eo actum eſt. Ipſa enim vrbs exilij ſedes illi data fuit. Martellus, deuictis hoſtibus, factus voti compos, reuerſus in Franciam, eligitur maior palatij, regnique Præfectus, inſtituto nihilominus rege Lotario, qui conſuetudinem prędeceſſorum regum ſecutus, nomine Regis contentus, nullis ſe rebus gerendis immiſcuit, ſed cùm ſub cura Martelli regnaſſet annis 2. è viuis exceſſit. 721.

Anno Chriſti

Chilpericus (qui regnauit ante Lotarium 2. annis) reuocatur mortuo Lotario ex Aquitania, reſtituiturque ſuo priſtino regno per Carolum Martellum Maiorem regij palatij, qui ſublatis competitoribus ſuis omnia regni negotia, pro ſuo arbitrio (vt pater Pipinus) adminiſtrabat, ſed multas ſanè res, etiam ſub Theodorico 2. rege Franciæ, laude dignas geſſit, adeò vt poſt mortẽ meruerit 722.

Anno Christi

rit inter Frãcorum reges sepeliri, erecta etiã statua: Tanta enim ociosoru Regum fuit circa publica regni munia, negligẽtia, vt omni Reip. cura Maioribus Palatij commissa, tandẽ etiã possessione ipsa, nomineq; regni spoliati fuerint.

Caroli huius Martelli opem Papa Gregorius hoc tempore implorat contra Longobardorum Regem Luitprandum, qui vrbem Romam obsidebat: trãsmisit illi claues Sepulchri Christi, Vincula etiam Petri additis alijs multis magni pretij donis. Suscepit itaq; ab eo tempore Martellus patrocinium Romanæ Ecclesiæ, idq; tam ardenti animo, vt statim missis ad Longobardos Legatis, additis minis, nisi à Roma castra mouerint, quę per annum ibi fixerãt, & Papã obsidione liberauerint. Postea Authbertus Lõgobardorum quoque Rex Papæ Alpes Cocias ad Galliarum Alpes vsque dono dat. Et sicut Frisij, Rabodo eorum Duce separato, in Christianismum à Pipino Martelli patre inducũtur: ita filij Martelli auspicijs & VVestphalia à S. VVilbrordo ad fidem Christianorũ cõuertitur: & sicut Frisones primò à patre, sic mox etiam à filio Martello ad Anemonem Saracenos superat. Genuit autem Martellus ex Hugoberti Bauariæ Ducis nepte Svvindehilde filium Pipinum, qui sequitur secundum.

iiij PIPINVS. 2.

Anno Christi

PIPINVS 2. cognomine Breuis, pater Caroli Magni, successit patri Martello in officio Maioris palatij, ne tantillum quidem remittens ab ea, quam pater suus Martellus in reges exercuerat auctoritate. Hic habuit duos fratres Grifonem & Carolomannum. Grifon quietis impatiens arreptis armis occupat vrbem Laon, dumque eam cõmunire vult, imparatus opprimitur, duciturque captiuus in castrum nouum situm in Arduenna sylua. Hinc tamen non multò post elapsus, confugit ad Saxones, quorũ adiutus consilio, coacto numeroso validoque exercitu, fratrem Pipinum bello petit, à quo tandem duodecim Comitatus cõsecutus arma vtrinque posita. Carolomannus alter Pipini frater huius mũdi caduca fluxaque bona contemnens, profectus Romam, suscipit de manu Papæ habitum S. Benedicti. Deinde ad montem Casinum in Italia situm, abiens, constringit se voto monastico. Pipinus verò, relictis à Carolomanno ditionibus, factus potentior, omnibus præterea regni proceribus se charum esse animaduertens, non duxit sibi prætermittendam hanc oblationem, nempe ad regnum perueniendi occasionem, quoque facilius ea, quæ animo destinauerat, ad optatos exitus perducere

Anno Christi

cere posset, operæprecium duxit primùm conciliare sibi animum Papæ Zachariæ, transmisso ad eum libello, quo vituperosam Childerici vitam Papæ, quàm potuit diligẽtissimè delineauit atque exposuit, addens etiam iniquum esse, eos regis nomen gerere, qui neglectis regijs muneribus, otiosam vitã ducentes, alteri curam omnem regni administrandi demandarent, æquius iustiusq; fore eos, qui onus regni sustentant, honore etiam, nomineque regis dignos haberi. Hac ratione persuasus papa, mandat Childericum tonsum, in monasterium detrudi, in quo etiam mortuus est: vltimus primæ familiæ Frãcorum regum, qui ex ea recta linea ab ipso Clodouæo primo Christiano rege ita sibi inuicem successerant, vt Clodoueus genuisset Lotharium 1. Lotharius Chilpericum, Chilpericus Lotharium 2. Lotharius 2. Dagobertum, Dagobertus Clodoueum 2. Clodoueus 2. Theodoricum. Theodoricus Theodobertum, Theodobertus Dagobertum, Dagobertus Chilpericum vltimũ, cui Pipinus in regno successit. Huius autem Pipini Regis Genealogiam per successionẽ in recta linea ab eodem Clodoueo 1. ita per ordinem deducitur. Clodoueus genuit Lotharium 1. Lotharius 1. Sigebertum 1. regem Austrasiæ, Sigebertus ex Athanagilde Regis Hispaniæ filia genuit Childebertum secundum regem Austrasiæ

ſtraſię, Childebertus Thedebertum tertium Auſtraſiæ regem, & Pipinum Caroli Magni proauum, Pipinus Carolum Martellum, Martellus Pipinum hũc, de quo tractamus, qui ex eodẽ fonte profluere videtur, à quo Chilpericus vltimus regum Franciæ, in cuius locum ſucceſsit authoritate conſenſu & approbatione quoq; ſummi pontificis, & multorum Franciæ principum electione, qui eum hoc honore dignum habuerunt propter ſcientiam rei militaris, multarumque rerum experientiam, quam longo vſu, diu in Republica verſatus, conſecutus fuerat. Mortuo Papa Zacharia, ſucceſſor eius Stephanus à Longobardorum rege Aiſtulpho electus, in Franciam venit profugus, conquerens apud Pipinum, de ſibi illata vi à Longobardis. Pipinus igitur, vt qui ſe Romanæ ſedi iuſtis de cauſis deuinctum eſſe ſciret, promiſit Papæ, ſe illius iniurias non neglecturum, curaturumque, vt erepta illi reſtituerentur, quo reſponſo recreatus Papa, quò apud Regem gratum animi ſpecimen ederet, ſecundò ipſum cum duobus filijs conſecrat in Reges Francorũ, addito cognomine Chriſtianiſsimi (quo omnes deinde ſucceſſores vſi ſunt) Anathemate etiam feriẽs omnes eos, qui vllo vnquam tempore hanc inaugurationem contraire, aut facere quicquam atten-

Anno Chriſti 751.

Anno Christi

attentassent. Pipinus igitur non multò post. ducit exercitum in Italiam, cui cùm Rex Aistulphus ad Alpium fauces iter præcludere nititur, tanta Francorum impressione reijcitur, vt necesse ipso fuerit, confugere in vrbẽ Patauiũ, vbi à Pipino obsidione clausus fuit, quoad promisit, se Papæ petitionibus satisfacturum: iustitiam nempe, quam vocant S. Petri illi restituere, Rauennæ etiam, aliarumq; vrbium possessionem. Ipse etiam Pipinus dono dat Romanæ Ecclesiæ vrbes hosti ereptas, Bononiam, Ariminium, Fauẽtiam, Imolam, Vrbanum, Ferrariam, Neapolim, & insulas Siciliam, & Sardiniam. Reuersus ex Italia armis aggreditur Ducem Aquitanum Gayferium, omniq; ditione exuit, ducemq; Bauarię Tassilonem, vt antea dixi, vectigalem sibi reddit. Saxonibus etiam imposuit tributum annuum trecentorum equorum. Tandem in Francia erecto Parlamento, receptisque per Ecclesias Galliæ Romanorum ritibus, & ceremonijs, moritur Parisijs, humatus apud S. Dionysium.

757.

768.

V. CAROLVS.

CAROLVS Magnus Pipini filius, patri in regno successit, ac statim animum ad res magnas adiecit, neque spes eum sua fefellit. principiò enim bellum illud contra Desiderium Longobardorum regem, rogatu Papę Adriani susceptum, propter turbatam possessio-

sessionem earum vrbium, quas Pipinus Romanæ Ecclesiæ dono dederat, tam fœliciter ad finem perduxit, vt captis Rege, reginaq; cum liberis regijs, in exiliumq; missis, fundit⁹ regem Longobardorum delet. Saxones etiam, cũ quibus acerrimè diu bellauit, duodecies cum ijs prælio decertans, tandem debellauit, vectigalesq; reddidit: domitisque domesticis hostibus, coacto valido exercitu, Saracenos aggreditur, non procul ab vrbe Pampelona, licet non pari fœlicitate successerit, primo prælio victus, sed deinde nouis habitis delectibus exercitum supplẽs regressus, hostes superat. Anno Christi

Denique Carolus perdomito Bauarorũ duce Tassilone, eoque cum filio Tassilonis vltimo Thedone monasterio mancipato, Bauariã suæ potestati, sicut pater Pipinus Childerico rege in monasterium detruso, Galliã sibi subiecit. Verùm hæc de progenitoribus Caroli magni, eodemq; Carolo quidem præmissimus, ex quibus inter cætera patet, quanta sit Bauaris cum Austriacis sereniss. Principibus inde ab origine per rectam lineam hucusq; deducta propinquitas, & cognatio, quæ vt clarius pateat, hæc quæ sequuntur subiecimus.

SEQVVN-

Anno Christi.

SEQVVNTVR TANDEM XIII. ILLAE GENERATIONES, QVAE A CAROLO *Magno primo Germaniæ Imperatore computantur, vsq; ad Ludouicum Bauarum, qui Rudolphi I. ex Austriaca domo Imperatoris filia Mechtilde Ludouicum Bauarum Imperatorem genuit.*

1. CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS Pipini superioris ex Berta filius natus in Ingelheim, non procul à Mogũtia vrbe, postquam patri in Galliæ regno succesisset, perdomitis Bauaris illis, qui Germaniæ inde ab initio eousque præfuerunt superatisq; Dalmatis, Auatis, & Vandalis, consecratur à Leone 3. Papa Imperator Romanus, acclamationeque populi Romani Augustus vocatus fuit Romæ, ipso natiuitatis Christi: nam antea Pon-
801. tifex Leo 3. in quem seditioso tumultu Romę à Clero concitato, is ad Carolum profugit, à quo & restitutus est. Initium hoc est, translati Imperij ad Germanos. Etsi enim Germanici Imperatores potẽtia pares nõ fuerunt semper, quemadmodum & nullo in regno

gno vel vmbris vel fœlicitate pares extite- Anno
runt reges omnes: tamen virtute tales fuerũt Christi
plerunq;, vt à periculis liberarint Italiam, i-
ta vt non solùm in rebus publicis tranquilli-
tatem, sed in Ecclesia religionem quoq;, prę-
sertim in Bauarica præclarissima pariter &
Austriaca sereniſsima domo, integram con-
seruarint; atque ob id digni sint, qui multis
partibus antiquis Romanis anteponantur,
siue prudentiam, siue fortitudinem, siue de-
nique honestatis & modestię studia velimus
æstimare. Carolus hic noster Germanus, an-
tiquas historias Germanorum, & Cantica in
vnum colligi præcipit, quibus adeo delecta-
tus fertur, vt ediſceret ea. Germanicè dicen-
do diſertiſsimus: huius enim parentes Ger-
manici Principes, & vt dictum est supra, cu-
riæ præfecti, adeoque primarij gubernato-
res apud Reges Francorum fuerunt, & offi-
cij delegatione maiores domus tũ dicti sunt.
Quorum hęreditarium ducatum & primũ
dominiũ Austrasiam circa Rhenũ fluuium fu
isse supra diximus, à quibus hic Carolus ori-
ginem ducit, magnis virtutibus & summa fę
licitate in rebus gerẽdis à Deo ita exornatus,
vt meritò Magni cognomento posit appel-
lari. Qui cùm esset omnibus virtutibus toto
iam orbe clarus, constabilita pace, reparatis
legibus, redacto in ordinem religionis statu
vt præcideret magnorum incommodorum

Anno Christi

occasionem, ante obitum suum Ludouicũ filium (sicut nostro tempore Carolus 5. Ferdinandum fratrem) successorem in Imperio destinauit, postea Aquisgrani in germanica ciuitate, Germanus moritur anno suæ ætatis 72. Hic primus fuit in recta linea Genealogiæ Ducum Bauariæ, eorum scilicet, qui computantur ab hoc vsque ad Electorem Principem Imperij Ernestum Bauarum, ad quem à Ludouico Pio Caroli Magni filio computantur adhuc generationes viginti duæ.

ij. LVDOVICVS I.

Ludovicvs cognomento Pius, filius Caroli Magni, viuente adhuc patre, Boiarijs præfectus est datus, atque rex: qui postea Aquitaniam gubernauit, de quo sic scribit Eginhartus: Completisque omnibus negotijs, quæ ad illius conuentus rationem pertinere videbantur, Nouiomagum cum filio maiore, scilicet Carolo, seceſsit: minorem verò Ludouicum in Boiariam direxit. Succesit etiam patri tam in Imperio Romano, quàm Francorum regno: fuit coronatus Imperator Aquisgrani à Papa Stephano, qui iã diu in Francia fuerat anno 815. Duxit vxorem ex familia Saxonum, Hermingardã, ex qua sunt illi nati hi filij, Lotharius, qui factus fuit

815.

Ita-

Italiæ rex,& Ludouicus, qui factus fuit rex Germaniæ, Bauariæque. Mortua Hermingarda, duxit secundam vxorem Iudith, filiã Comitis de Altorff, ex qua illi natus est filius Carolus Caluus qui patri successit in regno Franciæ, regnauit an. 26. Hic initio sui Imperij pacis fœdera inita à patre Carolo Magno cum Constantinopolitanis renouauit, & rata esse voluit. Postea Lotharij filium (sicut nostro tempore Ferdinandus 1. Maximiliani 2.) Imp. consortem delegit. Inde ab eodẽ hoc Ludouico conuentus est habitus pro reformando Ecclesiæ statu, & summa diligentia effecit, vt ministris Ecclesiarũ necessariæ subsidia vitæ præberentur. Transactio quoque inter eum & Romanum Pontificem facta est, vt posteris certò constaret, quæ pars ad Pontificem, & quæ ad Imperium pertineret. Per duces suos, Bernardum Caroli nepotem occupantem Italiæ regnum superat, ac tollit; vincit quoque Saxones per filium Carolum. Frater huius fuit Carolus, qui à parẽte Boiariæ Pannoniæque præficitur. Quippe victis Auaribus, ac partim pulsis cùm, vt antea diximus, Carolus pater Tassilonẽ ac Theodonem vltimum Boiariæ Principes ob læsæ Maiest. crimen monasterio inclusisset, & quẽ Boiariæ præfecerat sororiũ, Gerholdus Comes Augiæ fuisset ab Hunnis interfectus, profectus in Bauariã Carolus Magnus, Anno Christi

Anno Christi

dispositis Pannoniarum causis, filium Carolum, hunc victorem ex Saxonia redeuntem, Boiariæ præfecit; qui tamen in administra-
803. tione eius regni non diu superuixit. Postq; eum pater Carolus Imperator in Bauariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Ad aquas rediens, ibi Natalem Domini cele-
806. brauit, & exinde rediens, Carolum hunc filium in terram Slauorum, qui dicuntur Sorabi, super Albiam fluuium cum exercitu misit, in qua congressione Milduich Slauus occisus est, duoque castella ab exercitu
constructa sunt, vnum super ripam fluminis Salæ, alterum super Albiam, Slauisque compressis, ex hac parte Bohemos cum Boiarijs atque Alemannis aggreditur, eorumq; ter-
810. ram ex maxima parte vastauit. Postea Carolus hic frater Ludouici 1. maior natu obijt, secundo Non. Decemb. Fuit autem Ludouici hic in recta linea secundus ex præclarissimo stemmate, inter eos qui computantur vsque ad Imperij Electorem Principem Ernestum Bauarum, etiamnum adhuc viuentem.

iij. LVDOVICVS 2.

Ludovicvs 2. superioris filius, in diuisione cum fratribus post prælium Fontaniacense, Alemaniã & Boiariã frotitus est, appel-
842. lauitq; se passim in diplomatibus regem Boiariæ

iariæ. Hic cum duobus fratribus Imperium Francorum inter se diuiserunt, & Carolo occidentalia regna cesserunt, à Britannico Oceano vsque ad Mosam; Ludouico huic orientalia, scilicet omnis Germania vsq; ad Rheni fluēta, de quo Rhegino Prumiensis Chronographus ita scribit. His temporibus Ludouicus senior, frater Lotharij Imperatoris, plurima bella strenuissimè gessit aduersus Slauorum gentes. Siquidem Maralensium regna ingressus, armis cuncta perdomuit, capto eorum Principe nomine Rosticz, cui etiam propter violata fœdera oculos erui iussit. Postea Ludouicus infirmitate detentus, in Boiariorum finibus lecto decumbebat, & apud Franconofurt Palatium diem clausit extremum 5. Cal. Septemb sepultus in monasterio Sancti Nazarij, quod Lorasheim nuncupatur. FRATER huius Ludouici Lotharius post mortem patris Ludouici Pij Imperatoris regnauit annis 15. in Imperio: Ludouicus autem Germanicus rex dictus (vtpote cui cessit Germania, Sueuia, Bauaria, Bohemia, Austria, Francia orientalis, Thuringia, Saxonia, & quicquid erat vsque ad Rhenum fluuium.) Hic est, de quo magnæ laudes referuntur & qui Bohemiam quoque ad recipiēdam fidem Christianorum adduxit. Frater Lotharius Italiam retinuit, & Galliā Narbonensem, & eam quoque partem, quæ

Anno Christi

860.

869.

Anno Christi

etiamnum Lotharingię nomine appellatur: Manſit & apud hunc Cæſareæ celſitudinis eminentia. Alteri fratri, Carolo ſcilicet Caluo, maxima pars Galliæ in hæreditaria trãſactione contigit, & ab hoc ſequentes reges Gallorum originem ducunt vſque ad Ludouicum vltimum, quẽ Hugo Capetus in monaſterio vitam ſuam trãſigere, ac ſibi regnũ relinquere coegit an. Chriſti 988. Factus eſt autem rex Francorũ Carolus Ludouici Germanici, ſiue Bauarici frater anno 841. idqúe occaſione diuiſionis factæ cum fratribus, cum quibus ante factam partitionem, ad Fontenaium Iſiodorenſium in prælio decertauit, in quo magna pars nobilitatis Gallicæ occubuit. Lotharius Imperij ſui anno decimoquinto monaſticum votum ſuſcipit, relicto Imperio filio Ludouico *maiori:* Lotharingiam autem quam de nomine ſuo ita vocauit, Lothario ſecundo filio ſuo dat. Quibus non multò poſt vita decedentibus, Carolus Caluus fit Imperator, ex quo tempore factus eſt adeò ſumptuoſus, vt coronatus, Dalmaticaq́; ad tales demiſſa indutus, in publicum prodiret, pluſq́; temporis impenderet cultui corporis, veſtiumq́; ſuperfluitatibus, quàm rebus ſerijs, aut alioquin ad regni curam ſpectãtibus: veneno à medico ſuo Sedechia Iudæo necatus, cùm regnaſſet annis 38. humatur eius corpus apud Sanctum Euſebium

841.

878.

sebium, vnde post septennium relatum ad S. Dionysium fuit. Succesit huic Carolo Calvo filius Ludouicus Balbus Papæ Ioanni 9. charus, magnaque familiaritate coniunctus. Vnde Papa summam adhibuit diligentiam, quò posset eum ad Imperij fastigiũ euehere: verùm Italiæ principes restiterunt, Papamq; ea de causa in carcerem iniecerunt, ex quo tamen non multò post euadens, in Galliã profugit, coronauitq; dictum Ludouicũ in Imperatorem, qui tamen non diu hac dignitate lætari potuit, intra biẽnium moriens, pregnantem post se relinquẽs vxorem suam Richildam, quæ deinde peperit filium Carolũ, Sed hæc de Ludouici 2. frarribus, & Caroli Calui succesoribus in Francia breuibus quidem hactenus, nam ad Ludouici Bauari nostri successores properamus, qui tertius est in recta linea ex XXIII. illis, quæ à Carolo Magno primo Germaniæ Imperatore, numerantur vsque ad Ernestum Bauarum Imperij Principem Electorem Colonienſem: sequitur Ludouici Germanici siue Bauarici filius Carolomannus maior natu. Anno Christi

iiij. CAROLOMANNVS.

Carolomannvs primogenitus Ludouici viuẽte adhuc patre Ludouico, Boiariæ quoque gubernacula tenuit, & ętatis prerogatiua in maiori semper authoritate fuit, & sedẽ regni apud Ratisbonam habuit. Hic Italiæ

Anno Christi

fines intrauit, cupiens eam paterno suoque subiugare dominatui. FRATRES huius fuerunt duo. Carolus scilicet & Ludouicus, qui tres inter se fratres conuenerunt in loco, qui dicitur Salfeldt, & ibi diuiserunt paternum regnum. Carolomannus fortitus est Boiariam, Pannoniam, & Carmuntum, quod corruptè Carantaium dicebatur, nec non & regna Slauorum, Bohemorum, & Morauiæ, siue Maralensium. Ludouicus Orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam, Frisiam, & partem regni Lotharij. Extant adhuc multa fundationum diplomata apud Ratisbonam constitutarum, in quibus se Carolomannus regem Boiariorum scribit: Constat etiam Carolomannum hunc pro limite Boiarico, quem Morauі perruperunt, cum horũ Principibus Ratislao & Suatibogo sex bella gessisse, quorum causa fuerant V Vilhelmus atque Engelscalcus Austriæ Marchiones: primò namque cùm negligentius limitem tuerentur, à Carolomanno Duce, cui omnes limites Boiarici regni, hoc est oriẽtales, Carnicus, Slauonicusque procurandi à Ludouico 2. Boiorum Rege patre commissi fuerant. præfectura remouentur. Ob quâ notam vindictæ cupidi, nacti occasionem, quod cũ Ratislao & Brymione Morauorum Principibus fœdus haberet Carolomannus, eũ apud patrem de ambitu regij nominis accusarunt

quorum

quorum auribus credulus Ludouicus Rex, contra filium Gundoccarum quendam Ducem creauerat. Sed insidijs detectus, Carolomannus pristinam dignitatem recepit, VVilhelmo & Engelscalco, qui tragœdiam hanc fabricauerant, & Gundoccaro, qui Carolomanni copias prodiderat, ad Morauos fugientibus: quos in arma sollicitare, ac frigidam suffundere aduersus Boiariæ principes non cessabant: donec Ratislaus, ex improuiso vlteriorem Austriã, Duyno castro (Teiam fuisse puto) expugnato occupasset. Quibus obuiam progressus cum Boiarijs, Carnis & orientalibus in fugam vertit, parte Marchæ recepta, ob quam victoriam Ratisbonæ pater Ludouicus omnes campanas sonare iusserat. Ratislaus porrò hac clade affectus, sollicitatis in partes suas ac commilitium ceteris Slauorum tribubus, Bohemis Sorrabis & Venetis, altero anno rebellat, ac denuò in Austriã excurrit, contra quem secundariò Carolomannus à Danubio profectus, adiutores habuit fratrem Ludouicum, à septentrione cũ Turingis, & Carolum ab occidente cum Sueuis, Rudolphum quoq; Vogburgensem Marchionem, à patre ex Reginoburgo missum cum copijs Boiaricis. Sic itaque denuò victus Morauus principatu pellitur, substituto illi Suetbogo nepote. Quem cùm reintegrato, bello pellere ex Morauia Ratislaus

Anno Christi

Anno Christi

conaretur, impediuit negotium, missis subsidijs ex Austria Carolomannus, Ratislao capto, quem Ratisbonæ Ludouicus Rex, Carolomanni pater oculis priuatum, cœnobio inclusit. Morauia diuisa, cuius partem meridionalem Marchiæ orientali adiectam in prouinciæ Francicę formam redegit, vbi est nostro seculo vlterior Austria, multa adhuc nomine Slauonica referēs: alteram verò vltra Teiam in septērionē excurrentem, Sueti bogo nepotis Ratislai beneficio Boiariæ regni in fidem tradidit.

Sed is indignè ferens partem principatus ablatam, clam arma parat. Quem Carolomannus, antequam copias in aciem eduxisset, captū, patri Ratisbonæ exhibuit. At Moraui Slagomarum Sacerdotem capto Suatibogo sufficiunt: qui cognati fortunam vindicaturus infestis signis in Austram excurrit: sed à Marchionibus orientalbus pulsus, retrò pedem ferre Morauus cogtur.

His successit quintum à Carolomanno bellum aduersus Morauos gesti, quod hac occasione exortum. Suetibogim principē Morauiæ proditione vt diximis accusatum Ratisbonę Ludouicus Rex, in vinculis habebat; is liberatus custodia, & restitutus in principatum, vltionis cupidus belum parabat: & in eos imprimis, qui eum oficij causa deduxerant, Boiarios arma conuertit, eosque impa-

imparatos, vtpote nihil hostile timentes, ad vnum omnes contrucidauit, de gente Boiorum Francorumque nobilissimos quosque, inter quos vnicus Ratybodus semiuiuus, magno posthac pretio à Carolomanno reducitur. Hanc ob causam tam Rex Ludouicus, quàm Dux Carolomannus comparatis ingentibus copijs, Morauiam aggredi statuunt ex omni parte. Datũ negotiũ Turingis & Saxonibus, vt ex sua plaga impetũ facerẽt in Bohemiam. Idem Arno VVirtzburgẽsis, Sigehardus Fulden. Luitpertus Moguntinẽsis, & à Meridie atq; Occidente Ambioricus Ratisbonen Episcopi facere iussi. Quorum infeliciter Saxones Thuringi atq; Ratisbonen pugnauere classe in Danubió intercepta, classiarijsq; sex millium numero interfectis. Reliqui regulos Bohemiæ resistentes, Zentislaum, Vtislaum, Spitimarum, & Hermannum in fugam verterunt. Anno Christi

FRATER huius Carolomanni germanus, & minor natu Ludouicus communibus cũ fratre Carolomanno auspicijs Boiariæ præfuit. Summa autem rerum penes Carolomãnũ seniorẽ dum viueret, semper mãsit Ludouicus cõperto quòd frater Carolomãnus obijsset, Boiariã ingressus, Ratisbonã venit, vbi omnes optimates regni ad eũ cõuenientes, eius ditioni se subdiderũt. Posthea Ludouicus rex morbo grauatus, apud Francofurt moritur 880. 880.

Anno Christi

ritur 11.cal. Septembris, sepultus est in Loresheim, iuxta patrem in cœnobio. Habuit autem Luitgardam reginam in matrimoniũ collocatam, ex qua filium vnicum suscepit, quem nomine suo Ludouicum appellauit, sed idem puerulus Ratisbonæ de fenestra cecidit, & confractis ceruicibus statim expirauit.

Ne autem de his, quos dixi, fratribus duobus Carolomanno & Ludouico error subrepat, sciendum est Ludouicum Balbum filiũ Caroli Calui Imperatoris etiam duos filios, sed naturales atque illegitimos habuisse, Carolomannum & Ludouicum, qui reges Frãciæ facti sunt, eò quod nullus legitimus regni hæres præmanibus esset, vnde in Francia dissensio orta, cùm alij regnum Bascia prouinciæ Comiti deferendũ referrent: alij cõtra ad Germanorum Imperatorem Carolũ. Crassum illud transferri cuperent, litem istam diremit ijsdem diebus natus filius post humus, ex relicta Ludouici regis vidua, qui legitimus regni hæres, cùm propter ætatem administrando regno ineptus esset, fratres supra memorati Carolomannus & Ludouicus, tutelæ nomine regimen suscipiunt: verùm hos duos fratres ab ijs duobus fratribus Carolomanno & Ludouico Bauaris separãdos esse lectorem admoneo, ne identitas nominis ac temporis concurrentia errorem inducat.

881.

inducat. Carolomannus enim illegitimus ille, dum puellam cupitam profugientẽ in domunculam quandam temerè equo insidens persequitur, detorta ceruice moritur. Noster autem Carolomannus legitimus Ludouici Bauariæ Ducis filius, & frater Ludouici atque etiam Caroli Crassi Imperatoris frater non Ludouici Balbi, qui vltimus ex Frãcorum regibus Imperator, & Caroli Calui Imperatoris filius fuit. Anno Christi

Caluus hic Carolomanno & Crasso, qui permittere noluerunt, vt Imperij Maiestas à Germanis ad Gallos transferretur, comminabatur tantas copias trans Rhenum se ducturum, vt vel ab equis exhausto Rheno exercitus siccis pedibus posset trãsire. Sed profecti sunt aduersus tam impudenter minitãtem, duo illi fratres cum quinquaginta millibus ad Coloniam non procul Andernaco, qui Carolum illum Caluum fuderunt: qui quidem Carolus postea profectus est in Italiam, quo eum secuti sunt nepotes illi duo Ludouici Bauari siue Germanici. Cognita hac fama Caluus pater Ludouici Balbi subito ex timore morbo correptus interijt: 788.
quidam veneno eum sublatum scribunt opera Sedechiæ cuiusdam Medici sui, quemadmodum supra diximus.

Frater autem alter Carolomanni Carolus Crassus cognomento est: sub quo à Gallis ad Ger-

Anno Christi

ad Germanos Imperium redijt. Etenim ingressis Italiam Saracenis, & depopulantibus omnia, reuocarunt Romani è Gallia Pontificem: erat enim subsidio opus Italis contra Saracenos, & mortuo rege Gallię Ludouico Balbo, cùm nondũ esset ætate adultus regius heres, magnæ passim seditiones in Gallia cõcitabantur de administrando regno, donec regius filius Carolus simplex adolesceret Principes Odonem quendam, licet non esset de familia Carolina, prętulere tamen illum Arnolpho, de quo paulo post dicturi sumus. Hac itaq; necessitate compulsus Papa, subsidia Germanorum implorauit, ad eripiendã Italiã ex impetu periculorum. Venit tum in Italiam Carolus Crassus Ludouici 2. Germanici filius, & frater Carolomãni vt ante dictũ est, & profligatis Saracenis Imperialẽ coronã accepit, regnauitq; post acceptũ diadema annis 9. Et cùm sub id tempus Normanni irruentes in Galliã, tanta vbiq; damna intulissent, vt coacti sint Galli prętidia à Germanis postulare Carol⁹ hic Crassus etiam Rex Galliæ designat⁹ atq; ea demũ occasione, & Germaniæ & Gallię regnum obtinuit iterũ. Cæterum non multo post eadẽ hęc regna direpta sunt. In Morauico bello molestię & laboris impatiens Crassus relicto Imp. fratris sui Carolomãni filium Arnolphũ Cæsarem constituit, à quo destinati sunt Carolo tanti redi-

ti reditus, quãtis satis esse potuerũt ad regiũ apparatũ, donec viueret. fuit aut Carolomãnus ille Ludouici Germanici siue Bauarici filius 4. in ordine eorum, qui per rectam lineam deducuntur vsq; ad Ernestum Bauarũ principem & Imperij Electorem. Anno Christi

v. ARNOLPHVS.

Arnolphus Carolomanni filius, primò in Carinthia patri successit, deinde in Boiarici quoq; regni apicẽ vocatus, postremò Carolo Imperatore exauctorato apud Triburias, ad Imperij quoq; fastigiũ sublimat⁹. Scribit aũt Rhegino de exauctoratione Caroli Crassi tertij eius nominis Imperatore. His ita gestis (inquiens) Imperator corpore & animo cepit ęgrotare: mense itaq; Nou. circa transitũ S. Martini Triburias venit, ibiq; cõuentũ generalẽ conuocat. Cernentes optimates regni, nõ modo vires corporis, verum etiã animi sensus ab eo diffugere, Arnolphum filiũ Carolomanni vltro in regnum attrahunt: & sub ita facta cõspiratione, ab Imperatore deficientes, ad prędictum virum certatim transeunt. Et subdit, Cõcessit autem Arnolphus Rex nonnullos Fiscos in Alemania, vnde ei alimonia prębęretur: ipse verò cõpositis feliciter in Francia reb⁹, in Boiariã reuertitur & iterũ: Anno Dominicę incarnationis Arnolph⁹ Rex cõcessit Zundebodo Marahensium Slauorum Regi, ducatũ Bohemensium 890.

qui

Anno Christi. qui hactenus principem suæ cognationis ac gentis super se habuerãt. Et rursus: Dum hęc aguntur, Arnulphus Rex in Boiariorum extremitatibus morabatur, insolentiam Slauorum reprimens, cui cùm nuntiata esset suorum strages, hostiumq; victoria, primò pro amissis fidelibus nimium tristatur, & querelam cum gemitu deponit. Et subdit, De victoria Arnolphi aduersus Nortmannos in Belgis locutus: Eos vsque ad internecionem ferro cedunt, terræq; prosternunt, ita vt ex innumerabili multitudine vix residuus esset, qui cladis aduersi nuncium reportaret. Rebus fœliciter gestis, Arnolphus in Bauariam reuertitur. Hæc ille de Arnolpho: qui non solùm sedem regni apud Ratisbonam Boiariæ Metropolim, verùm etiam multa ibidem sacris adminicula constituit atq; fundauit.

Suffectus est etiam Arnolphus in Imperio Carolo 3. nepos, & regnauit 12. annis, quibus primùm Morauos vicit. Deinde Nortmannos, qui iam ex Gallia reuersi, ad Rhenum vsque peruenerunt, & VVormaciam profecti, Moguntinensem Episcopum supplicio affecerant. Victi à Cæsare Arnolpho Nordmanni, Christianam fidem tãdem amplexi sunt. Postea vbi Dux Spoletanus VVido per tumultum Cæsar esset creatus, in Italiam profectus Arnolphus, magna vi Romã cæpit,

891.

cæpit, & à Formoso pontifice maximo coronatus est. Itaque occupata rursus Italia, in exilium pulsus est Vvido: Burgundionũ quoque Ducatum Germanico Imperio restituit. De sacris autem adminiculis inter cætera satis attestantur duo diplomata, quę sub nomine illius extant. Anno Christi

Primum Diploma.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis: ARNOLPHVS Diuina fauente clementia Imperator Augustus. Regalem condecet dignitatem, vt facta fidelium suorum, quę cum ipsorum congruunt vtilitati, & piè eis consulendo prospiciat, & in posterum mansura gratanter corroboret. Inde enim Christianæ religionis fidelium, instantis scilicet temporis & futuri, agnitum esse volumus notitiæ, qualiter Tuto venerabilis Ratisbonẽsis Ecclesię prę sul, & commissi gregis nomine ac meritò tutissimus prouisor, & fœmina quædam N. quondam complicationis inter se more populari perpetratæ, chartam nostris præsẽtare obtutibus, supplicantes nostri Electi tenore eam consolidari. Quod ita fieri decreuimus. Iussimus ergo hoc præsens muniminis nostri præceptum inde fieri, per quod decernimus, & quæ sequuntur.

Anno Christi

Alterum Diploma.

IN nomine Sanctæ Trinitatis. ARNOLPHVS Dei fauente clementia Imperator Augustus. Si his, qui sunt obtentu sanæ religionis, iugiter Diuinis mancipantur officijs, aures serenitatis nostræ benigno fauore accommodamus, eorũ affectui satisfacientes: liquidò credimus eos prõptiores in sustentatione nostri S. Imp. & deuotiores in orationis cõstãtia pro nobis permanere, atq; apud remuneratorẽ omnium bonorũ diuinis nos remunerare præmijs. Qua propter omnium fideliũ nostrorum, præsentiũ videlicet & futurorum, cognoscat industria, qualiter nos pro absolutione diuinæ recordationis antecessorũ nostrorũ, Augusti scilicet & Imp. & pro remedio animæ mostrę, & corporis saluatione, & pro remedio filij nostri Ludouici, atq; interuẽtu dilectæ cõiugis nostrę Dertę, volumus amplificare & augere ciuitatem nostrã, quæ vocatur Ratisbona, ob amorem & honorẽ Patroni nostri & precioſi Dei mertyris Emmerani, & eandẽ ciuitatem totam nouiter factam cum 40. vineis in monte qui est in ripa Danubij, iuxta eandem ciuitatẽ tradimus, nullo contradicente vel inquietante, pretioso & glorioso S. martyri Emmerano, cuius nomen in libro vitæ cœlestis adscriptum est: & quæ sequuntur plura. Fuit autem hic Arnolphus 5. inter 23. illos, qui in recta

recta linea cõputãtur à Carolo Magno vsq; ad Ernestum principem Electorem Imp. Bauarum. Mortuo Arnolpho, Hungari maximo impetu Germaniã inuaserunt: his oppositus fe Ludouicus Arnolphi filius, & frater VVernheri, & Lutgardę vxoris Ottonis, qui pater fuit Henrici I. Saxon cognomine Aucupis, & Hungaros grauiter prostrauit optimus Princeps, amisso tamen in prælio VVernhero, apud Lycum fluuiũ, sed ab illis postea vicissim victus est. Tum verò victores Hungari, maximas vbique calamitates & damna incredibilia Sueuis, Francis, Bauaris & Austriacis intulerunt: & trucidatis quibusuis sine delectu & commiseratione templa, vrbes, villas, pagos, omnia denique incendio deuastarũt, ita vt tum ex Bauarica Arnolphi prosapia nemo restaret, præter Luthardam sororem Ludouici & VVernheri, & Eberardum fratrem Conradi Imperatoris atq; Ottonis, qui genuit Suffridum filium, & ex filio nepotem Hericum Electorem Imp. de quo infra latius. Nunc id sciendum est, quod in huiusmodi Hungarorum tragœdia Otto Saxo pater Henrici Aucupis, omnibus modis studuit, quomodo administrator siue tutor Cõradi existere posset. idque partim eo prætextu quod patris Conradi filiam haberet vxorẽ; partim etiam quod quidam Frãci & Saxones eum Cæsarẽ designare cõtendebant, verùm

Anno Christi

Anno Christi restitisse hunc aliquis non satis approbatus autor scribit, quasi nolentem eam ignominiam generosissimæ stirpi Caroli Magni inferri, quemadmodum etiam reuera non solũ ignominia: sed & iniuria maxima fuisset, si apertè hoc ab initio tentasset. Proinde Cõradum Cæsarem creandum consuluit, quiquidem patri Arnolpho in Imperio successit: sed in maiore authoritate erat Otto, viuente Conrado, pluraq; negotia in Imperio confecit, ac sibi hoc pacto viam parauit, qua filium Henricum 1. & successores illius tandem Imperatores efficeret, fratribus Conradi ita exclusis, vt non facilè ad Imperatoriã prædecessorum suorum Imperatorum Bauarorum ex præclarissimo sanguine Caroli Magni progenitorum dignitatẽ redire possent. Nos tamen VVernherũ in prælio Hungarorum desideratum, filium Arnolphi Imperatoris, fratrem Ludouici itidem Imperatoris, & Luthardæ dicimus sextũ esse, à quo in recta linea Caroli Magni vsque ad Electorem principem Ernestum stemma 13. generationum Boiariorum continuatur.

vj. VVERNHERVS.

VVERNHERVS Arnolphi filius, Luthardam sororem habuit, quæ Henrici Aucupis patri Ottoni nupsit. Neque enim scriptores probati admittunt Arnoldũ quendam, qui Malus cognomine, & frater VVernheri & Ludo-

Ludouici dicebatur, patrem Luthardæ fuisse, sed Arnolphum Imperatorem, nec etiam filium Arnolphi, & per consequens neq; Ludouici, neque Vvernheri fratrem, sed filium cuiusdam Luitbaldi hunc Arnoldum alij fuisse asserunt, qui quidem Luitbaldus incertam vel omninò nullam prosapiæ originem apud authores inuenit. Hoc autem constat Ottonem Saxonem Lutgardæ maritum fuisse, cumq; eadem genuisse tres filias, Luitgardim, Richardim, & Babã vxorem Henrici comitis Franconiæ, & duos filios Brunonem & Henricum, de quo antea dixi, Aucupem qui inter cæteros genuit Ottonem Piũ fratrem Henrici Ducis Bauariæ, qui Bauarię ducatum sibi vsurpauit, exclusis veris hæredibus, Arnolpho scilicet & filijs eius, de quibus postea: luce nãq; clarius apparebit, quomodo Conradus & frater Vvernheri (Imperatoris Ludouici fratris) filij Eberhardus, Eberardi filius Arnoldus, huius filius quoq; iunior Arnoldus: & post eũ Hẽricus vsq; ad Ottonem Bauarum, qui Bauariam tandẽ iterum recuperauit, non solùm Imperatoria illis debita Maiestate initio priuati, verùm etiam possessionibus postea suis ac Ducatu Bauariæ exuti, satis diu permãserunt, donec sub Saxonibus humi quasi repentes post longam concertationem iterum sua recuperarent, & ad pristinam etiam Imperij dignitatem

Anno Christi

Anno Christi

tem peruenerint, vt per ea quæ sequuntur clarius ostẽdetur: genuit autem Vvernherus Conradum Imperatorem, Eberardum & Ottonem Ac licet Ioannes Carion Ottonẽ Lutgardæ maritum, & patrem Henrici Aucupis scribat summa fide & integritate erga Conradum Cæsarem vsum fuisse, subijcit tamen paulò post idem Carion hæc verba.

Porrò mortuo inquiens Ottone Saxone, timebat fortasse Conradus Cæsar, ne Ottonis filius Henricus Auceps potentia nimium cresceret: itaque subtraxit partem illorum quæ Ottoni patri antea acceſſerant, & cùm id ægerrimè ferret Henricus, conatus est Cæsar per insidias eum opprimere, & ad id perficiendum subornatus est Moguntinensis Episcopus. Sed insidiæ patefactæ sunt: tum verò vehementer commotus Henricus ad suos redijt, & ita omnia eripuit Moguntino præsuli, quæ eius ditioni in Turingia atque in Hassia subiecta erãt. hæc ille, qui etiã Vvernherum Cõradi nomine baptizat, & patrẽ dicit Conradi & Eberardi, quos antea nominauimus. Nos aũt in Caroli Magni Genealogia ad Ernestum vsq; Pr. El. deducẽda, non Carionem Saxonicum scriptorem hac in parte tanquam domesticum testem, sed Sebastianum Munsterum & alios probatos authores sequemur, qui Imperatoris Arnolphi filios dicunt Ludouicum Rom. Regem, & Vvernherum

herũ Ducẽ Bauariæ, expulsum dum viueret ex Bauaria & Nortgoia, qui postea cum Bertholdo & Zẽdebaldo ab Vngaris interfectus dicitur, cuius filius fuit Eberardus Palatinꝰ, fraterq; Conradi Cęsaris, 7. inter illos, qui in recta linea à Carolo Magno deducuntur vsque ad Ernestum Ptincipem Imperij Elect. Anno Christi

vij. EVERARDVS.

EVIRARDVS filius Vvernheri recuperauit quidem Bauariam à Saxonibus, sed nõ Maiest. Imp. quemadmodum nec pater, nec filius Arnoldus. Huic enim Hẽricus Auceps inhians, eandem post Conradum Cæsarẽ factus est Inperator 1. eius nominis, & prosapiæ Saxonum 1. qui tamen à Pontifice coronatus non est, neque in Italiam venit, tametsi interim duo in Italia Imperatoris sibi nomen vsurpabant, & per tumultus concertatione fact, aliquoties inter se iusto exercitu pugnabant. Henricus autem, qui Germanici Imperij Maiestatem ad Saxones à Bauaris & Francis transferendam plus satis negotij in Germania habuit, singulari conatu ac summo studio interim suas res agere perrexit. Inter Eberardum hunc & Henricum tametsi magna discordia fuit propter Ducatum Boiaria, adeò vt cum exercitu profectus sit ad deuastandam Saxoniam, si Vrspergensis credi-

Anno Christi credimus Abbati, scribere tamen ausus est Saxonicus ille Carion, de fratre Conradi Euerardo hæc verba: Cæterum moriturus iá Conradus, accersito fratre suo Duce Eberardo, mandauit, vt Imperiale diadema ad Henricum Saxonum Ducem deferret: nam hunc existimabat dignissimum Imperij administratione. Hortatus quoque est Eberardum (vt inquit idem Carió) principem summa diligentia, vt bello, quod aduersis Henricum Saxonem susceperat, finem imponeret, ne scilicet Franci superstites adhuc è stirpe prorsus interirent. Nam satis considerare se fortunari res Henrici diuinitus. Huic cõsilio paruit Eberardus dux, vltrò & trãslata ad Henricum corona, & firmata vt inq; pace, fidum se postea Henrico præbuit. Atque hac occasione contigit, vt Imperium scilicet à Caroli posteris ad Saxones sit translatum. Hæc ille.

Verùm quomodo conueniant verba hæc cum ijs, quæ alio in loco profert Carion dicens: Primi tumultus autores fuerint Eberardus Palatinus, & Gisbertus Loharingiæ Princeps. Hi, quod ex posteritate Caroli & Francorum erant, contendebant successionis iure Imperium à Saxonibus ad Francos deriuare, & vt conatus illi plus iuris habere viderentur, pertraxerunt (inquit) ad Henricum fratrem Ottonis natu grandioem, eo

Nota

pætex-

prætextu, quòd ætatis nomine ipsi deberetur administratio Imperij, & nõ Ottoni. Duxit hoc bellum cum palatino comite Eberardo, & Duce Giseberto annos sex & plurimę in eo pugnæ commissę sunt: vltimò pugnatum est contra hostes apud Andernacum conflictu grauissimo, in quo palatinus Eberardus occubuit, & Dux Gisebertus inter fugiendum in Rheno submersus est. Hoc non est transferre coronam Imperij vltrò ad Saxones, sed iure belli eam sibi potius conseruare, & meritò, nam Eberardus fuit Ludouici Imperatoris ex fratre nepos, & Conradi Imperatoris, quem Otto Henrici Aucupis, pater prætextu Luthardæ VVernheri sororis in suam potestatem siue tutelam post mortem dicti Ludouici Imperatoris ac fratris eius VVernheri, quem malè Carion Cõradum appellat, accepit, & interim suas res procurauit potius, quàm vel Cõradi, vel Eberardi fratris eiusdem Conradi. Sed de Eberardo filio VVernheri, nepote Imperatoris Arnolphi, quidem hactenus, qui 7. vt dictum est, in ordine fuit inter 22. illos, qui à CaroloMagno recta linea descẽdendo computantur vsque ad Ernestum Bauarum Imperij Electorem. Anno Christi

viij. ARNOLDVS.

ARNOLDVS filius Eberardi patrem insecutus Imperatoriam dignitatem sibi succes-

Anno Christi

cessionis iure debitam etiam nulla ratione à Saxone Aucupe Henrico sibi auferri voluit: licet idem Carion, vel potius Philippus Melanthon, cui illud chronicon tribuunt nonnulli, Saxo VVittembergicus causam Bauariæ Ducis huius Arnoldi deprimés: Henrici verò Aucupis econtrario studium ad nouiter acquisitum Imperium retinendum extollens ita dicat: Porrò Germanicũ regnum nunquam ferè caruit seditiosis tumultibus: nunquã propemodum designatus Cæsar est sine seditione quorundã Principum, qui Imper. nomen rapere vellent. Interim tamé semper adfuit Deus ritè vocatis Cæsarib. & tutatus est legitimi Imp. auctoritatem, & vindicatum est in seditiosos. Dux Bauariæ Arnoldus (inquit) opposuit se Henrico, qui arcédę iniurię causa profectus est cum instructis copijs aduersus Bauaros, sed nihil hostiliter tẽtãs. Postulauit Arnoldũ ducé ad colloquiũ familiare, eõtulit cũ eo sermones, & monuit seriò Imp. Maie. à Deo donari, quod si reliquorũ Principum suffragijs Cæsar eligeretur, tũ se vltrò cessurũ, & sub eius ditionẽ submittere se primũ omniũ paratũ esse. Retulit hęc (inquit) Arnoldus Dux ad suos, à quib. responsũ (ait) videri palã à Salomone verisimè dictũ esse (allegat Melanth. Saxon. Theol. cap. prouer. 22.) de sapiẽtia: Per me reges dominãtur. Et cũ appareat satis, sapiẽtia & comitate sum-

sūma præditū esse Henricū Deū haud dubio adesse ei, proinde ab incepto porrò desisteret, neq; moliretur amplius aliquid in Henricū. Quieuit itaq; Dux Arnoldus, & sine cæde suorū vltrò paruit. Hæc ex Abbate Vrspergensi habere videtur, qui dicit: Eodē tēpore Arnoldus Dux cū vxore & filijs ab Hūgaria rediēs, honorificè à Boiarijs recipitur, & nō solū suscipitur, sed etiā vt rex fiat vehemēter ab eis exoratur. Rex aūt Henricus, cùm inter omnes regni principes sibi obtēperātes Arnoldū solū resistere cerneret, collecto exercitu prævalido in Boiariā tetendit, eumq; in vrbe quadam obsedit, qui se regi nō sufficere resistere perpēdēs, portis apertis egressus est ad regē, tradens semetipsū cū omni regno suo: & honorificè susceptus ab eo, amicus regis appellatus est. Alij scribūt, quod nō præstolatus sit aduentum regis Arnoldus in Boiaria, sed collectis quib. potuit copijs obuiā ei processit ad pugnā. Cumq; in eo esset, vt pugnā inire deberent, rex Henricus, vt vir sapiens, ac Deum timens, Arnoldo, vt solus cum solo loquatur, denunciat, qui putans se acciri ad singulare certamen, ad condictum solus peruenit. Quem Henricus vt erat prudens animo & potens eloquio, prudenti sermone alloquitur, imputans ei cur Dei ordinationi resisteret, cùm se ab omni populo electum sciret, quod, nisi solo Deo disponente non fieret; Anno Christi

Anno Christi

fieret: affirmans, quia si populus æquè illum communiter eligeret, se fore, qui primus in eius electione acclamaret: sicque copioso dicēdi genere animum eius demulcēs, ad suos redijt. Arnoldus quoque rediens ad suos, indicauit eis Henrici sermones, qui dixerunt, esse quod audiret sapientiam per Salomonē dixisse, per ipsam scilicet Reges regnare, & prudentes iustitiam discernere. Neq; enim in electiōe eius totius populi animūfieri vnū nisi hunc à Deo constaret electum: vnde sibi æquum bonumque videri, vt à cæteris non dissentiens hunc regem eligeret, ea tamen conditione, vt sibi hoc quod decessores eius non habuere, concederet, scilicet vt totius Boiariæ Pontifices suæ potestati subiacerent, vnoque defuncto, alterum sibi ordinare liceret. Conniuens igitur huic suorū consilio, miles Henrici efficitur, & ab eo, vt dictum est, concessis totius Bauariæ pontificibus honoratur.

Hic est Arnoldus ille, super cuius denotatione Sancto Vdalrico Episcopo, vt in libro gestorum legitur, ostensus est gladius sine capulo, quo phātasmate significari dicebatur, non vsurum Ducem Arnoldum gladio, hoc est Imperium retinere non posse. His & similibus Henricus Auceps Saxo Arnoldū Principem, monuit, ne quid imprudenter tentaret, verùm quod ipse non fecit, filij eius facere ten-

retentauerunt, præsertim cùm viderent Hericum Saxonem patrem, huiusmodi persuasionibus ab Imperatoriæ dignitatis successione, sub prætextu electionis remouisse, eosque auita Maiestate in Imperio succedendi iure priuasse. Anno Christi

Scribit de hoc duce Luitprandus Ticinensis libro 3. Chronicorum. Arnoldus (inquiens) Boiariorum & Carentanorum Dux, cũ non multum ab Italia longè distaret, collectis copijs, quatenus Hugoni regnum auferret, aduenit, qui Tridentinã ea in parte marchiam pertransiens, Veronam vsque peruenit, in qua à Milone Comite atque Ratheno Episcopo libenter, vt qui eum inuitarant, susciputur. Quod Rex Hugo vt audiuit, collecto exercitu ei obuiam tendit: cumque eò peruenisset, & Caballicas (vt vulgò aiunt) circumcirca dirigeret, Boiariorum quędam pars non minima de castro vocabulo Gauseningo egrediens, cum Italiensib, pugnare cœpit. Et subdit: Arnoldus verò quò citius potuit, in Boiariam est regressus: Munitionẽ autem, quæ in eadem ciuitate erat, prius oppugnans, fratrem Milonis, militesq; eius, qui eam defendere conabantur, secum in Bauariam duxit. Hæc ille.

Habuit Arnoldus siue Arnolphus hic 2. fratres Berchtoldum & Eberardum. Berchtoldus ab eodem Arnolpho Boiariæ Duce germa-

Anno Christi

germano fratre Carnis præfinitur, qui postea vocatus ad Boiariæ principatũ ab Henrico primo Cęsare, in Altarcho sepelitur, Boiariæ cœnobio, relictis duobus filijs Henrico & Berchtoldo fratribus, quorum ille patri in Ducatu Charinthiæ succedit, ab Ottone primo Aucupis filio confirmatus, contra quem postea cum Henrico Boiariæ Duce, & Abrahamo Frisingensi Episcopo cùm cõspirasset, apud Batauiam capitur, & proscriptus, Treuirorum Augustam in exilium ablegatur, cuius mortui tamen cadauer relatum in Boiariam Altarchij iuxta patrem humatur; ille autem scilicet alter frater, Berchtoldus primus Vogburgẽsis Marchio, limitis Septẽtrionalis Boiorum principatus, præficitur. Pater huius Berchtoldi, Bertholdus eodem nomine appellatus ex Duce Carentano, mortuo Eberardo, ab Ottone primo in Boiariæ Ducem inauguratur, quippe filij Arnulphi siue Ottoni contumaces, dicebantur causam dedisse, scilicet Henrico primo Imperatori, vt ducatum ab his primo in Eberardum fratrem transtulerit. Deinde Otto quoq; filius eius, ijs prętergressis, Bertoldo patruo filiorum Arnolphi, & eo Bertoldo extincto Hẽrico fratri Saxoni ducatũ concesserit, quod Abbas Vrspergensis his verbis testatur verũ esse. Nã cessantibus, ait, bellis externis, ciuilia oriri cœperunt. Mortuus

tuus est quippe Arnoldus Dux Boiariæ, & filij eius (de quibus postea dicemus) superbia (inquit) elati contempserunt ire in Comitatum, cuius Ducatum rex dedit fratri eius Berchtoldo, quem Arnolphi siue Arnoldi Ducis fratrem, virum strenuum, toto conamine fauisse regis partibus, idem Vrspergensis scribit, pergensque in describendis rebus ab Ottone primo gestis his verbis sic ait: Volens itaq;, vt quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lętitiæ præsentis fieret particeps, sequenti statim die, vt de morte aduersariorum audiuit, quâta erga se Dominus fecerit, directis nuntijs ei aperuit. Anno Christi

Et cùm coniugati connubio minimè tenerètur, in augmẽtum lætitię, demandauit sub iuramento, vt si sororem suam, scilicet Giseberti viduâ posset habere, eâ coniugio illi copularet. Si verò hoc min⁹ procederet, filiâ ipsius Giseberti ex eadẽ sorore sua genitâ, quâ penes se habebat ferè iam nubilẽ ei iungeret: quo imméso est Berchtoldus gaudio affect⁹, elegitq; nondũ nubilẽ potius filiâ expectare, quàm matrẽ, quæ iam nupserat tollere. Eadẽ ipsa verba de hoc Berchtoldo Arnolphi fratre, scribit etiã Luitprandus l. 4 c. 18. ex quibus facilè apparet, qualis fuerit animus erga fratrem ipsius Arnoldum & filios eiusdem, quos regi fauens simul oppugnasse videtur, vt Ducatum Boiariæ, qui Arnolpho

maiori

Anno Christi

maiori natu debebatur fratri, consequeretur, filijs exclusis, quem tamen non diu possedit: mortuo namque Berchtoldo, anno scilicet 947. Otto primus Henrico fratri ipsius filio scilicet Henrici Aucupis ducatum cõmisit, qui tamen hæreditario iure ad Arnolphum eiusque filios spectabat.

947.

Cæterum Saxones illi, qui non solùm ad Imperium aspirabant, ab eo tempore, quo Henrici Aucupis pater Otto sub prætextu Lutgardæ vxoris Conradum Imperatorem fratrem Eberardi patris Arnolphi, de quo iam scribimus, gubernandum susceperat, verùm etiam Boiarię ducatũ sibi vendicabant. De Arnoldo hæc hominibus persuadere conabantur, dicentes: Arnoldus maior natu filius cùm altius spiritus efferret, ac ad Imperium aspiraret, contra Henricum Saxonem, quem Aucupem cognominant, exutus dominio ab eo fuit, qui tamen potentissimus princeps imperante Conrado, Eberardi fratre, ab Vrspergensi in chronicis suis scribitur, idque non immeritò, quia Arnolphus Imperator Ebererdo patri illius de quo nũc tractamus Arnolphi, fuit auus Ludouicus 3. Imperator eidem Eberardo patruus, & Conradus quem dixi illius eiusdem Eberardi frater, vt non sine ratione suum ius contra Hẽricum Aucupem, & patrem eius Ottonem cum patre iam dicto Eberardo defendere vide-

videretur, in defensione autem ad Hungaros transire coactus est, reuersus Henrico vltro se subiecisse, supra ex quibusdam nescio quàm probatis authoribus annotauimus. Moritur tandem Adolphus, & Ratisbonę ad S. Emerannum sepelitur, relictis post se 5. filijs, & vna filia, ex quibus prolibus masculis Arnoldus siue Arnolphus 3. stemma propagauit. Anno Christi

ix. ARNOLPHVS Iunior.

ARNOLDVS Iunior filius Arnoldi superioris, nepos Eberardi fratris Conradi Imperatoris, pronepos VVernheri fratris Ludouici Imperatoris, & abnepos Arnolphi primi Imperatoris. Hunc vt Saxones sibi conciliarent, atque bonis medijs eò adducerent, ne memor iniuriarum patri & auo factarum fortè ad Imperium quod prædecessores successionis iure obtinebant aspiraret, ita cũ eo tractasse scribuntur, vt Arnolphus hic Ottonis primi Imperatoris siue Cæsaris filiã Gerbergam in coniugem vnà cum comitatu & tractu secus Lycum amnem ab Henrico primo Cæsare, eiusque filio Ottone primo feudo acciperet, ac vicissim Ottonis 1. Cæsaris filius Henricus sororem Arnolphi Iuditham nomine sibi matrimonio coniungeret, insuper & Marchiã orientalem siue Austriam regeret. Verùm cùm Henricus Henrici primi Cæsaris, quem Aucupem cognominant ex

Anno Christi

Mechtilda filius, vt dictum est, Ottonis primi, Brunoniſque Archiepiſcopi Saxonis ac Gerbergæ Reginæ frater germanus, quod Iuditham Arnoldi ſecundi filiam in matrimonio habebat, Berchtoldo Duci in ducatu Bauariæ ſuccedere, fratreſque vxoris ſuę excludere, non tantum ab Imperij prærogatiua, verùm etiam ab auita Bauariæ poſſeſſione vellet. Boiarij qui ab Imperatoria dignitate, atque Ducatus poſſeſsione ſeremotos videbant, comitum titulo nequaquam ſe contentos eſſe reipſa oſtendebant. Relicto enim Henrico fratre Ottonis regis, iũcti ſunt Luitolpho filio Ottonis 1. cum quibus ipſe pergens, vrbem regiam Ratisbonam cępit, cum cæteris in ea regione munitiſsimis, omnemque pecuniam Ducis Henrici ſuis militibus diuiſit: coniugem verò eius cum filijs & amicis non ſolùm vrbe, ſed & regione excedere coegit. Hæc omnia fiebant conſilio Arnoldi huius iunioris fratrumque ſuorum, eò quod ipſe Henricus paternum haberet Boiariorum ducatum.

Et iterum alio loco: Rex ingreſſus Saxoniam, circa Calendas Iulij obuios habebat Legatos Hungarorum, tanquam ob antiquã fidem & gratiam eum viſitantes, reuera autem, vt quibuſdam videbatur, euentũ belli ciuilis conſiderantes. Quos cùm ſecũ aliquãtis diebus retinuiſſet, & aliquibus munuſculis do-

lis donatos in pace remisisset, audiuit Otto Rex à nuncijs fratris Henrici (qui se pro Ducegerebat Bauariæ, propter vxorem suam Iuditham sororem Ducis Arnoldi, quæ fœmina fuit egregię formæ, mirabilisque prudentiæ) quia ecce Hungari diffusi inuadunt terminos tuos. Chronographi memorant, Henricum Ottonis primi fratrem fuisse à sororijs suis Arnolpho & Hermanno pulsum, occupata Metropoli, vt diximus, Ratisbona, quem pater Otto 1. Imperator restituit, recepta Ratisbona, & Arnolpho in eruptione occiso. Anno Christi

Fratres huius Arnolphi fuerũt Heraldus Hermannus qui & VVernherus, Otto & Eberardus primus. Otto cum fratribus Arnoldo secundo, & VVernhero Ducatu Boiariæ ab Ottone 1. priuati, Scyrensem arcem palatinatus sedem maiorum suorum cum VVittelspachio, Dachouio, VVolfratzhusio, Bogen & Abensperga retinuerunt. De quibus iste Vrspergensis locus intelligendus est, cũ de annis Ottonis 1. Imperatoris loquitur. Mortuus est quippe Arnoldus (seniorem intelligit) Dux Bauariæ, & filij eius superbia elati, iussu Regis contempserunt ire in Comitatum, cuius Ducatum Rex dedit fratri eius Berchtoldo. Heroldus ex fratribus fuit Archiepiscopus Salisburgensis, Otto, & gener eius Chunradus, Hungaros in

Anno Christi

Boiariam adduxere, quòd spreta familia, Otto 1. Imperator fratri suo Henrico Ducatum Boiariæ contulisset,& quod Gerhardus Laureacensis pallium Archiepiscopalem ab Agapito Papa impetrasset contra Heroldũ, quem dixi Archiepiscopum Salisburgẽsem. Hermannus frater Arnolphi & Eberhardi est, de quo Ioannes Auentinus li. 4. Annalium hæc scribit: Arnolphũ, inquiens,& Hermannum fratris Eberhardi, curatores templi Fruxinensis,præfectos præterea Boiariæ declarat, quæ tum maxima dignitas secundum Regulum erat, Comes Palatinus vocatur. Is vicem Cæsaris præsidẽdo Senatui principali defungebatur: fidem Imperatoris implorantibus aderat, iusque reddebat, Fiscum Augusti, prædia Salica, redditus regios procurabat, Cæsareum censum exhibebat, nihil citra eius authoritatem, duci aut decernere aut statuere licebat: Si Senatusconsultum Reguli displicebat, intercedebat Palatinus, ad Cæsarem referebat. Arnolphus Scyram oppidum in superiori Boiaria, in pago Scyrorum (prosapia est Boiorum, haud dubiè nobilissima, tum magna, tum vetusta) condidit, vnde & posteri eius Dynastæ Scyrorum cognominati sunt. Hermannum hunc alij & VVernherum vocitant, cuius nepotem Rapotonem dicunt, & filios tres habuisse scribitur, quorum Babo lõga serie generatio

nerationes prorogasse per aliquot Ottones scribitur à nonnullis, qui Boiaricam Genealogiam potius obscurare, quàm illustrare videntur. Fuit Præfectus Marchię limitibus in Austria quidam Rudigerus cognominatus à Pachlarn oppido videlicet Marchię, quod adhuc superest hoc nomine in Austria patria mea. Hic eo tempore, quo Henricus Imperator cognomine Auceps Arnoldum patrem huius Arnoldi, de quo iam tractamus, Ducatu Boiorum priuauerat, Arnoldum seniorẽ ex officio feudiq; iure, eiusque filios, Arnoldum, Eberhardum & VVernherum, de quo supra, iuuit, propterea Cęsaris & ipse in se indignationem conuertit, limite pulsus, in exilio apud Hungaros, vbi & Arnoldus erat senior, in Pannonia moritur. Huius Rudigeri mentionem facit Ioan. Auentinus lib. Annalium Boiorum 8. sic scribens: Victor Arnoldus, vota pro victoria susceptа reddit. Boiariæ limites firmissimè munit præsidijs: fratrem suum Berchtoldum, Vẽnones & Athesinos administrare iubet, Austriæ infra Anassum, Rogerium, armorum Martisque studiosissimum, inclytum fabulis, Teutonum Carminibus, cuius & Metellus Tigurinus in Lyricis meminit, præfecit, Vgris opponit, nam & ante Vgros ea pars Norici, cum Pannonia pluribus vicis quàm vrbibus frequẽs fuerat. Carnis rectorem dat Sennonum Dy-

Anno Christi

Anno Christi

nastam. Cæteri Vgri, qui domi erant, quòd repulsi à Boijs, Franciam, Sueuiam, Saxoniã intrare nequibant, facto cũ Arnolpho & Boijs perpetuo fœdere, iram in Italos vertunt, ex quibus verbis apparet, Auentinum Italica externa pronunciatione, quem Annales Rudigerum appellant, Rogerium vocare: deinde liquet, hunc Austriæ fuisse præfectũ ab Arnolpho Iunioris Arnolphi patre, qui post Ludouicum Cæsarem, Cæsaris Arnulphi filium Boiarios gubernabat, de quo sæpius iam ante diximus. Verùm hæc de tribus Arnolphi iunioris fratribus quidem hactenus, sequitur de quarto, Eberardo nomine:

938. quem Eberardum extitisse Ducem Boiariæ circa annos Domini 938. testatur Diploma vetus à Leone Romanorum Pontifice missum, de renouatione Laureacensis sedis metropolitanæ, & Gerhardi Archiepiscopi restitutione. Egilolpho Iuuanensi, Isingrinio Ratisbonensi, Lamberto Frisingensi, & VVisundo Sebonensi Episcopis, vbi sub finẽ hæc verba legũtur. Præter hæc Eberardo Duci Boiariorum nostra autoritate iniũgimus, vt præfato Gerhardo Archiep. in omnibus auxiliũ præstet, vt suę Eccleśię status ac rectitudo & proprius vigor ad integrũ culmẽ, ac priscũ decorem suo iuuamine valeat pertingere, si Dei Omnip. & S. Petri etiã suorũ delictorum à nobis vult recipere remissionem.

Regi-

Regino Prumiensis demonstrans, quare contemptis filijs Arnoldi ducis legitimis hæredibus, Principatus Boiariorũ aliò sit translatus: Iterumq; Rex, ait, in Bauariam reuertens, omnes sibi subdidit: Et Eberardum Arnolphi filium plus alijs rebellem, in exilium misit. Quam historiam repetens quoq; Vrspergensis, Luitolphum filium Ottonis hos Arnoldi filios aduersus Ottonem 1. Imperatorem concitasse. Pater Arnolphus hunc Eberardum filium limiti Boiarico prę fecit, quo posterius proscripto, Boiariaque pulso, Ducatũ Bauariæ consequitur. Soror Iunioris Arnolphi fuit Iuditha, de qua supra diximus, eam scilicet in matrimonio fuisse collocatam fratri Ottonis 1. Henrico, vt hoc medio Ducatum sibi Bauariæ retinere possent, quẽadmodum Otto Henrici Aucupis pater interueniente matrimonio cum Lutharda Imperatoris Arnolphi filia sibi viam parauit non solùm Ducatum sibi Bauariæ vsurpandi, verùmetiã Imperium ipsum cõsequẽdi, adeò vt quemadmodum euentus postea comprobauit Auceps Henricus 1. Imperat. Otto 1. eius nominis Imperat. 2. Otto 2. tertius Imperator, & Tertius Otto quartus per ordinem Imperator siue Cæsar factus sit, neglectis & seclusis interim veris & legitimis hæredibus ac successoribus. Verùm Eberardus & Arnolphus 1. eius filius Henrico 1, se

Anno Christi

Anno Christi

strenuè oppoſuerunt, Arnolphus etiam iunior cum fratribus ſimiliter Ottoni primo reſtiterunt, omnemque lapidem mouerunt, ademptum illis ius recuperãdi. Quid poſtea etiam Arnulphi iunioris filij, Henricus & Cuno ſiue Conradus, itemq; Bertholdus cõtra Ottonem 2. & tertium eius nominis ex Saxonica familia vltimum Imp. moliti ſunt, ex ijs quæ ſequuntur, apparebit. nam de Arnolpho Iuniore Bauariæ Duce, qui ex 23. illis Bauariæ Ducibus, à Carolo Magno in recta linea vſque ad Erneſtum Imperij Principem Electorem computatis nonus eſt, hęc ſufficiunt: ſequitur Henricus in ordine Bauariæ Ducum decimus.

x. HENRICVS.

HENRICVS hic filius Arnoldi iunioris, Ottoni ſecundo Imperatori non minus quã pater & patrui illius Ottoni reſe oppoſuit, Vnde dicit Lambertus Schaffnaburgenſis, Anno 974. Henricus Dux Boiariorum, & Abraham Epiſcopus cum Boliſclaone & Myſicone, iñierunt contra Imperatorem prauũ cõſilium. At Imperator tali nephãdo comperto conſilio congregauit omnes principes ſuos, & quod inde faceret conſilium petijt, qui dederunt ei conſilium, vt mitteret ad Ducem Henricum & Poponem Epiſcopum, & Gebhardum Comitem eosque ad placitum inuitaret edictum, qui ſine dilatione

tione Deo donante dedit se in potestatem Imperatoris & subijcit. Anno 976. Otto Imperator perrexit ad Boariam, atque Henricum Ducem expetit, Ottoniq; Duci Boariam commendauit. Anno 977. Imperator cum magno exercitu perrexit ad Bohemos, & maximam partem terræ illius incendio concremauit. Ipse quoque Henricus, cũ altero Henrico inuaserãt Bozonuam. Quod Imperator, vt audiuit festinato exercitum illic mouit, vrbemque obsedit, & Hẽricum Ducem ad suam gratiam recepit, atque in Franciam perrexit. Anno Christi

Sequitur postea in eodem Chronographo: Anno 983. Otto secundus Imperator Romam post malè res gestas regressus, obijt ibidemque sepultus est. Henricus Bauariæ regnum inuasit. Bis autem eum ducatu pulsum legimus: primò quod cum Boleslao Bohemo, Miczcone Polono, Heroldo Dano, & Henrico Carinthiæ Duce fœdus inierit, ac obsequium Ottoni 2. detrectarit: quo tempore, substituto illi in Ducatum Boariæ Ottone Lutolphi Ducis Sueuiæ filio, Ottonis Imperatoris nepote in Carinthia exulabat. Cæterùm cùm paulò post Otto Dux, dum contra Saracenos Imperatori operam nauaret, moreretur, anno 983. Romæ ad S. Petrũ sepultus, post annos exilij sex, ab Imperatore in dignitatem restituitur.

Anno Christi

Rursus verò cùm Berchtoldi fratris Palatini Scyrensis cósilio Regem se Boiariæ vocasset, atque ab Abrahamo Fruxinensi Antistite Ratisponæ inunctus fuisset, denuò Principatu mouetur, captusque, Treuirorum Augustam in exilium missus est. vbi vsque ad obitum Ottonis 2. latuit. Obijt anno 990 cùm ex Gisala Conradi Regis Burgundiæ nepte, ex fratre sanctæ Adelheidis, Henricum Claudum Imperatorem suscepisset, de quo suo loco dicemus. Cùm Ottonis 3. pater, cui se Henricus opposuit, moreretur, ætate puer erat Otto vix dum annum duodecimum egressus. Proinde Henricus 3. Bauariæ Dux, de quo tractamus, seruandum eum Romæ curauit, & iterum cœpit Imperij possessionem sibi vsurpare. Eodem ferè tempore, quo Ottones Imperium à Bauaris ad se transferre studēt, & ex vna parte Caroli Magni stemma nobilissimum supprimere, vel potius delere conātur, celebratur etiam in Gallia contra Ludouicum legitimum Franciæ ex Caroli Magni stirpis vltimum Regem Remense Concilium, quo stemma Franciæ ad Hugonem Capetum, prorsus alienum à prosapia Carolina defertur. Atque vt idem in Germania fieret, Otto tertius Institutionem Principum Electorum procurauit, & in hoc Brunonem Saxonem cognatum suum Pontificem creauit,

990.

auit, qui post adeptum Papatum Gregorius quintus est appellatus, à quo etiam Imperij coronam accepit. Hic vbi cõsideraret perpetuò æstuare Bauaros à Carolo Magno descendentes, recuperandæ, atq; à Saxonica gente iterum ad se transferendæ Imperialis Maiest. cupiditate, effecit per Saxonici sanguinis Pontificẽ, ne amplius Iure successionis, vt antea factum erat, in Carolina prosapia: sed electionis sanctione potius Imperij dignitas concederetur. Quare Princeps Otto eum honorem, vt Saxo sibi meritò deberi putauit, cùm alioquin longè maximus tum fuerit Ducatus Saxonicus: Succesit princeps elector Brandeburgicus, nam Brandeburgum tenuerunt tunc Saxonici quoque principes cognati Cæsaris Ottonis 3. & facilis coniectura est, fauisse Ottonem impensius hisce regionibus, quàm vel Bauariæ, vel ducatibus reliquis. Et quia Bohemia propter vicinitatem & situs cõuenientiam naturæ Saxonũ magis congruebat, quàm aliæ dítiones lõgius inde disitæ, vt vel Austria, vel Bauaria, vel Sueuia, aut Francia, ideo delegata est authoritas constituendi Romanum Cęsarem etiam Principi Bohemię, nam tum Regem adhuc Bohemi non habebant. Ac ne omninò ex genere Caroli Magni principes excluderentur, decusque hoc apud Saxones tan- Anno Christi

Anno Christi

tantum esset, palatinatui hæc quoque prærogatiua electionis contigit, atq; ita quatuor Electores constituebantur in secularibus. Cæterum vt concordia seruaretur in Electione, religionis etiam causa Ecclesiastici tres Principes retinebantur Moguntinus, Agrippinensis, & Treuerensis Archiepiscopi, Electorumque septenarius ita implebatur.

Contigit autem præter omnem spem Saxonicorum, vt à primis Electoribus constitutis, primus Imp. Electorum principum cominus suffragijs designaretur superioris Hẽrici filius, Henricus Bauarus cognomento Sanctus, qui nequaquam fuit filius Henrici, quem Hezel appellant, is enim Hezel frater fuit Sanctæ Cunegundæ, & non Henrici qui frater fuit Ottonis Saxonis filius. Redijt itaque Imperatoria Maiestas etiam iure Electionis ad Bauaros, apud quos antea erat iure successionis, nec aliud restabat, quàm vt etiam auitam Bauariæ successionem recuperaret.

Patruus igitur huius Imperatoris Cuno qui & Conradus ab Auentino appellatur, eam recuperasse videbatur. Verùm accusatus ab Henrico tertio Imperatore, dominio exutus apud Marchionem Austriæ in exilio fuit. De quo Abbas Vrspergensis scribit. Cuno Dux, ante Noricorum ab Imperatore

peratore (intellige Henrico 3.) expulsus in Pannonia exulauit. Et quare hic Chuno exauctoratus ab Henrico 3. Imperat. pulsus sit ex ducatu Boiorum filio Henrico 4. substituto refert his verbis Auentinus libr. Annalium Boiorum quinto. Dum itaque per annum in Italia moratur, fortuna sæuire cępit, atrocissimum q; scelus in Boiaria occultè succreuit, amicissimi, sanguine proximi: nempe Gebhardus patruus, Episcopus Reginburgen. quod templum D. Hameranni in libertatem, excusso iugo pontificio, vendicatum, sibi præreptum esset: VVelpho Carnorum Dux, cæteri Boiarię proceres Episcopi, puerum quinquennem regem ignarum omnium, qui monitore & præceptore egeat, & alium sibi regem quęrat, sibi impositum esse, permolestè patiebantur. Anno Christi

In gratiam ergo cum Chunrado profugo redeunt, eum Regem Boiorum clandestino conuentu salutant, aduersus Augustum conspirant: ipsum si in Boiariam rediret, insidijs tollere, Chunradum ex Vngaria accersere, Boiariæ regno præficere decernunt: verùm Chũradus morbo correptus in Hũgaria mortuus est. Porrò Chuno pulsus Ducatu fuerat, quod ciuile bellũ in Boiaria cum Gebhardo Episcopo Ratisbonensi Imperatoris patruo susciitasset, Parckestein oppido Nanses occupato, quamobrem vocatus

Anno Christi 1052. catus VVormatiam, ab Henrico 3. ad dicendam causam, cùm non comparuisset, priuatur Ducatu anno salutis 1052. Exulabat autem apud Andream Regem Hungariæ, & Albertum Marchionem Austriæ: nouissimè adortus Carinthiam Henspergam Castrum ad ripam Mnere fluuium asylum exstruxit, quod Chunone mortuo anno 1059. 1059. Henricus 3. Imperator, & filius eius cognominis, tum Dux Bauariæ, deficientibus præsidiarijs defecerunt, atque solo æquarunt, manet adhuc nomen monti, in quo fuerat illud sub Gratzio, quem incolæ vulgò den Hensberg vocant.

Dux igitur Bauariæ Cuno, qui post ducem Henricum Ducatui præfuit, præsidio & conspiratione Hungarorum fretus, oppo suit se Imperatori, conabatur enim hac via regni successionem ad se transferre, sed victis à Cæsare Hungaris, explosus Bauariæ Dux, totam ætatem suam in Vngaria transegit. Dicit Carion, Bauariam interim sine Duce fuisse & gubernatore: verùm contrarium ex ijs apparebit, quæ paulo post dicentur. Neque enim & hoc verum est quod de 1034. Conrado 2. dicit his verbis: Anno 1034. Rudolphus Transuirensis Burgundiæ Rex, cũ annos 30. in Burgundionum suorum nutu regnasset, Regnum Conrado 2. Sancti Henrici Imperatoris filio dat.

Hen-

Henricus namque qui postea ob continentiam vitę numero beatorum adscriptus est, & primus, vt dictum est, per electores ad Imperatoriæ Maiestatis fastigium sublatus fuit, de quo Vrspergensis inquit, Anno Domin. incarnationis millesimo primo Henricus 2. primũ dux Boiariæ, deinde Ottone 3 absque filijs defuncto, in regni prouectus culmine 88. loco ab Augusto regnũ accepit, & annis 23. mensib. 5. regnauit 11. annis sub nomine Regis, 12. nomine & dignitate Imperat. cum S. Cunegunda vxore filios non habuit, quippe qui, vt multi testantur, consortem regni Chunigundim nunquam cognouit, sed vt sororem dilexit. Henricus ex cognomine Herzel frater sanctę Chunigundis Imperatricis, à Sororio Henrico Claudo, cùm in Imperatorem electus esset, Boiariæ præficitur, & iterum exautoratur, quod cum fratribus suis Mosellanis principibus, Friderico duce, Theodorico Metensi, & Adelberone Treuerensi, itemq; VVelphone, qui sororem S. Chunigundis Irmengardem in cõiugio habebat, cõspirasset aduersus se, quod ex patrimonio coniugis, illorũ videlicet Germaniæ Babenbergens. Cathedram cõdidisset. Sunt qui illũ restitutũ fuisse scribant, sepelitur cum Maria coniuge in cœnobio Osterhouen, quod ipse ab Vngaris destructũ reparauit, olim ab Otiliõe principe, de quo

Anno Christi 1001.

Anno Christi

de quo supra diximus, sub Pipino Rege, à quo 24. generationes in recta linea numerantur vsq; ad Ernestum Principem Imperij Electorem: fuit enim Pipinus Rex Franciæ & pater Caroli Magni, à quo vsque ad Henricum fratrem Chunonis, & filium Arnoldi Iunioris computantur generationes decem.

Diximus antea Henricum filium Arnoldi Iunioris contra Ottonẽ 2. & tertiũ res suas pro recuperando iure sibi adempto satis viriliter egisse, præterea & Henrici fratrem Chunonem siue Chunradum, vt eum appellat Auentinus, contra Henricum 3. qui iam non ex Saxonica, sed Salica prosapia fuerat, concertasse. Sequitur iam Berchtoldus tertius frater & Henrici & Chunradi, qui fratri hẽrico, patri verò Henrici 2. Imp. ex domo Bauarica, Bauariam recuperãdi in signem diligentiam adhibuit, contra Ottonem secundum fratri assistens. Nam vt inquit Lambertus Schafnaburgẽsis anno Domini 955. Otto Rex Hungaros cum magno periculo sui, suorumque magna cæde prostrauit, in Lechfelt natali die S. Laurentij in quo etiam bello Dux Conradus, cum alijs est occisus. Henricus quoque Dux Boiorum obijt, qui ab alijs ideo Rixosus dicitur, quod Iuri suo cedere nequaquam, sed amissa recuperare voluerit, hunc Ottonis primi fratris 6

tris filium quidam æstimant, quem tamen Monsterus patrem Hērici Hezel perperam afferere ausus est, cùm Hezel sanctæ Chunigundæ frater, non autem pater Henrici sancti fuerit: alij hunc Hēricum seditiosum, & ab Ottone secundo priuatum D[illegible]tu Bauariæ scribūt, quibus & ego assen[illegible] tamē hic seditiosus dici possit, qui Ius a[illegible]d, sibi iure belli recupare vel retinere conatur, & si hoc iustum æstimatur, alium suis dignitatibus, & auitis bonis ac possessionibus priuare. Institutus quidem est Bertholdus frater vtriusq; & Conradi, & Hērici Bauari ab Ottone secundo Aduocatus Fruxinensis Episcopi, sed hac ratione fratrem à fratribus separare non potuit, quin hic Berchtoldus vnanimiter cum Henrico & Conrado, Ottonem secundum oppugnauerit. Hinc factum est, vt ab eodē Ottone proscriptus ea propter in exiliū pulsus sit. Sunt qui ab hoc Berchtoldo Scyrensium Comitum genealogiam deducunt, per Babonem, quem filium huius Berchtoldi asserunt, ab nescio quibus Ottonibus vsque ad octo vel septem per ordinem Ottones progrediuntur, hoc modo: Babo filius Berchtoldi genuit Ottonem primum, & Babonem primum Comitem ab Abensperg, Otto Babonis filius, ab Henrico 3. in præfectura prætorij Boiarici confirmatur, à quo & Dominium Kelhaimense impe-

Anno Christi

Anno Christi

trauit. Genuit verò Ottonem 2. Abbatem S. Michaelis prope Tridentum, Ekardum 1. & Arnolphum 1. Comitem à Dachavv. Otto 2. ex Hacziga Regis Arragonum filia tulit Ottonem 3. Bernhardum & Eckardum 2. fundauit Viſchpachiũ, cuius cœnobij monachos poſteri Scyram tranſtulere. Otto 3. primus arcem VVittelſpach cõdidit, à quo alumni generis illius cognomen quoque ſortiti fuere. Cum VVelphone Boiariæ duce ſub Henrico IIII. (de quo paulò poſt dicturi ſumus) profectus Hieroſolymam, ibidem obijt, cùm ex Richarda coniuge filia magni Saxoniæ ducis, ſorore VVilphildis, quæ Henric. 8. Superbo nupſerat, Ottonẽ 4. Vdalricũ & Ludouicũ reliquiſſet. Eckardus Ottonis 3. frater germanus, vulgò mit dem Pundtſchuch cognominatus, ab euẽtu quodã egregij facinoris in Paleſtina editi, ſuſcepit Papatonẽ. Otto 4. 3. filius, autor cœnobiorũ Enſdorff & Vnderſtorf, ex Helyca vxore genuit Othonẽ Boiarię ducẽ, Chunradũ, Moguntinum & inde Salisburgen. Archiſlaminem, Othonẽ iuniorẽ, & Fridericum cognomento Bardum. Otto 6. frater Ottonis ducis Boiariæ, qui Friderici 1. Imp. (de quo etiã poſtea dicturi ſumus) ſignifer & præfectus aulæ fuerat, ex Benedicta filia Mãgoldi Veringen. Comitis, Ottonem tulit Philippi Cæſaris interfectorẽ, poſtremum Palatinũ.

Atque

Atq; hæc quidem vna deductio genealogię Scyren.comitum. Alteram adiungã, vt vna ad alteram cõparata, ac bene discussa & examinata, meã, quam hactenus prosequor, du cum Bauarię genealogiã, vel confirmet, vel ex duabus illis altera perimat alterã, vt propter discrepantiã neutri sit fides adhibẽda, cùm in illis nulla vel temporũ, vel personarum, vel locorum etiã atq; authorum ratio adhibeatur: nostra autem deductione prosapiæ Ducum Bauariæ, tria hæc obseruata sunt hactenus atque in posterum diligenter etiam obseruabuntur sed ad propositum. Anno Christi

Alij sunt, qui Babonẽ antea dictum, nõ à Bertholdo, sed Vvernhero germano fratre Arnoldi Comite Palatino Scyrensi, tanquã filium à patre procedere, qui (vt inquiũt) 2. filios reliquit, vnde tres nobilissimæ comitum prosapiæ in Boiaria exortæ sint. A Babone videlicet Comites de Abensberch: ab Ascouino comites de Bogen: & ab Ottone comites Palatini Scyrenſſes & Vittelspacen. Ottonem 2. hoc nomine comitẽ Palatinum Scyrensem, ex Tutta Comitissa de Nassau quatuor rursus filios reliquisse, vnde rursus 4. celeberrimæ aliæ Boiariæ comitũ stirpes primordia acceperunt à Rapatone, comites de Hohẽvvart: ab Arnoldo, comites de Dachav: ab Ottone comites de Vvittelspach & Scyrenſes: ab Eckardo duces Bauarię quidã.

Anno Christi

Eckardus, non ille quem ex cognomẽto mit dẽ Pundtschuch appellãt, sed alterquidã ab Ottone 2. Henrico Hetzel duci Bauariæ proscripto, in ducatu substituitur, licet annales alij, hunc Ottonẽ alio vocabulo vocent. Rapato cũ fratre Gebhardo Episcopo, fundarunt cœnobium Thierhaupten, secus Lycum amnem. Diepold' Rapatonem filium, genuit, qui vnà cum Sigefrido antistite Augustano destruxit castrũ Sibenaich ad Vindam amnẽ positũ, anno salutis nostræ 1079.

1079. quo tẽpore Otto ille vixit frater Henrici, de quo hactenꝰ tractam', & postea plura dicturi sumus, vbi ad duces Bauariæ peruẽtum fuerit, qui post Henricum S. vsque ad eundem Ottonem, Hẽrici eiusdem sancti fratrem, & ab Ottone illo vsque ad tertium Ottonẽ ab eo Bauariam vsurparunt, donec tandem ab Henrico VVelphorum vltimo duce, ad Ottonem ante Imperat. Friderici I. præfectum Bauariæ ducatus postliminio ad veros hæredes redierit, à quibus per Ottonem Saxoniæ ducem ad Hẽricum Aucupem primum eius nominis Imperatorẽ ab initio, ducatus Bauariæ cum Imperatoria dignitate translata in exilio tamdiu permãsit. Reliquit verò Rapoto iunior Hemannũ Episcopũ Au-

1104. gustanũ an. Christi 1104. Otto nomine 4. Palatinus Scyrens. & Vvitelspacensis, ex Haczigaregina Arragoniæ, viduata ab Hermãno Castel-

Castellano Comite, tres filios procreauit, Eckardum secundum, qui ex Petrissa vxore Bernhardum & Ottonem tulit, comites in VVolfratzhausen: Ottonem 5. & Hartmannum præfectum Augustanum. Otto hoc nomine quintus, Comes Scyrensis & Palatinus de VVittelspach, ex Agnete Lotharingiæ Ducissa procreauit Ottonem 6. & Eckardū tertium cognomento mit dem Pundschuch, ab eo euentu, quod in Asia militans, sub Gotefrido Bolonensi, in inopinata Saracenorum inuasione, ad calceum erectum Christianos re subita collegisset, atque aciem restituisset: habuit (inquit) Saxonem vxorem, ex qua tulit 3. filios: Vdalricum, Ludouicū, & Ottonem septimum. Huius Eckardi trophęa cernuntur in tēplo Maurkirchensi prope Brunoniam: condidit oppidulum Reid in Norico ripensi, cui calceum illum iniectū insignibus indidit. Inter hæc duo loca Brunoniam scilicet & Reid, interiacet castrum Eyzingen, à quo Eyzingeri, qui ex Bauaria in Austriam migrarunt, nomen gerunt. Sed ad Ottonem septimum redeamus. Hic ex Haylca Comitissa de Lengenfeld 4. filios procreauit, Cunradum Salisburgensem Archiepiscopum, Fridericum & Ottonem octauum, & Ottonem magnum, præfectum Curiæ Friderici primi Imperatoris, à quo aduersum Henricum Leonem ex stirpe VVelpho-

Anno Christi

Anno Christi

phonum dux Boiarię restitutus, ac de nouo creatus est. Habes igitur eiusdē stirpis duas genealogias, quæ non parum inter se discrepant, nec per omnia etiam cum mea genealogia ducum Bauariæ à Carolo Magno vsque ad eundem Ottonē curiæ Friderici Imperatoris eius nominis primi præfectum, & vlterius deducta vsque ad Ernestum Principem Electorē Imperij Ducem Bauariæ, conueniunt, Bauarię legitimum possessorē: sed quia multi post Henricum 2. Imperatorem, ducatum Bauariæ ex concessione subsequentium Imperatorū, veluti Conradi 2. Henrici 3. Henrici 4. per vires occuparunt, de ijs paucis tractabimus, atque ita ab Ottone Henrici Ducis Bauariæ filio, fratreque Hērici 2. ad Ottonem perueniemus, patrem Ottonis illius, ad quem Fredericus Imperator, tanquā verum & legitimum hæredem, Ius & successionem illius Bauariæ ducatus ab iniquis possessoribus transtulit.

Sub quibus Principibus Ducatus Bauariæ ab Henrici 2. temporibus exulauerit, priusquam iterum ad veros hæredes redierit.

Dictum est antea quomodo Otto Henrici 1. Aucupis cognomento pater, occasione vxoris suæ Lutgardæ, quæ filia fuit Arnulphi 1.

phi 1. Imperatoris, se ingesserit in adminis- Anno
strationem Imperij Conradi 1. Imper. debi- Christi
tam, qui frater fuit Eberhardi, à quo hactenus genealogiam ducum Bauariæ vsque ad Henricum 2. Imp. deduximus, & quo pacto Ottonis illius filius Henricus 1. & post eum Otto 1. Otto 2. & Otto 3. Saxones Bauariæ duces ab auita possessione remouerint, ac vicissim sese Eberardus, & Arnolphus senior Hérico 1. opposuerint: Arnolphus aũt iunior cum fratribus contra Ottonem 1. rebellauerint, & post Arnoldum iuniorem, Henricus etiam dux Bauariæ, nõ solùm Ottoni 2. verùm etiam vltimo Saxonum Imp. Ottoni 3. pro auita possessione recuperanda molestus fuerit, donec tandem filius Henrici Imperat. ille Henricus sanctus & Imperij Maiestatẽ & ducatus Bauariæ possessionem obtinuerit, exclusis vicissim Saxonib. qui ab eo tempore, nec Imperatores, nec Bauariæ duces hucusque fuerunt amplius.

Verùm Henricus 2 anno 1003. Imperator factus, Ducatum Bauariæ auitum Henrico Hezel cõcessit, qui filium eiusdem nominis habuit Hẽricum, cui pari ratione ducatus Bauariæ obtigit. Post obitum autem Imperatoris Henrici 2. successit Conradus Imperator eiusdem nominis etiam secũdus, qui hoc ordine Ducatum alijs vsurpãdum tradidit. 1003.

Anno Christi

Primum fuit Henricus VVelf siue Guelphus, filius Rudolphi Comitis de Altorff, & Beatæ Comitiſ. ab Hohenvvard Boiariæ Epiſcopi, Ethiconis & Rudolphi VVelphonum Comitũ ab Altorff frater, ex conſtitutione legũ Francicarum, deficiente ſtemmate Boiariæ Principum, eo quod ipſe eſſet familiæ Adelfingorum, ab Cunrado Cæſare Boiariæ Dux deſignatus, licet ſtemma Boiaricum necdum defecerat, ſed Otto tum in recta linea deſcendẽs ſupererat, de quopaulò poſt tractabimus, quomodo is ad Bauariæ Ducatum, præteritus licet à Conrado 2. & filio eius Henrico tertio, peruenerit. Interim VVelſo ſecundus ex coniuge Imiſa, ſiue Irmẽgarda Comitiſſa à Glechberg Moſellana VVelphonem 3. Carinthiæ Ducem progenuit: & filiam Conizam ſiue Cunigundam Adonis Marchionis Aſtẽſis coniugem, vnde VVelpho 3. proceſsit, qui Ducatum Bauariæ in aliam familiam translatum, iterum recuperauerat. Porrò VVelpho hic, quia auxilio Erneſti ducis Sueuorũ Conrado 2. Cæſari obſequium detrectauerat, Ducatu Bauariæ priuatus eſt. Erneſtus enim & Catuli, qui etiam in Sueuia domini fuerunt rebelles, poſtquã Conradus in Italiam proficiſceretur, nouos iterum motus concitauit, ideoq; in regreſſu Conradi ab eo fugatus & cõfoſſus eſt, ducatũ donauit Conradus Herman-

manno Ernesti fratri, quem Gisela Regina Burgundica, quæ fuit ex posteritate Caroli Magni ab Ernesto patre Ernesti superioris susceperat, ac postea in matrimonium Conrado illi 2. Cæsari desponsata est. Ernestus igitur à Conrado VVelphoni I. immatura morte abrepto substituitur, sed quia in Cæsarem dominum suum conspirauerat, ab eodem mox priuatus fuit. Extat etiãnum adhuc eius tumulus, & Erkelgardis coniugis, quę erat soror S. Cunigundis Henrici 2. quẽ antea dixi, vxoris, in Rostal parochiali templo prope Noribergam, vbi quondam Castrum Boiariæ duces habebant. Henricus socer VVelphonis superioris, priuato Ernesto in ducatu Bauariæ suffectus est. Anno Christi 1024.

Postea succesit Cõrado 2. qui & Saliquus dicebatur, filius Henricus 3. Imper. cognomine Niger, qui sanctionẽ de Pontificia Electione tulerat, vt ea sine Imperat. permissu non fieret, quæ postea multas turbas motusque varios excitauit, de quibus hic locus non est scribere latius: nam ad eos propero Bauarię duces, qui præter eos, quos dixi, cõstituti sunt, veris hæredibus alijs exclusis, vt ante in Cunone siue Conrado, Henrici & Berchtoldi fratre duce Bauariæ contigit, qui ab Henrico 3. Imperat. ducatu priuatus, apud Andream Regem Hungariæ, & Albertum Marchionem Austriæ exulare coactus 1052.

Anno Christi

coactus est: quo mortuo, Henricus 3. Imperator, & filius eius cognominis 4. tum Boiariæ ducatum possederunt: Tum Conradus fratri Henrico, cùm ad fasces Imperij vocatus, quarti nomen suscepisset, in administrãdo Ducatu Boiarię succesit, vix quadrimus, sed cùm mox vitam cum morte mutasset, Agneti matri is ducatus ab Henrico 4. cõmittitur, quem quatuor non plures annos consilio atq; auxilio Augustani præsulis gubernauerat, & tædio laborum, odijque impatiens, in quod vocata fuerat à proceribus Boiorũ, eundem Ducatum præfecto curiæ suæ Ottoni Bauariæ duci tradidit atq; resignauit, de quo paulò post plura, si prius de Cõrado & Agnete eius matre pauca adiecero.

Conradus filius Henrici 3. & Henrici 4. frater germanus, à patre suo Boiarijs dux datus est, de quo Lambertus Schafnaburgensis,
1056. loquens de an. sal. 1056. Conradus (inquit) filius Imperat. Dux Boiariæ obijt. Ducatum eius Imperator Imperatrici dedit, priuato iure quoad vellet possidendum. Agnes Henrici 3. coniux, socer Guilielmi Pictauiensis & Aquitaniæ Principis, à filio Henrico 4. Cæs. fratri rebus humanis exẽpto, in Ducatu Boiariæ substituitur, cuius etiam rei Abbas Vrspergen. in suis Annalib. in hæc verba meminit, cùm Henrici 4. auspicium in Imperio describeret: Agnes (inquit) Imperatrix, mater ip-

ter ipsius Ducatũ Boiariæ susceperit. Ex quo facilè apparet, quomodo etiam post Hẽrici 2. Imperatoris Bauari, Bauariæ Ducatus apud exteros oberrans exulauerit, donec sub Ottone Henrici 2. fratre iterum postliminio sed ad tempus tantum reuerteretur: nã Bauariæ ducatum paulò post alij inuaserunt, veris hæredibus iterum exclusis, donec sub Friderico 1. Imp. tandem ad Ottonem Palatinũ Comitẽ de Vvittelspach redierit, & hucusq; sub Ducib. atque Imper. veris hæredibus Bauaria permanserit, vt ex sequentibus clarius apparebit. Sed ad Ottonem venio. Anno Christi

XJ. OTTO.

Otto ab Agnete, de qua dixi, viuente, in locum suum Boiariæ Dux designatur, & nõ immeritò, fuit enim Henrici in recta Bauariæ Ducũ linea positi filius, & Hẽrici 2. Imp. Bauarici frater: quem alij Saxonẽ fuisse verisimile putant, sed malè. Is ab Henrico 4. postea priuatur ducatu: vnde Lamb. Schafnab. Imperatrix, inquit, Ducatum Boiariæ post mortem Conradi filij sui, quãvsq; ad id tẽpus per scipsã administrauerat, Ottoni dedit, videlicet eum virum industriũ, & iuuãdis regni negotijs satis oportunum. Et iterum postea, cũ diceret Henricum quartum è tutela matris exemptum regnare cepisse: Ad vltimum ait, Coloniẽsis Episcopus communicatis cum

Eckber-

Anno Christi

Eckberto Comite, & cũ Ottone Duce Boiari orum consilijs, nauigio per Rhenũ, ad locũ, qui dicitur Sancti Suidberti, venit, vbi Rex erat. Idem quomodo in odium Henrici 4. ve nerit, & Ducatu spoliatus fuerit, his verbis ostendit.

Clarus eo tempore in Palatio & magnæ in Repub. authoritatis erat Otto Dux Boiariorum: sed sicut semper gloriam sequi solet inuidia, inuidentes ei plerique homines nequam, qui malitiæ suæ potentiamcius, atque immoderatam gloriam obstare quærebantur, sollicitè opportunitatem ad opprimendum eum quærebant. Itaque quendam Egenonem nomine, hominem ingenuum, sed omni flagitiorum genere infamatum, in necem exitiumque eius subordinauerunt. Is crimen aduersus eum detulit, quod se ad occidendum Regem precibus & pollicitationibus multis sæpenumerò sollicitasset. Atque in argumentum fidei gladium ostentabat, quem sibi ab eo in hos tam sceleratos nefariosque vsus datum adferebat. Si inficiaretur, paratum se quouis modo verbis suis fidem facere. Qua accusatione vulgata, si quis ratione communis commodi aliquando offenderat, omnes infensi infestiq; aderant, & iracundiam Regis aduersus eum inflammare, summa vi, summaque ope nitebantur.

Igitur Rex eum Moguntiam cum cæteris prin-

principibus ad colloquium euocauit, quòd delatum esset exposuit, negantique inducias in sex septimanas dedit, vt Cal. Augusti Goslariam veniens, obiectum crimẽ congressus cum accusatore suo, propria manu refelleret. Cùm in hæc verba discessũ esset, causari Principes de iniquitate conditionis ceperũt, nec æquum esse dicẽtes, vt homo nobilissimꝰ integerrimæ apud omnes existimationis, nec vlla vnquam sinistri rumoris macula cõtaminatus, manum conferre iuberetur cum homine sceleratissimo. Quod si quid ingenuitatis à parentibus accepisset, id per furta, per latrocinia, denique per omnia vitiorum probra iamdudum obliterasset. Ille tamẽ & indignitate rei efferatus, & Deo innocentiæ suæ teste & conscio fretus, cum quouis etiá indigno, & etiam per natales suos pugnare malebat, quàm tanti sceleris suspicione teneri. Anno Christi

Igitur die statuta ad proxima Goslariæ loca cum armata multitudine venit, missisque ad Regem nuncijs mandauit, si sibi tutò venire, si tutò causam dicere liceret, paratum se coram venire, & conditione quam principes regni æquam iudicassent, crimen, cuius insimulatus fuisset, refellere. Rex ad hæc atrociter ac acerbè respondit: Se nec in venié do, nec in causa dicenda pacem aut securitatẽ polliceri. Id solum expectare, vt iuxta con-

dictum

Anno Christi

dictum Goslariam cominus veniret: & si quid de innocentia sua præsumeret, cóserta cum aduersario suo manu æquissimo iudici Deo rẽ cõmitteret. Ni id faceret, se omissa legũ dissidentium simultate, relegato sentẽtia rũ certamine, pro conuicto confessoq; eum in tanti sceleris immanitate habiturum.

Relato ad Ducem hoc responso, nec tutũ, nec satis honestũ suis rationib. visum est his, qui rectè ei cósultum cupiebant, vt sic inflãmatæ aduersũ se Regis iracundiæ illudendũ se, vexandumque obijceret: quum sibi integris adhuc rebus, & crimine necdum probato, tutò coram venire non licuisset. Ita incisa spe veniæ, infectis rebus in sua se recepit: satius putans, quoad posset, armis salutem tueri, quàm ad exsaturanda hostium suorum odia, turpiter more pecudum iugulari.

Postero die Rex Principes Saxoniæ, qui propter priuatas inimicitias maximè inuisũ eum habebant, sententiam super eo rogauit. Qui eum tanquã manifesti criminis cõprehensum, reum Maiest. iudicarunt: & si caperetur capitali in eum sententia animaduertendum fore, decreuerunt. Illicò amici regis ferro & igne persequi eum, singuli pro virili portione aggrediuntur. Pleriq; etiã nec fide erga regẽ, nec studio erga Remp. nec vltione cuiusq; priuatæ iniuriæ, sed sola rapinarum cupiditate, arma contra eum capiunt.

Ita

Ita vndiq; laxatis, imò ruptis irarum habenis, omnes in eum irruunt, prædia eius & possessiones alias diripiunt, vastant, incendunt. Ministros eius, agrorumque cultores, si quos fors obtulisset, obtruncant, lacerant, iugulant. Sic postremò præter modum modestiam queira immoderatior debacchatur, vt nec ab Ecclesijs, nec templis, quæ ille propijs impensis Deo construxerat, hostilis sæuitiæ impetus temperaret. Deinde Rex collecto exercitu egressus extremam operi manũ per seipsum imposuit. Principes, quos ei consanguinitate vel alia necessitudine obnoxios nouerat, aut acceptis obsidibus, aut iureiurando, ne ad eum deficerent, obligauit. Anno Christi

Meminit Lambertus Schafnaburgensis huius Ducis exauctorati ab Henrico 4. cùm coniurationem Saxonum describeret: Ad vlt. Otto (inquiens) Dux quondam Boiarię seipsum Regi obtulit, quamdiu vellet in vinculis habendum, & omnia tanquã priori an. nihil actũ esset, pro arbitrio suo distribuenda, dummodo propinquorũ suorum, aut solo suarum partium studio in eam calamitatem deuenerat, deditione absolueret. & alio loco. Otto Dux (ait.) Boiariorum post integrum annum deditionis suæ, gratiã regis recepit, data vel Regi, vel his qui Regi pro eo suggesserant, non modica portione prædiorum suorũ. Et iterum: Rex consensit, vt duci

Otto-

Anno Christi

Ottoni ducatum Boiariæ repoſcenti, intra anni ſpacium, iuxta principum iuriſdictionem ſatisfaceret, caſtella verò ſua omnia ſine dilatione deſtrueret, ſed ea conditione, vt Saxones & Thuringi ſua quoque caſtella, quæ tempore regni eius exſtructa fuiſſent, pari modo diruerent: Cætera omnia, quæ in Gerſtingen pollicitus fuerat, fide integra exoluerentur. Cæterum cùm Henricus fidem hanc datam violaſſet, iterum à Saxoniæ principibus, ob Ottonem Bauariæ Ducatu pulſum, in Cæſarem conſpiratur. Idem Lambertus his verbis in Annalibus ſuis annotauit: Sed Epiſcopus Halberſtadenſis & Otto dux quondam Boiariæ, quorum potiſsimumcõ filio bellum adminiſtrabatur, efferatæ multitudinis animos ſalubri moderatione mitigabant.

VVelpho hoc nomine quartus (nam de 1. ſecundo ac tertio ſupra mẽtionem fecimus) in proſapia ſua Azonis Italiæ Marchionis filius, ex Cunegunda ſecundi VVelphonis filia, Boiariæ quondam Ducis nata, partim ex veteri lege Saliqua, quod eſſet de proſapia Delphinorum ſiue Adelſingorum, cui Boiariæ Ducatus (vt aiebat) debebatur, & quod maiores quondam in illa Prouincia rerum potiti fuiſſent, & quod exauctorati Duces ſuperioris Ottonis filiam (Elizabetham puto) in coniugio haberet, ab Hẽrico 4. Cæſare

Dux

Dux declaratus ſuam iterum in Boiaria tra- Anno
duxit proſapiam. Chriſti

Vrſpergēſis Abbas Chronographus Ottonis Boiariæ Ducis, de quo ſupra, fortunā commemorās, ita ſcriptum reliquit. Anno Domini 1071. Otto Dux Boiariæ ducatum 1071.
amiſit. Hic (inquit, rem ſimili quodā modo, vt antea Schafnaburgen. deſcribēs) vir ampliſimæ authoritatis, prudentia rebusque bellicis perpaucis erat cōparabilis, & in tanta apud vniuerſos primates excellētia habitus, vt Rex ipſum contra ſe in regni faſtigiū eleuari poſſe formidaret, ſi res ſua ſec⁹ cederet. Hinc peruerſitatis materiā arripiens quidam Egino mediocri natus loco, rebus admodum tenuis, audacia tamen & nequitia ſatis diffamatus, patrocinantibus quibuſdā regi fidelibus, curiā irrepſit, & magnum illū heroem, qui ſe nunq̄ nouerat, ſecum de regis nece tractaſſe, cōmentatus eſt. Seipſum etiā, vt mos eſt, poteſtati regiæ vadem obtulit, quouſq; Cāpionis duello cum Duce confligēs, vera comprobarētur, quæ retulit. Quid multa? Placitis vel colloquijs regalibus, vno Moguntiæ altero Goslariæ condictis, Otto cū Eginone, vtpote dux cū latrone, primas cū ignobili cōgredi contēpſit. Sua tamen innocentia, vel Eginonis improbitas minimè latuit. Sic Ducatum Boiariæ Otto, vt reus Maieſt. amiſit.

Anno Christi

Quem Vvelfo quidã illuſtris, & acer atq; bellicoſus, natu Sueuus, accepit, idq́ue tam principalis diſcordiæ ſemen inter eos, ſeu præliorum & ſeditionum, prædarum & incendiorum, & ſchiſmatum etiã & hęreſum, atq; mortuum lamentabiles fructus germinauit, atq; protulit. Meminit huius VVelphonis præterea Lambertus Schafnaburgẽſis. Anno Dom. 1071. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit, ibi per interuentum Rudolphi ducis Sueuorũ, Vvelfo filius Azonis, Marchionis Italorum, ducatum Boiarię ſuſcepit. Is filiam Ottonis ducis Boiariorũ vxorem duxerat, & per iuſiurandum, altera iam vice, matrimonio fidem dixerat: quamdiu itaq; res tranquillæ erant, quamdiu etiã bellum temere ceptum, ſine grandi permutatione rerum ſedari poſſe ſperabat, maritalẽ vxori affectum & honorẽ deferebat, & cauſam ſoceri (Ottonis Bauariæ ducis) quantũ poterat armis & conſilijs tuebatur. At vbi animaduertit, datam in eum eſſe ſentẽtiam, & bellum iracundiamq́; Regis magis indies aduerſus eũ increſcere, leges omnes, vinculaq́; omnia, quibus viciſsim propinquitatem firmauerat, abrupit: ſatius putans, periurij crimen & violatæ fidei verecundiam ſuſtinere, quàm res ſuas florẽtiſsimas, deſperatis ac perditis eius rebus admiſcere. Et primò in tam trepidis rebus petenti auxilium dene-

1071.

denegauit: Dein filiã eius à cõplexibus suis, & tori consortio segregauit, patriq; remisit. Anno Christi

Postremò ad ipsum eius Ducatum occupandum omnem operam impendit: nihil pensi habens, quantũ auri, quantum argenti quãtum redituum & possessionum suorum dilapidaret, dũmodo quod cupiebat assequeretur. Ad quod pertinent ea, quę paulò post sequuntur: Rex 11. Calend. Nouembr. iuxta condictum venit in Gerstuigum, venerunt omnes Teutonici regni Episcopi & Comites. Aderat Giodericus Dux Mosellæ regionis, aderat Gozilo dux Lutheringiæ, tantas habens copias, ita militaribus armis instructas, ita de tota cui prœerat regione seueriſsimo delectu habito exquisitas, vt solæ cæterum Regis exercitũ & numero & bellici apparatus gloria præcellere ac supergredi viderentur. Alij Duces, Rudolphus scilicet dux Sueuorum, VVelfus dux Boiariorum, Berchtoldus dux Carentanorũ, regi auxiliũ suum petenti denegauerunt. Huc pertinent quæ de VVelphone isto Vrspergens. Chronographus scribit. An Dom. 1096. Vvelpho Dux antej Noricus, qui ab Imp. iamdudum abiurauerat, & ob id ducatũ perdiderat, in gratiã eius redijt, ducatumq; recepit. Et iterum: Vvelpho Boiariorũ denuo Dux, filios suos & ipsos rebellare tentãtes, gratiæ Imp. recõciliauit, & vni eorum ducatum post se cõmittere impetrauit. 1096.

Anno Christi

VVelpho igitur quintus hoc nomine, & in Ducatu Boiariæ, si 1. adnumeres quartus, VVelphonis superioris filius ex Flandria coniugem habuit Mechtildim Bonifacij Mantuæ & Lucæ Comitis filiam, senior inter filios, mortuo patre accepit Ducatum Boiariorum, & tam curæ suæ largitate & honestate, quam finitimarũ gentium, maximeq; Italiæ bellis & honestatibus multa magnificè peregit. Denique omnibus bene impositis, morbo correptus, in villa Cufringẽ diem clausit extremum: & in Altorff deportatus iuxta patrem & matrem sepultus est.

Henricus frater ei in Bauariæ ducatu succedens, ob contumaciam & priuatam quandam simultatem à Conrado tertio Imperatore eodem ducatu priuatur. Accepit vxorem VVilfildim nomine, ex qua præter defunctos progenuit tres filios Cunradũ, Henricum, & VVelphonem: & quatuor filias, Iuditham, Sophiam, Mathildam, & VVulphildam: Iuditha nupsit Friderico Sueuorũ Duci, quæ Fridericum 1. Imperatorem genuit. qui quidem Fridericus Cæsar Ottoni ab hoc Ottone, de quo antea, scripsi in linea ducũ Bauariæ, auitũ Bauariæ Ducatum restituit, sed de intermedio Ottone dicamus, q fuit filius Ottonis, de quo diximus hactenus, & pater illius, de quo postea dicturus sum. Estaũt hic duodecimus in ordine, sicut

Otto

Otto filius huius tredecimus inter illos qui à Carolo Magno per rectam lineam deducuntur vsque ad Ernestum Principem Imperij Electorem. Anno Christi

xij. OTTO 2.

Otto secundus primi illius Ottonis, de quo antea dixi, filius, quem 7. hoc nomine quidam putant, quemq; ex Haylca Comitissa de Lengenfeld, 4. filios procreasse dicunt, in ea genealogia, cuius inter duas illas, mirè discrepantes à se inuicem, ante mẽtionem feceram. Hic fratrem habuit Ludouicum & Vdalricũ, quos tamen alij Eckardi tertij filios fuisse autumãt, cuius pater fuisset Otto, hoc nomine quintus, Comes Scyrensis & Palatinus de VVitelspach, qui ex Agnete Lotharingiæ Ducissa fuisset progenitus: alij verò hos eosdem Ludouicum scilicet & Vdalricum fratres, Ottonis illius esse dicunt filios, qui 1. Arcem VVittelspach condidit, cuiusque frater fuisset Eckardus ille tertius, quem antea nominaui. Ego verò hos duos Ludouicum, & qui additur, Vdalricum, fratres huius Ottonis 2. dico, qui Ottonem tertium, de quo paulo post tractabitur progenuit, quique sororem habuit, quam VVelfo quartus matrimonio sibi cõiunxit, qui VVelfum quintum genuit, cui in Bauariæ Ducatu successit frater Henricus VVelfo, cognomine Superbus, Hẽricus

Anno Christi verò defuncto patre, Ducatum eius est adeptus. Hic est Henricus ille, frater VVelphonis nouissimi, qui filiam Lotharij Imperatoris huius nominis secundi Gertrudim accepit vxorem, & nuptias cum ea apud Augustam ciuitatem, conuocatis ferè omnibus principib. magnificè celebrauit. Quo facto venit ad Imperatorẽ Lotharium, socerum suum, apud ciuitatem Nurnbergam, & ibi Ducatum Saxoniæ & omnia beneficia, quæ Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit, in beneficio suscepit, & ibidem pollicetur eidem Imperatori auxilium contra Conradum & fratrẽ Fridericũ, qui Frederici Imperator. primi fuit pater. Licet autem in Bauaria VVelpho hic Henricus haberet bellũ, relictis tamen in obsidione militibus, festinauit socero suo venire in auxilium. Imper. quippe Lotharius eo tẽpore obsederat Spiram ciuitatem, eò quod ciuitas illa faueret Friderico & Conrado Ducibus, ad cuius auxilium adduxit milites 600. quos tamen vltra Rhenum apud se prope collocauit, vt impetus & irruptiones Friderici ducis præcaueret.

Fridericus tamen Dux, vtpote vir armis strenuus, quadã nocte in castra ipsius irruit. Sanè Henricus præmunitus fuerat, armis & equitaturis instructus, quibus ad fugam illũ compulit, & ita fugiẽtem illum insequitur.

Deinde

Deinde mediante Moguntino Archiepiſcopo, Spirenſes in gratiam Imperatoris redeunt: caſtrum quoque Falckenſtain, quod obſidione cinxerat, à Duce Henrico in Boiariam regreſſo capitur. Non multò poſt Fridericus dux memor priſtinæ iniuriæ, Altorff & Rauenſpurg armata manu inuaſit: vbi quoſdam captiuauit, & villas circumquaque & Memmingem incendio vaſtauit. Anno Chriſti

Sequenti verò æſtate Henricus Dux cum exercitu copioſo fines Friderici ingreſſus, à villa Tuongẽdorff, quæ eſt in ripa Danubij, incipiẽs, & vltra Stouffen perueniens, omnia circumquaque in tranſitu, & in reditu incendio & præda deuaſtat. Poſthæc rediens in Bauariam, bella plurima peregit: videlicet contra Epiſcopum Ratiſponenſem, & Ottonẽ Comitem de VVolfratzhauſen. Hi quoque in auxilium ſuum habuerunt Luitpoldum Marchionem Oriẽtalem. Qui omnes congregato copioſo exercitu, caſtra iuxta Iſaram fluuium poſuerũt, ducem de finibus iſtis expellere conati. Cæterùm dux acies ſuas ordinauit econtrà. Cumque pugnam inire debuiſſent, Otto, de quo hic tractamus, ſecundus Palatinus de VVitlinſpach, conſiderans periculum vtriuſque partis, mediatorem ſe interpoſuit, & ſiue minis, ſiue promiſsionibus, ſæpe dictum Fridericum aduocatum, conſobrinum ſuum, &

Anno Christi

Ottonem Comitem generum suum ad hoc induxit, vt in potestatem ducis se traderet, & castrum VVolfratzhausen, quod milites Ducis dudum obsederant. Dux itaq; ipsum Ottonē Comitem custodiæ militū deputatum abduxit, & castrū cū ædificijs incendit.

Postmodum etiā Episcopus Ratisponens. circa Oenum fluuium ei in beneficio cōcessit: sicq; factū est, vt bella quiescerent in Bauaria. Hæc Vrspergensis de primordijs ducatus, liberisq; Henrici huius VVelphonis: Qui cum gener esset Lotharij Cæsaris, eius

1138. causam contra Cōradum Sueuū (inquit etiā Otto Frisingen. prę̄sul, qui eius temporibus vixit) ante Cę̄sarē nusquam non adseruerat. itaque mortuo socero, vt ad apicē Imperij Conradus solus conscendisset, memor iniuriarum veterū, hunc Henricū proscripserat apud Goslariā: & auxilio Marchionum Orientalium, aliorumque Principum, à Boiariæ finibus eiecerat.

Vnde scribit Otto lib. 7. Annaliū. Porrò Henricus Noricorum Dux, gener regis, per Thusciam exercitum ducens, summo Pontifici vsque ad Imperator. conductum præbuit. Et iterum: At Henricus Dux, cum militia Boiariorum Beneuentum cœpit, & Papæ restituit: nam apud Albā suburbia ciuitatis sibi resistere nitentis, ante expugnauerat atque destruxerat. Addit Vrspergen-

sis:

sis: Posthæc Imperator mouet expeditionem in Italiam, iam secunda vice, in qua expeditione præfatus Henricus (intelligit Boiariæ Ducem Henricum) 1500. milites duxit in Italiam, & cum Imperatore in citeriore Italia Gardum & Garistallú castra cepit, quæ etiam in beneficio susceptit. Et ité rum: cùm Lotharij mortem commemoraret. Anno, inquit, 1108. Lotharius Rex obijt in autumno sine filijs. Dux verò Henricus, in cuius finibus obierat, regalia reseruauit, vt in generali comitatu Principum, qui in proxima Pentechoste Moguntiæ condictus fuerat, præsentaret. Henricus autem solus ex principibus regalia reseruans aberat, ad quę reddenda in festiuitate Apostolorú Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratisbonæ. Quò veniés, regalia quidem multis illectus promissis reddit: sed tamen ea minimè consecutus, infecto pacis negocio sine gratia eius recessit. Cumq; multis modis homo præpotens, & animosus, sed nutu Dei humiliatus, misericordiam peteret, nec impetraret, tandem iudicio quorundam Principum apud Herbipolim proscribitur: ac proxima Natiuitate Domini in palatio Goslariensi ducatus ei abiudicatur. Reliquit hic Henricus, qui fuit Dux Bauariæ, præter fratrem Vvelphonem 6. & filium Henricum Leonem, qui postmodum per Fridericum Barbarossam Cęsarem

Anno Christi

1108.

Anno Christi restitutus est: duas filias, quarum vna Iuditha Friderico ab Hohenstauffen nupserat.

Hericus autem Leo superioris Herici exulis filius, extincto patre, Boiariam recepit, pro qua coram Friderico Imperatore, regni que proceribus diu contendebat, & ducatū Noricū, quem patri suo non iustè abiudicatum asserēs iure hæreditario reposcebat. Erat multa Frider. Imp. anxietas, qualiter controuersia, quæ inter eius carnē & sanguinē, id est Hericum patruūsuum & itidem Henricum auunculi sui filium, duces de Norico ducatu agitabatur, sine sanguinis effusione terminari posset. Fuit namq; Henricus iste Henrici quondam Norici Ducis filius, quē Conradus rex, vt antea dixi, Boiaria eiecit, ducatumq; ipsius, primùm Luipoldo, Marchionis Luipoldi filio, ac deinde fratri ipsius, huic Henrico concesserat.

Rex verò prædictam litem, iudicio vel consilio decisurus, vtrique autumnali tempore, mense Octobri, in ciuitate Herbipoli curiam præfigit. Quo dum alter, Henrici scilicet ducis filius, veniret, alter se absentasset, iterum & iterum vocatur. Ad prædictā curiam, prænominati Duces, ambo Henrici pro ducatu Norico contendentes, venerunt: sed altero, quod legitimè vocatus non fuisset, prætendente, debitum finem negotium ibi habere nō potuit. Proximo dehinc

mense

menſe Decemb. vtriq; duces, Henricus itidem & Henricus, in ciuitate Spira, principis adſiſtunt iudicio, ſed iterum altero de legitima vocatione ſe excuſante, res protelatur. Anno Chriſti

Itaq; Fredericus, dum iam fere per biennium ad decidendam litem duorum principum laboraſſet, tandem alterius inſtantia, qui in paternam hæreditatem, à qua diu pulſus fuerat, redire cupiebat, flexus, imminenti etiam ſibi expeditionis labore, in qua eundem iuuenem militem ſociumque vitæ habere debuit, finem negotio imponere cogebatur. Proinde Goslariæ curiam celebrans, vtroſque Duces, datis edictis euocauit. Vbi dum altero veniẽte, alter Henricus ſe abſentaret, iudicio Principum Henrico huic iuniori ducatus à Friderico I. Barbaroſſæ cognomento adiudicatur.

A quo quidẽ Friderico, in obſidione Mediolanenſi, Henricus hic nepos ſuus, perfidè ab eo (vt in Annalibus inquit Vrſpergenſis) receſſit, ſumpta occaſione de excommunicatione, & fortè accepta pecunia. Quem, vt referunt homines, ſecutus eſt Imp. & ad ipſum veniens ſuper lacũ Cumanũ cũ magna humilitate poſtulauit, vt ſe nõ deſereret, ita vt videretur pro tali petitione ad pedes ſe eius velle demittere, quod dux diſcretè recuſauit. Quidam autẽ officialis ipſius Iordan. Truyſes nomine, narratur ſuperbè dixiſſe;

Sinite

Anno Christi

Sinite Domine, vt corona Imperij veniat vobis ad pedes, quia veniet & ad caput.

Tunc Imperator compulsus, exercitum suum dimittere, cum magno labore, auxilio præcipuè Taurinensium & Nouariensium egressus de Italia, per montem Iouis tendés in Burgundiam, terram vxoris suæ, in quibusdam etiam locis adeò angustiatus, vt accepta tunica seruientis, seruum se esse simularet, & equos tanquam seruus procuraret: Tandem veniens in Alemaniam, præfatum Ducem Henricum de traditione & crimine læsæ Maiestatis impetiuit. Dux siquidem ipsum præueniens, in Sueuia fecerat conspirationem contra Imperatorem, & quibusdam comitibus.

Ast Imperator ipsum Ducem frequenter euocat ad curiam, ad obiecta responsurum, vbi quidam Principes & Barones fratres Ducis voluerunt, vt Imperator Ducem condénare non posset, vel terras suas abiudicare nisi infra terras Ducis placitum statueret. Porrò quidam nobilis assurgens in medium proposuit, quod lege duellionum, quæ & lege & ratione firmatur, hoc vellet obtinere cõtraquemlibet secum pugnare volentẽ: quod Imperator quemlibet principem posset euocare pro iustitia ad locum quemcunq; vellet, infra terminos sui Imperij existentem. Cumque nullus isti se offerret ad pugnam,

edicto

edicto Imperatoris præfata sententia pro iu- Anno re perpetuo statuta est. Christi

Cumque Imperator præfato Duci abiudi-casset suos ducatus, & alia bona, singula con-cessit, his quibus apta erant ad retinendum, sicque factum est, vt ducatum Noricum siue Bauariæ cõcederet Ottoni Palatino de Vvit linspach filio Ducis illius Ottonis secundi, de quo hactenus tractauimus, 12. scilicet in ordine eorum, qui à Carolo Magno vsque ad Electorem Imperij Principem Ernestum Bauariæ Ducem, inter 23. illos connumerã-tur: neq; enim recta linea Carolina extincta, vel interrupta, sed oppressa & obscurata po-tius fuit ab alijs.

xiij. OTTO.

Otto 3. filius Ottonis secundi, recupe-rauit tandem auitum Ducatum, quo varijs modis destituti erant veri eiusdem Ducatus hæredes, tam ab Imperatoribus Saxonicis, quam etiam ab alijs Imperator. qui Saxoni-cam progeniem non attingunt, vt ex præce-dentibus satis apparet: verùm vt Epilogi lo-co rem paucis repetam, & ea quæ hucusq; de Bauariæ Ducum Genealogia diximus lecto-ri altius imprimam, operæpretium esse du-xi, priusquam de hoc Ottone tertio plura di cam, Septem Imperatores recensere, qui an-te Henricum Sanctum eius nominis secun-dũ ab Arnulpho 1. vsq; ad eundẽ Henricum sibi

Anno Christi

sibi inuicem succesſerunt. Deinde septē quo que Imperatores, qui poſt eūdem Henricū Sanctum fuerūt, vſq; ad Fridericum, qui Ottonem, quem dixi 3. in Bauariæ Ducatū iterum reſtituit, à quo tandem vſq; ad Erneſtū Principem Imperij Electorem recta quoq; linea Duces Bauariæ deducuntur, quemadmodū, ea quæ poſthac dicturi ſumus, latius explicabunt: nunc ad Imp. qui ante Henricū 2. cognomine Sanctum Imperio præfuerūt.

DE SEPTEM IMPERATORIbus, qui ante Henricum ſecundum Cæſarem Ducem Bauariæ, præfuerunt Imperio.

ARNVLPHVS 1. eius nominis Imperat. & Dux Bauariæ, 7. autem ante Henricum 2. filios habuit Ludouicum Cęſarem & fratres eius VVernherum, Conradum, & Hunibaldum, atque filiam Luitgardam, quæ nupſit Ottoni Saxonici limitis præfecto, qui poſt mortem Ludouici aliorumque fratrum, Eberardo VVernheri illius filio filiam deſpōſauit, vt hac ratione tāto commodius ab eo, tanquam vero & Imperij & ducatus Bauariæ ſucceſſore, ſi poſſet, vtrumq; occuparet. Sed Eberardus frater Conradi 1. Imperatoris, ſuo iuri cedere nolens, ad arma venit, Ottoniſque Saxonici limitis præfecti filium Henricum 1. ad quem pater Otto Imperium transferre

transferre modis omnibus conabatur, oppugnat. Anno Christi

VI.

LVDOVICVS 3. Eberardi patruus sextus in ordine Imperatorum, qui fuerunt ante Henricum Bauariæ Ducem Cæs eius nominis 2. Hic Luitbaldum, cuius prosapię sit incertum est, ducem Boiariæ designasse scribitur, quem an. Dom. incarn. 907. dum Bauaricum Hungaris congrederentur, multaq; cæde fuissent prostrati, in hac congressione occisũ, filiosq; post se reliquisse referunt, inter quos ei Arnolphus in ducatu successisset: dicuntq; hũc eundẽ Luitbaldum fuisse, qui consilia communicauerat ad Alberti Babẽbergensis Comitis necem ac decollationem. Vnde in Annalibus Vrspergẽsis: Anno Domini 908. Adalbertus, inquit, perfidia cuiusdam Luitbaldi deceptus, Ludouico rege iubente, decollatur, & Bauari ab Hungaris interficiuntur. Dubium esse ait VVolfgangus Lazius Historicus, an Luiboldus siue Lupoldus iste filius Engelrici cuiusdam, vel vt alij autumant, Adelberti Comitis Bambergensis filius fuerit, interficitur vnà cum Ludouico Cæsare Arnolphi Imperatoris filio. Cuius Imp. alter filius Eberardus, quem dixi, frater Conradi Imperatoris, genuit tres filios Arnoldum, Bertholdum, & Eberardum. 907. 1003.

Cùm

Anno Christi

Cùm autem Luitbaldus ille duos quoq; filios habuerit, Arnoldo & Bertholdo cognominés, quidam Luitbaldum in locum Eberardi substituerunt, putantes ab isto Luitbaldo tres filios Eberardi, cuius auus Arnulphus Imperator, patruus Ludouicus ille 3. Imperator quoque, & frater Conradus 1. iti dem Imperator fuerant ex antiqua Boiorũ familia prognati, in quam miscendus nõ est Luitbaldus ille propter identitatem nominis duorum, quos scribitur habuisse, filiorũ, Berchtoldi scilicet & Arnoldi: nam & Eberardus æquè Arnoldum filium habuit, in recta Boiorum linea, qui sanè filius Luitbaldi illius nequaquã intelligi potest. Licet enim ab omnibus Chronographis, vt inquit Lazius, huic Luitbaldo magna laus tribuatur, quod Hungaros, euocatos per Arnoldum siue Arnolphum, fortiter vicerit, ex hoc tamẽ facilè colligitur, Arnoldum hunc ipsum nõ fuisse Luitbaldi, sed potius Euerardi illius filium. Quod hîc obiter indicare volui, ne quis error subrepat, æstimantibus hunc Leopoldum esse in linea Bauariæ Ducum recta collocandum: Id enim fieri non posse nec debere etiam propterea credendũ est, quod Imperator Eberardi auus, proauus autem Arnoldi filij eiusdem Eberardi, ex Agnete altera vxore Pannonia Hunibaldum tulit filium, qui alias Zuentebaldus dicitur, huius

pater

pater Marchiæ Boiorum præficitur circa annum 895. & filiam genuit, quę nupsit Engelrico cuidam ex Marchionibus Boiariæ, qui ab Oriente inter Oenum Anisumq; fluuios limites eius gentis seruabant. Hic Engelricus Huniboldi sororius, ab Arnolpho Imperat. sororio in limite quoq; Boiarico Marchio constituitur, aduersus Hungaros, quiiam copijs in Germaniam excurrẽtibus circa annum Dom. 895. interficitur ab Hungaris. Huius filius si Luitbaldus fuisse dicatur, tempora repugnabunt: sin verò Alberti Comitis Bambergæ filius æstimetur, natura reluctatur, quę non permittit, patrem à filio perfidè necari. Manet ergo Arnoldus siue Arnolphus ille. Eberardi, fratris Conradi Imperatoris, filius.

Anno Christi 895.

V.

Conradus 1. Imperator, frater Eberhardi & filius Arnolphi, 5. ante Hẽricum sanctum Bauariæ Ducem & Imperatorem, ab Ottone quem dixi Saxone gubernabatur ita, vt negotium suum eiusque filij Henrici 1. potius, quàm Conradi procuraret, quare post obitum Ottonis illius Saxonis, videns Conradus Henricum 1. ad Imperiũ aspirare, factum potentiorem ex bonis quæ pater Otto, ad se adtraxerat, illa bona ex parte iterũ ad se retrahens illi ademit, sed nihilominus effecit Henricus, vt post obitum dicti Con-

913.

Anno Christi radi fieret primus eius nominis Imper. qui Eberardum Córadi fratrem, quia sororem eius in vxorem habebat Henricus, fratrem appellauit, eiq; Ducatum Bauariæ reliquit, ipse verò Imperio præfuit.

IIII.

Henricus 1. idem 4. ante Henricum Imperatorem Sanctum, Ottonis Saxonici limitis præfecti filius, post obitum Eberardi, quem fratrem dixit, Bertoldo sororis suę ex Eberhardo filio Ducatum Bauariæ concessit, vt exclusis Arnoldo & Eberhardo, Eberardi filijs, Ducatum Bauariæ post obitum Berchtoldi filio suo Henrico, quẽ Rixosum quidam appellant, concederet, sicque Bauaros veros hæredes & Imperio & Ducatu priuaret, idque sub honesto quodam prætextu, quòd Henricus is filiam Arnoldi ducis nomine Iudith vxorem haberet. Verùm hac re minus contẽti fratres eiusdem Berchtoldi, Arnoldus & Eberhardus, Henricum oppugnarunt Imperatorem primum eius nominis.

III.

Otto Imperator eius nominis primus, tertius verò ante Henricum Sanctum, filius Henrici primi, volens ratificari quod ab eo constitutum erat, scilicet, vt Henricus frater ducatum Bauariæ possideret, illi verò Comitatum

mitatum duntaxat haberent, grauissimè re- Anno
stiterunt, putantes iniustum esse, sororis Christi
eorum maritum, fratribus illis præferri in ducatus Boiariæ ditione, cumque ex Vngaria auxilia contra Ottonem 1. adsciscerent iusque conseruare conarentur, proscribuntur, tanquam Imperatori inobedientes Principes, fitque hoc pacto vt successione quadã Otto 2. Bauariam occuparet.

II.

Otto 2. eius nominis Imperator, 2. etiam ante Henricum Sanctum in possessione ducatus Bauariæ sibi ius vendicans, Arnoldi iunioris filium Henricum contrarium habet. Hic enim tanquam pronepos Eberhardi, nepos Arnoldi senioris, & filius Arnolphi iunioris, quibus legitima Bauariæ Ducatus possessio debebatur, credere nolens Eberhardum proauum, & Arnoldum auum, ius in Henricum Aucupem suum vltrò transtulisse, patriqúe Arnoldo iuniori, ac fratribus idipsum vi quadam aufferri debuisse, Ottoni primo, atque alijs concedi, ad quos nequaquam pertineret, in præiudicium suum, incipit & ipse, auxiliantibus amicis quibusdam suis, ac fratribus, Ottonem secundum eius nominis Imperatorem oppugnare, suumque ius in Ducatum Bauariæ ablatum ac possessionem recuperare.

I.

Anno Christi 894. Otto 3. Imperat. eius nominis, & vltimus Saxonicæ prosapiæ, primus autem eorum, qui fuerunt ante Henricum Sanctum Imperatorem Bauarum, in retinenda Bauariæ Ducatus, & Maiestatis Imperialis possessione persequitur eundem quem dixi Henricum Arnoldi iunioris filium: verùm & hic eidé Ottoni viriliter resistit, adeo vt quantumuis Otto tertius eligendi Imperatoris statuta condiderit, præter spem tamen non Saxo, sed Bauarus à primis Electoribus in Imperatorem electus fuerit: nempe Henricus 2. eius nominis Imperator, postquam ab Henric. 1. ex 4. Saxonicis Imperatoribus illis in quartam vsque generationem Bauariæ Duces tanquam legitimi hæredes, & Imperatoria dignitate & auitum suarum possessionum hæreditate carere cogerentur.

De Henrico secundo Imperatore, Bauaricæ gentis.

1003. Henricus 2. eius nominis Imperator, filius Henrici superioris, nepos Arnoldi Iunioris, pronepos Arnoldi senioris, abnepos Eberardi fratris Conradi 1. Imperat. & abnepos VVernheri fratris Ludouici 3. Imperatoris, & trinepos Arnulphi 1. Imperator. non fuit filius Henrici illius, quem dicunt cogno-

cognomine Hezel, quia is frater fuit sanctæ Cunigundæ vxoris Henrici sancti Imperatoris, sub quo tanquam secundo, ius Imperij ac Ducatus Bauariæ redijt, quod ab Hérico 1. Bauaris ablatum fuit, & pro quo cõtra 4. illos Imperatores Saxones Henricum 1. Ottonem 1. Ottonem 2. & Ottonem 3. siue vltimum tam anxiè semper à Bauariæ Ducibus pugnatum est. Fingit hic Carion mirum sibi videri, canonicis Bambergensis Ecclesiæ genealogiam fundatoris sui certò compertam non esse. En genealogiam illius vide lector cãdide, ac potius mirare. Carionem illum hæc verba suis Chronicis inseruisse. Anno 1034. Rodulphus Transuirensis Burgundiæ Rex, cùm annos 30. in Burgũdionum suorum nutu regnasset regnum Conrado 2. sancti Henrici Imper. filio dat, cùm tamen Henricus ille filium nullum genuerit, sed cũ vxore Cunigunda castè ac piè vixerit, Germaniamque templis ac priuilegijs ornauerit, Hungaros ad Christianam fidem pertraxerit, & Stephano Hungariæ regi sororem in matrimonium tradiderit. 1034.

DE VII. IMPERATORIBVS, QVI post Henricum 2. Imperatorem, Bauarum successerunt.

I.

Conradus secundus eius nominis Impe- 1025.

Anno Christi perator, primus autem post Hericum 2. Imperatorem Bauarum, iterum de nouo Bauaricum transmigrare fecit ad alios. Nam VVelphones siue Guelphi, prætendentes lege Salica coram Imperatore Conrado Saliquo, sibi Bauariam deberi, obtinuerunt, vt prætergressis veris hæredibus illis Bauariæ ducatus concederetur. Verùm patruus Henrici secundi Imperat. Cuno siue Conradus, quanta potuit maxima diligentia elaborauit, vt Ducatum semel iterum ad legitimos hæredes ad eandem familiam reuersum conseruaret, verùm Conrado Imperatore viuente nihil efficere potuit.

II.

1040. HENRICVS tertius Conradi filius, secundus in ordine post Henricum Imperat. Bauarum, postquā pater obijsset, ab ijs, quibus concesserat, Ducatum repetijt, sibiq́ue vsurpauit. At Conradus patruus Henrici secundi ac frater Henrici illius, de quo supra diximus, qui sese Ottoni secundo ac tertio opposuit, Ducatum eundem sibi vendicare voluit, contraq́ue Henricum tertium crista erigere cœpit, sed Henricus tertius restitit, Ducatumq́; in filium transtulit, qui postea Imperator factus, eius nominis quartus est appellatus.

III. Hen-

III.

Anno Christi

HENRICVS quartus eius nominis Imperator, tertius autem inter eos, qui ab Henrico secundo numerantur, postquam Imperium adire cepisset, Bauariæ Ducatũ fratri suo Conrado commisit, sed qui paulò post obijt, sic vt Imperator ille matri suæ Agneti traderet administrandum Bauariæ ducatum: Hęc autem in Ottonẽ Bauarum transtulit, quem postea Henricus quartus Agnetis filius acerrimè, quemadmodũ supra diximus, persecutum, Ducatu priuauit, eumque VVelphoni quarto concessit, qui Ottonis eiusdẽ filiam in vxorem duxerat, à quo quidem VVelphone postea per nepotes & pronepotes vsque ad Henricum vltimum eius prosapię transmigrauit, priusquam sub Ottone tertio iterum ad rectam lineam redierit. 1057.

IIII.

Hẽricus 5. filius superioris, quartus in ordine Imperat. eorum, qui post Henricum 2. Imperio præfuerunt, in oppugnando patre satis occupatus, nihil, quod ad Bauariæ ducatum attinet, legitur attentasse, verũ illum sub administratione ac potestate VVelphonum reliquisse. Interim Ottonis superioris filius, qui & frater vxoris Guelphi fuerat, amicitiæ ergò conquieuit, oramque ad pacem dirigere conatus est: hic enim Otto se- 1107.

Anno Christi

cundus huius nominis frater fuit Ludouici, & pater Ottonis 3. de quo paulò post plura sumus dicturi. Nunc ad Lotharium Imperatorem 5. post Henricum 2. Imperatorem Bauarum.

V.

Lotharius 2. huius nominis Imper. quintus autem post Henricum 2. Bauarum, filius Gebhardi, qui ab Hérico 4. cæsus est. Henricus quintus dederat Conrado suo uoluo soro rio suo nepoti Franciæ Orientalis ducatum: fauebat huic Comes Palatinus Godfridus, à quo Conradus electus est Cæsar, & secutæ sunt huius partes Sueuorum & Francorum vrbes. Cæterùm Bauariæ dux VVelfo siue catulus Lothario adhæsit, nam vt ante diximus, Lotharij gener erat. Porrò vt Lotharium anteuerteret Cũradus, Italiã ingressus, Longobardiam occupauit, vbi & ferrea corona insignitus est. Interea à Lothario obsessæ, & victæ sunt vrbes Spira, Vlma, & Norinberga: & inde consecutus est Conradum in Italia. Proinde vbi cognouit Conradus, & vrbes Germanicas amissas esse, & nullam spem præsidiorum expectandam esse ex Germania, ad seruandum regnum Italicum, relicta Italia, pacis conditiones apud Lotharium pactus est, & vltrò susceptо Imperio cesit.

VI. Con-

VI.

Anno Christi 1138.

CVNRADVS 3. natus Sueuiæ Dux, & ab Henrico 5. Princeps Francorum factus, sextus est in ordine Imperatorũ, qui post Henricum 2. regnarunt. ad hunc mortuo patre Lothario successio Imperij delata est: quanquã Henricus Lotharij gener tum Bauarorum Dux ambiuit Imperium, & Augustę obsedit Cunradum: sed excommunicauit Henricũ Cunradus Cæsar, & Bauariæ Ducatum Comiti Austriaco donauit. Inde propter Ducatum Bauariæ cum duce & Cæsare Cunrado bellum gestum est, sed conatibus irritis.

VII.

FRIDERICVS 1. eius nominis Imperator, septimus autem qui post Henricum Bauarum Imperatorẽ successit, ex inclyta Sueuorum domo progenitus, Conradi Cæsaris ex fratre etiã Friderico nomine nepos. Hic initio sui Imperij Bauariam & Austriã, quæ Marchia orientalis antea dicebatur, in concordiam redegit. Henrico VVelphoni Henrici generi Lothario filio Bauariam restituit: Henricum cognatum suum Austriacum comitem creauit, & vtriusq; ducatus terminos discriminales posuit. Tunc primùm Austrię Ducatus cœpit. Porrò Bauariam non diu tenuit Henricus Catulus ille siue Guelpho, nam vt ante quoq;, sed latius supra dixi, de-

seruit Fridericum in Italia, & in Germania nouas factiones concitauit aduersus eum. Itaq; propulsato postea Henrico per Fridericum Imperatorem Bauariæ ducatus Ottoni 3 vero & legitimo hæredi, postliminio tá dem rediens, iterum restitutus est. Otto Saxonici limitis præfectus hunc ducatum Bauariæ, prętergressis veris hæredibus, ad Henricum filium suum transtulit ab initio, apud cuius posteros non nisi vsq; ad Ottonem 3. permansit Saxonem. Nunc Otto hic tertius, Bauarici sanguinis, primus ab Henrico tandem, sed Guelpho denuò recuperat, atq; in hunc vsq; diem per posteros suos in recta linea descendentes vsque ad Ernestum Principem Imperij Electorem possidet Magnus non immeritò dicitur Otto hic tertius prę-fectus Curiæ Friderici 1. Imperatoris, à quo in locum proscripti Henrici VVelphonis Boiariæ Dux designatus, & in auitam possessionem introductus est. Qui fretus auxilio fratrum suorum, Cunradi videlicet Saltzeburgensis Archiepiscopi, qui postmodũ etiam fuit Moguntinensis Archiepiscopus: Ottonis quoq; fratris sui, qui author cœnobij Innerstorf, quem fecit Palatinum, necnon & Friderici, qui dicebatur Barbatus, fundatoris Monasterij Embstorff, ducatum viriliter obtinuit, & Ducem Bauarię de partibus illis expulit.

Hacte-

Hactenus de 13. Generationibus, quæ cõ putantur à Carolo Magno vsq; ad Ottonem hunc tertium in Imperio Germanico. Nunc sequuntur generationes vndecim post Ottonem hunc Magnum Bauarum, vsque ad Ernestum Imperij Electorem, ac Ducem Bauariæ serenissimum Principem. Anno Christi

DE GENEALOGIA DVCVM Bauariæ post Imperium Germaniæ ad Principes Austriacos delatum, Generationes XI.

I. LVDOVICVS I.

LVDOVICVS Ottonis superioris ex Agnete Comitissa à Dachavv filius, patri in Ducatu Boiarię succesſit, & ex Ludmilla Primislai Bohemiæ Regis filia procreauit Ottonẽ, Henricum, & Ludouicum. Otto Henrici postremi Palatini Rhenensis filiam Gertrudim nomine nactus est vxorem. Henricus imperante Rudolpho Habspurgensi, Boiarijs præfuit. Is ex Elizabetha Hungariæ Regis filia Ottonem tertium Hũgariæ Regem, & Stephanum Ducem, qui ex Duciſſa Poloniæ Tuta Hẽricum & Ottonẽ procreauerat, genuit, & Elizabetham Conradi Ducis Sueuiæ & Regis Hierosol. coniugẽ, quæ peperit Conra-

Anno Christi

Conradinum vltimum Ducem Sueuiæ. Fuit autem Ludouicus hic xiiij. à Carolo Magno in linea recta, quæ ad Imperij Electoré Ernestum vsque deducitur per 23. generationes.

ij. LVDOVICVS 2.

LVDOVICVS filius habuit Mechtildem
1273. Rudolphi Habspurgensis Imperatoris filiá in matrimonio, ex qua Palatinú Rheni Rudolphum, & Ludouicum Romanorum regé procreauit. Rudolphus, qui diuisis cum fratre Ludouico, Palatinatum accepit modo randum Princeps Elector, de cuius successione antea in Thesauri huius Principum parte secunda diximus. Hic progenuit tres filios, & duas filias, videlicet Adolphum Palatinum successorem, Rudolphum & Rupertum ex cognomine Ruffum, & Mechtildem Comitissam in Spanheim, quorum Rudolphus in matrimonio Ducissam Carinthiæ, & Rupertus Comitissam tum Iuliacensem habebant: sed solus Adolphus stemma propagauit, ex Comitissa Ottingensi post se relicto Ruperto Ruperti Electi in Regem Romanorum.

iij. LVDOVICVS 3.

LVDOVICVS Ludouici superioris filius, Ducatum Bauariæ in diuisione cum Rudolpho fratre accepit, electus in Regem Romanorum (iam enim tandem ad Bauaros iterú & aui-

& auita Bauariæ ducatus possessio. & Imperij Maiestas redierat.) Hic ex duabus coniugibus, Margaretha comitis postremi Hollandiæ filia, & Beatricę Lignicēsi Ducissa sex filios genuit, & vnam filiam Elizabetham scilicet iunctam matrimonio Ottoni Austriæ Archiduci, Mascnio Scaligero, Veronēsi domino, & Comite VVirtenbergensi. Filiorū, Stephanus, qui & stirpem propagauerat, ex cognomento Dux de Monaco: Albertus, ex Duce de Straubinga, comes Hollandiæ creatus, mortuo VVilhelmo fratre sine prole, ex Ducissa de Birga VVilhelmū alterum Hollandiæ Comitem tulerat: VVilhelmus Comes Hollandiæ, ob matrem suæ familiæ primus, ex Mechtilde à Land-Caster Angla, nullam prolem reliquit, Otto Marchio Brandeburgensis à patre designatus, qui postea Caroli 4. Regis Bohemiæ, de quo postea dicturi sumus, filiam sibi coniunxerat. Ludouicus ob vxorem Iohannam ex cognomēto Maultaschin, Comes Tyrolensis inuestitus à patre Cæsare, Menhardum & Barptolomeum comites Tyrolenses reliquit, postremos generis, quem ferunt & Reginam Danię habuisse in coniugio ante Tyrolensem. Porrò Iohanna Tyrolensis, siue Margaretha Maultaschin, vt quidam vocant, postea secundis nuptijs, aut secundum quosdam tertijs, Rudolpho Sapienti Austriæ Duci nupserat, Tyrolemq; Anno Christi 1138.

Anno Christi

lemq; & Carinthiam in domum Austriacam traduxerat, cùm post Ludouicum habuisset & Iohannem Brandeburgensem Marchionẽ Caroli 4. filium.

iiij. STEPHANVS.

STEPHANVS Ludouici tertij filius, fratrem habuit, de quo dixi, Albertum in Straubingen, qui genuit tres filios, & duas filias: Filios Albertum scilicet Straubingensem, Iohannem Episcopum Leodiensem, & Vvilhelmum Comitem Hollandiæ, qui tulit Iohannam vxorem Delphini in Francia. Filias autem Iohannam vxorem Alberti Archiducis Austriæ, & Margaretham vxorem Ioannis Ducis Burgundiæ, auia Caroli Audacis filij Ducis Philippi Boni, qui ordinem aurei velleris anno 1429. Brugis primùm instituit. Habuit autem Stephanus, de quo iam tractamus, tres filios: Primum Steffanum cognomento in Ingolstat, qui genuit Ioannem Episcopum Ratisponensem, Ludouicum Ingolstadiensem, & Elizabetham Reginam Franciæ, Caroli sexti
1096. Franciæ Regis coniugem, & alteram Reginam Cypri. Secundum Fridericũ in Landshuet, qui genuit Henricum patrem Elizabethæ VVirtenbergensis, & Ludouici Diuitis, cuius filius Georgius Diues, & filia Margaretha Philippi palatini vxor. Tertiũ

Ioan-

Ioannem in Munchen, de quo consequenter tractandum est. Anno Christi

v. IOHANNES.

IOHANNES filius Stephani ex cognomento & sede gubernationis distincta denominatus Dux de Monaco, ex Comitissa Goritiæ genuit VVilhelmum Ducem de Monaco & Ernestum Ducem (sextum ab Ernesto Bauariæ Duce atque Imperij Electore Principe, ad quem per ordinem in recta linea à Carolo Magno vsq; per 23. generationes genealogiam deducimus) Hic ex Ducissa Mediolanēsi reliquit Albertum Ducem, qui ex Anna Erici Ducis Brunsvvicensis filia Albertum procreauit, maritum Kunegundis Cæsaris Maximiliani primi huius nominis sororis. Frater huius Iohannis Monacensis, & Friderici de Landshuta primi videlicet Stephani filius ex Thadea Ducis Mediolanensis filia, progenuit Ludouicum cum fratre & sororibus, de quibus ante diximus.

vj. ERNESTVS.

ERNESTVS Dux Bauariæ extincto sine liberis Ludouico ex cognomento Diuite, qui ex Burgrauia Norimbergensi nullam prolem tulerat, solus rerum in Bauaria potitus, filios tres post se reliquit, Ludouicum etiam cognomento Diuitem, Adolphum & Albertū, quorū Ludouicus reliquit filiū

Geor-

Anno Christi

Georgium Ducem superioris Bauariæ de Ingolstat, fundatorem Academiæ Ingolstadiensis, natum ex VVirtembergensi. Quo tempore & Philippus Palatinus apud Rhenum, vnà cum Friderico patruo atque tutore, de quibus etiam infra tractabitur, gubernabant.

vij. ALBERTVS Senior.

ALBERTVS Ernesti filius ex Brunsvicensi Ducissa Albertum sororium Maximiliani Imperatoris reliquit: cuius Alberti fratres fuerunt Christophorus Daniæ Rex, Sigismundus & VVolfgangus, qui sine hæredibus obierunt, quemadmodum Ludouicus ille ex cognomento Dives, Dux de Ingolstadio, Stephani secundi filius, Franciæ regis, cuius erat sororius, Curiæ Magister ex cognata eiusdem regis Ducissa de Langēdunck tulit Ludouicum & Georgium, de quo supra, fundatorem Ingolstadiensis Academię, qui vnicam filiam Elizabetham Ruperto Palatino Rheni locatam, matrē Ottonis & Philippi reliquerat.

viij. ALBERTVS 2.

ALBERTVS Iunior superioris Alberti filius, ducta in vxorem Kunigunda Friderici Cęsaris tertij nata, & Maximiliani postea Imperatoris sorore, Bauariam gubernandam accepit; procreauit ex coniuge Austriaca filios VVilhelmum 1. Ludouicum & Ernestum Sa-

stum Salisburgens. Episcopum: & filias Sibyllam Palatino, Susannam Casymiro Marchioni, & Sabinam Vlrico VVirtenbergensi ducibus nuptas. Huius ætate Philippus Palatinus post se liberos reliquit, Rudbertum, patrem Ottonis Hērici de Neuburga, & Philippi de Lengenfeld, Ludouicum Electorem Imperij, Fridericum de nouo foro Ducem Electorem, VVolfgangum Comitem de Veldentz, Georgium episcopum Frisingensem: Hēricum Episcopum VVormatiensem, qui post fratrem etiam Frisingensi Ecclesiæ præfuerat: Ioannem Episcopum Ratisponensem, & Philippum Spirensem Episcopum. Anno Christi

IX. GVILIELMVS.

VVILHELMVS Alberti filius natu maior, ex Maria Iacoba Marchionissa à Baden, Philippi Marchionis filia, Theodonem, qui obierat puer, & Albertum procreauit. Fratres huius fuerunt Ernestus Episcopus Salisburgensis, & Ludouicus Dux Landtshutensis. Sorores autem Sibylla vxor Palatini, Susanna Marchionis, ac deinde Ottonis Hē rici Palatini, & Sabina VVirtenbergē. vxor. Hic Guilielmus auus Guilielmi eius, qui iā Boiariæ Ducatum gubernat, est ab Ottone illo 3. qui Ducatum hunc longo tempore à veris hæredibus apud exteros possessores exulantem recuperauit, nonus à Carolo Ma

Anno Christi

gno verò in recta linea descendens est 21. quemadmodum hactenus per ordinem abundè satis vt opinor declaratum est. Sequitur tandem filius huius VVilhelmi Albertus tertius.

x. ALBERTVS 3.

ALBERTVS Guilhelmi superioris filius, nascitur 1. die Martij anno à Christo
1528. nato 1528. ducit vxorem Ferdinandi Imperatoris sanctissimi filiã Annam nomine, cùm Albertus esset annos natus octodecim, suscepit ex eadem Anna filios Carolum anno 1547. qui obijt, VVilhelmum, qui iam Bauariæ præest anno 1548. Ferdinandum, qui Truckseſium alioſq; hostes Ernesti fratris ex Colon. Archiepiscopatu ac diœcesi eiusdem expulit, Fridericum anno 1551. qui etiam obijt. & Ernestum, ad quẽ à Carolo Magno per ordinem in recta linea 23. hucusq; generationes computantur. Filias quoque genuit Albertus Mariam Maximilianã, anno 1552. die Iulij tertia, Mariam similiter sic appellatam, anno 1553. quæ Archiduci Carolo Imperator. nostri Rudolphi 2. patruo nupsit.

xj. ERNESTVS.

ERNESTVS Alberti filius natus est 17 die mensis Decembris ante annos 37. hoc est
1554. anno post Christum natum 1554. Successit Cardinali Leodiensi annos natus 27. Fit Elector

lector Colonienſis, Imperijque Princeps & Septẽuir anno ætatis 29. Ad quem à Carolo Magno 1. Germanici Imper. Cæſare, in recta linea per ordinem Carolum ſequentes, generationes 23. hactenus computauimus, eaſque hiſtorica ratione declarãtes, ita probauimus, vt poſteaquam initio de genealogia ducũ Bauariæ ante inſtitutũ Germaniæ Imperium per 13. generationes: Deinde etiam de Genealogia eorundem Ducum in ipſo Germaniæ Imperio per totidem generationes. Atque vltimò tandem de Genealogia Bauariæ Ducum poſt Imperium Germanicum ad ſereniſsimos Auſtriæ Principes delatum, per xj. generationes hucuſque tractauimus, nihil aliud reſtare videatur, quàm vt hoc Erneſti Principis Imperij Electoris tẽpore, rediuiuam quodammodo naturam oſtendamus altius, ſcilicet temporis, quod iam dudum hic eſt, iante 30. plus minus annos præterijt. Anno Christi

COMPARATIO PRIMA TEMPORIS Archiepiſcopi Moguntinenſis Adolphi, cum tempore Archiepiſcopi Colonien. Erneſti Principum Electorum Imperij.

Quid eſt quod factũ eſt, inquit Salomon, id reſponde quod eſt futurum. Deus enim

Anno Christi instaurat, quod abijt. Hoc ad tempus nostrũ in quo viuimus, aptissimè applicari posse videtur. Nam vt ad præterita respiciamus tẽpora, videmus Fridericum Principẽ Palatinũ Rheni, mortuo Ludouico Palatino fratre ann. Christi 1452. in Administratorem Palatinatus, & tutorem nepotis sui Philippi constitutum: perinde vt hoc tempore nostro, Ioannem Casimirum Principem quoque Palatinum Rheni, mortuo Ludouico Palatino fratre suo ann. Christi 1583. in administratorem eiusdem Palatinatus, & tutorem nepotis sui Friderici similiter constitutum.

1452.

1583.

Et sicut præteritis temporibus Dieterus Archiepiscopus Moguntinus à Roma. Pontifice deturbatus est ab Archiepiscopatu: Sic nostra ætate Gebhardus Truchsesius simili quoque ratione à Romano Põtifice, sed ab Archiepiscopatu Colonien. deturbatus est.

Præterea quemadmodum Dieterus ille cedere noluit olim Adolpho de Nassau, sic nec Gebhardus etiam nunc cedere voluit Ernesto Bauariæ Duci. Fridericus Palatinus Episcopus Moguntinus à Pontifice depositus, loco stipendij dederat olim arces quasdam ad Moguntinam Ecclesiam pertinentes, eodẽ modo, quo & nunc Gebhardus Truchsesius Ioanni Casimiro Bonnã aliasque ciuitates & arces, imò totum Colonien-

sem

sem Archiepiscopatum obligauit pro auxilio, quod ei Casimirus pollicitus est, quantumuis inane videbatur propositum Ecclesiarum bona accipere ab eo, qui ius dandi nec obligandi habebat, & excommunicatũ atque depositum iuuare. Anno Christi

Adolphus habebat tum à parte sua Papã & Imperatorem Fridericum, vt nunc Ernestus Dux Bauariæ Summum Romanorum Pontificem, & Rudolphum 2. Imperatorẽ. Ernestus & sui adhærentes bellum nunc gerebãt cum Truchsesio Gebhardo & asseclis suis, donec tandem Gebhardus eijceretur, perinde vt olim non paruis odijs bellum gerebant inter se inteſtinum Dieterus & Adolphus, donec idem Dieterus archiepiscopatu eijceretur.

Fridericus tũ cum ijs qui erant à parte noui Archiepiscopi Moguntini, Adolphi scilicet, inijt pugnam, diuq; certatum est, & mutuò se vexarunt, cæde & incendio, licet nunquam plenis copijs pugnatum fuerit: sic tẽpore hoc nostro Casimirus, cum ijs, qui erãt à parte noui Archiepiscopi, Ernesti videlicet, inijt pugnam, seque mutuo vexarunt, nunquam tamen iustis copijs Ernestianos aggressus est, sed tandem in Palatinatum vnde venerat redijt. Philippus olim Dux Burgundiæ sese huic certamini quodammodo immiscuit, & ad certa tum pacis capitula

Anno Christi

peruentum est. Sic Philippus Rex Hispaniarum, Dux quoque hoc nostro tempore Burgundus, pacem, sed armatus, intercessionibus procurauit.

Principes olim partim Adolphi noui Archiepiscopi Moguntinensis terras Palatini ingredi & vastare statuerant: sic etiam nostro hoc tempore Ferdinandus frater Ernesti Archiepiscopi & Electoris Colonienſis alijque Principes & Comites, vt Isenbergicus, Arembergicus, & alij Casimirum insecuti eum in Palatinatum repulerunt, parũque abfuit, quin eum etiam Haidelbergam vsque persequerentur.

Sed quid de comparatione Ernesti Archiepisc. Colonienſis cũ Adolpho Archiep. Moguntinensi occupor, quorum tempora centum & triginta plus minus annorum intercapedine distant: veniamus ad alium Adolphum recentiorem, & qui non Moguntinẽsis, sed perinde, vt iam est Ernestus, Colonienſis Archiepiscopus fuit.

COMPARATIO ALTERA SCILICET temporis Adolphi, cum tempore Archiepiscopi Colonienſis Ernesti, Principem Electorem Imperij.

HERMANNVS de VVeda olim Archiepiscopus Colonienſis, licet videret ab Imperatore

ratore Carolo V. Lutheri doctrinam VVormatiæ coram Principum & ordinum consilio, condemnatam esse tanquam hæreticam an. 1521. voluit tamẽ assistente Bucero quodam, secundum eandẽ doctrinam Diocesim Colonien. reformare, perinde vt Gebhardus Truchsesius eandem doctrinam hoc tempore nostro amplectens, dioceſim deformauit. Anno Christi

Tempore Hermanni Bucerus iussu Archiepiscopi illius, Bonnæ cœpit docere, nouíque ibidem ordinum conuentus inducere, ad quos autem Clerus Colonienſis neminem designauit: hoc tempore Truchsesij Northusius Caluinianus concionator Bonnæ docuit, ibidemq́; conuentus inducit, verùm ex capitularibus Catholicis nemo tum ibidem comparet, quin potius ab eodẽ capitulo admonetur, vt à nouo huiusmodi proposito desistat.

Colonienſis Magistratus tempore Hermanni Capitulo Catholico firmiter adhæsit, adeò vt Carolus Imperator literas ad Senatum Colonienſem dederit, quibus declarat, audire se, Concionatores quosdam in hoc esse totos, vt ipsos ab antiqua religione dimoueant, quibus tamen ipsi fortiter adhuc restiterunt: id autem permagnæ sibi voluptati esse, & monere, vt in eo permaneant, & ciues in officio contineant: hoc sibi

Anno Christi

longè fore gratissimum, & ipsa quoq; re suo tempore declaratum. In eandem prope sententiam Pontifex quoq; tum Senatui scripserat. Itaq; conuocato populo Senatus idem mandauit, vt his edictis pareant. Nostro verò tempore quid Pontifex quid Imperator Rudolphus 2. Imperatorisq;, Caroli V. filius Philippus 2. Hispaniarum Rex Coloniésib. de Truchsesij quondam Archiepiscopi conatu scripserint notum est, quamq; summus Pontifex seriò interim etiam collegis primarij tépli Coloniæ scripserit, apparet ex hoc, quod in hac animi solicitudine & dolore, quem perceperat ex Archiepiscopi vesania, valde se recreari fortitudine ipsorum atque pietate, quæ non ipsis tantùm, sed & vicinis omnibus perquàm sit salutaris: quod enim & plenissima ciuitas, & Prouincia tota sit incolumis, post Deum immortalem ipsis acceptum esse ferendum: Itaque permagnas ipsis agere gratias, ob tam strenuè nauatam operam, eiusque rei perpetuam apud se futuram esse memoriam: licet enim officium fecerint, tamen propter rem & exemplum fateri, plurimum se ipsis debere, veruntamen opus esse constantia, vel eo maximè, ne, si relangueſcant, Archiepiscopus, cùm fortè superior euadet, grauiter in ipsis vindicet: sint ergo fortes in defensione nominis diuini, & Catholicæ religionis, & suæ ipsius libertatis atque

atque salutis, quam impius Hæreticus stude- Anno
at euertere totam & labefactare. Non quidē Christi
ipsis opus esse monitore, sed tamen hoc etiā
veluti calcar addere se voluisse currentibus,
& rogare plurimū, dent operam, ne ille, qui
sit indignus nomine Archiepiscopi, nobilis.
ciuitatem contagione sua lædat, neq; pro pa-
store illum habeant, sed pro hoste: se quidem
neq; consilio, nec ipsa re defuturum ipsis.

Citantur olim Henricus Stolbergius primarij templi Coloniēsis Decanus, eiusq; Collegæ, omnes illustri genere natos, Iacobus Ringrauius, Fridericus Vvedensis, Christophorus Oldenburgus, Richardus Bauarus, Philippus Oberstcinus, qui omnes Hermannum Archiepiscopum amabāt, neq; reliquorum capitularium Catholicorum actionem probabant: Citantur & hoc nostro tempore Georgius à Sein Comes de VVitgenstein, templi Colonienſis Præpositus, Comes Sulmensis, Kriechingus, alijque eorum collegę, qui Gebhardum Truchsesium Archiepiscopum amabant, actionemq; reliquorum concapitularium contra Truchsesium eundem susceptam improbabant.

Cæsar Naium mittit ad Colonienſem Archiepiscopum Hermannum tum temporis. Nunc etiam Cæsar Curtium ad Truchsesiū Gebhardum Archiepiscopum misit, quid autem proposuerit, Cæsariſq; nomine cum

Anno Christi

illo egerit alio loco diximus.

Qui Hermanno tum adhærebant Archiepiscopo, tãdem præfecturis & beneficijs suis sunt priuati, quod inter cæteros accidit Stolbergio Comiti Coloniẽsis Ecclesiæ Decano: Sic qui Gebhardo assistebãt Archiepiscopo, similiter præfecturis, dignitatibus ac beneficijs suis sunt per Vercellensem Episcopum Pontificis legatum destituti, quod inter cæteros etiam cõtigit Comiti de Vvitgenstein, Colonien sis Ecclesiæ Præposito, qui constãter Archiepiscopum Truchsesium illum defenderat.

Et quemadmodum præteritis temporibus, hoc est anno Christi 1546. Hermannus
1546. Archiepiscopus Colonien sis mense scilicet Aprili à Pontifice Romano Paulo 3. eius nominis lata sententia, loco & dignitate priuatus est: sic etiam nostris temporibus, hoc est
1583. anno Christi 1583. Gebhardus Archiepiscopus Colonien sis eodem mense scilicet Aprili, à papa Gregorio 13. loco suo motus & dignitate priuatur. Huic Gebhardo successit Serenissimus princeps Ernestus Bauariæ Dux, quẽ à Carolo Magno in recta linea per 23. generationes hucusq; deduximus. Illi verò Hermanno succesit Adolphus Comes Schauenburgicus, qui ann. 1550. Iulio mense, transactione facta cum Senatu, Coloniam vrbem, maxima pompa & splendore ingre-

aitur,

ditur, omnibus vndiq; beneficiarijs & propinquis,& cognatis conquisitis, qui honoris causa ipsi præsto essent ad eum diem, Comitatus duobus equitum millibus,& eo amplio fuisse dicitur. De Ernesto Principe Imperij Electore quid futurum sit, tempus docebit. Anno Christi

Iam binas has comparandi rationes Serenissimi illius principis Ernesti, cum duobus illis Adolphis,Moguntinẽsi videlicet & Colonienſi Archiepiscopis feciſſe hactenus nobis sufficiat, Ducumque Bauariæ Genealogiam inde ab initio hucusque perduxisse atque ostendisse, quot Imperatores ex nobilissima clarissimaq; illa familia Germanico Imperio præfuerunt,quibusque cognationis & agnationis vinculis Illustrissimis Austriæ Principibus & Imperatoribus iuncta sit,quãque etiam amicè semper vna familia complexerit alteram.

Nunc Genealogiam eorum aggrediamur, qui Serenissimam Austriacam domum acerrimè oppugnantes, hucusq; tamen nihil efficere potuerunt,quin semper in Christia Imperij fęliciter administrandi culmine permanserint.

DE

DE GENEALOGIA TVRCICA AB OTTOMANNO VSQVE AD AMVRAthem III. huius nominis Turcarum Imperatorem per xij. generationes continuata.

DE GENEALOGIA TVRCArum ſub Auſtriacis duobus primis Imperatoribus poſt Albertum primum.

1. OTTOMANNVS.

OTTOMANNVS primus Turcarum Imperator, Orthugutis ex Scythis Ogucijs oriũdi filius, (quẽ tenui tamen cuiuſdã hominis Schi nominati, filium alij ſcribunt,) vir acer, impiger & calliditate ſingulari, cùm animaduerteret, anno plus minus *23.* antequam Imperium Germanicum ad ſereniſsimos Au-
1260. ſtriæ Principes ſub Rudolpho primo eius nominis Imperatore deuolueretur, tres ex Perſide familias cum ſuis ducibus & exercitibus per Aſiam & Europam vagari: ex quibus Caramanni Ciliciam: Candelori regionem circa Pontum: & Aſſembecci minorem Armeniam & Cappadociam ſubigerent, factum eſt, vt & ipſe minorẽ Aſiam in ſuam po-

teſtatem

testatem primùm redigeret, ac tandem cæ- Anno
teras quoque tres familias, quæ dominandi Christi
cupiditate commotę, sese inuicem infestare
ceperunt, & eousq; superandi studio proue-
ctæ sunt, vt bellũ domesticum hostilibus in-
ter se viribus exercẽtes, easdem absorberet.

Cumque Christiani tum temporis etiam
interse discordes esse videret Ottomannus,
hinc inde nactus est occasionem, quæ mori-
bus vtiq; suis, & libidini congrueret. Nam
ascitis vndique omnibus, qui pro ingenio
prædæ rapinarumq; percupidi essent, quive
studio quosuis opprimendi spoliandiq; fla-
grarent, authoritatem breui adeptus est op-
pida per opportunitatem aggrediendi, alia
vi capiendi, alia deditione subigendi, non-
nulla, vt metum incuteret, diripiẽdi atque
euertendi, sicque futuri incrementi non ad-
modum aspernãda iecit fundamenta, vt Bi-
thyniam & omnes circa Põtum Prouincias
paucorũ annorũ spacio suæ ditionis fecerit.
Aulę sedẽ habuit iuxta Mysiã in vico Iteæ,
quem Sagutæ patrio nomine vocãt. Et quia
sibi Imperium Asiæ despõderat, ingenti spi-
ritu, ex aula sua profectus plurima munita
præter Ponti loca in deditionem accepit,
multisque victorijs cumulatus, Asię præcla-
rissimas vrbes occupauit, videlicet Ancyrã
in Phrygia, Sinopem in Galatia, & Sebastian
in Cappadocia edomuit, &c. quibus succesi-

bus in-

Anno Christi bus ingentẽ Græcis & cognatæ gentis principibus terrorem intulit. Dictus autem Ottomannus, perhibetur à Galatiæ castello, quod à Prusia Bythiniæ, Trapezuntum versus sex dierum itinere distat, à se capto. Ab hoc Ottomanno Alberti Imperatoris Austriaci, filij Rudolphi primi temporibus,

1300. gens Ottomannica, apud Turcas potentia, & æstimatione, excrescere cepit, vtpote, ex cuius sanguine 12. per ordinem Turcici Imperatores in recta linea vsque ad præsentem Amurathem 3. eius nominis, succedentes nati originem ducunt, genuit autem hic Ottomãnus, quem Turci, mutantes T in S, Osmanum etiam vocitant, filium Orchanem qui, Vrchan Turcis dicitur. Et postquam per duo de triginta annos suam potentiam, ita auxisset ac stabiliuisset, dicto filio suo, paternę virtutis æmulo, imperium reliquit. Cæterùm & in Germania, & in Italia, circa hæc tempora magnæ vicissitudines, non sine admiratione singulari, inciderunt.

IN ITALIA.

Quinto anno huius Ottomanni, Bene-

305. dicto vndecimo Pontifice Romano, mortuo declaratus est Papa Clemens quintus, genere Gallus, Vasco, Burdegalensis Episcopus, qui non amplius Romæ, sed in Gallia apud Lugdunẽses egit, & Gallorum regnum ab excommunicatione, in quam inciderat,

derat, absoluit, pòrrò iam inde ab hoc tempore, translata fuit Pontificia sedes ab vrbe Romana Auenionem Gallię vrbem, vbi successores per ordinem septem mãserunt, annos 70. Hi septem pontifices extra Romam commorãtes numerantur, nominanturque Clemens, Ioannes, Benedictus, Clemens, Iulius, Vrbanus & Gregorius, qui maiore iam Italiæ parte amissa, sedem ex Gallia iterum Romam transferri suasu Catharinæ Senensis, postquam in Galliam trãslata fuerat anno 70. migrationis ex Italia. Anno Christi

IN GERMANIA.

Octauo autem huius Ottomanni anno, post duos Imperatores Austriacos primos, Rudolphum, scilicet & Albertũ eius filium quoq; Imperatorem: facta est & in Germaniam familiæ Luxenburgensis meritò notanda transmigratio: Nam & Imperatores septem numerãtur inter Albertum 1. & Albertum 2. duos illos cognomines Austriacę familiæ Cæsares, qui quidem Imperatores 7. per ordinem sibi mirum successerunt, antequam ad Austriæ sereniſsimos Principes Imperial. Maiest. iterum rediret, apud quos fœliciter hucusque resident & conquiescit. Septem autem Imperat. illi numerantur ac nominantur his nominibus, Henricus, Ludouicus, Guntherus, Carolus, VVẽceslaus, Ruper- 1308.

Anno Christi

Rupertus & Sigiſmundus, cuius vnica filia Elizabetha, Alberto 2. Imperatori nupſit, à quo vſque ad Rudolphum 2. Imperatorem 7. quoque Auſtriacæ domus Monarchæ cõputantur, ab anno ſcilicet 1437. vſq; ad annũ iam currentem 1592. vt Albertus, Fridericus, Maximilianus 1. Carolus, Ferdinandus, Maximilianus 2. & Rudolphus 2. Cæterum & in Ottomannica familia 7. quoque numerantur Imperatores ab Amurathe 2. vſq; ad Amurathen 3. his nominibus expreſsi, vt Amurath, Mahomet, Baiazid, Selim 1. Soliman, Selim 2. & Amurath 3. de quibus poſtea dicemus: Nunc ad Orchanem veniamus.

DE GENEALOGIA TVRCArum ſub 7. Germanicis Imperatoribus vſque ad Imperium Alberti 2. Imperatoris Auſtriaci.

ij. ORCHANES.

ORCHANES Ottomanni filius, cui pater regnum per manus tradidit, quique ferocia & acumine experti ingenij, elati quoque animi faſtu, calliditate & promptitudine cõſiliorum, fauorem militum adeptus, quorũ animos mirificè ſibi deuinxit, adeò vt liberalitate & comitate patre ſuperior, rei militaris diſciplinæ longè peritior, copijs apparatuque opulentior & inſtructior, ambitione autem

auo,& audacia patri haud absimilis. Hic bel lum paternum per manus acceptũ strenuè executus est, ingenti hominũ vi, quos licentiæ militaris cupidos ad se pellexit: Nã liberalitate animi, facilitate morum, ingenijq; dexteritate, tum bene probeque imperandi opinione, ingẽtem sibi vndique multitudinem comparauit, quorum animos semel ad se prosequendum allectos, atq; conciliatos, populari deinceps facilitate & comitate quadam, perpetuaq; consuetudine atque largitionibus, mirum in modum in officio retinebat, quo factum est, vt circa Põtum & Bythiniam plus nimio gentis suæ imperiũ propagare cœperit, Mysia, Lycaonia, Phrygia, & Caria subactis, limites noui regni ad Hellespontum vsque, & Euxini littora protendit: Niceam & Nicomediam ferro, Prusiam Bithyniæ metropolim & Asiatici regni caput fame oppugnauit, Caramãno, q Ciliciæ imperabat, ob æmulationẽ potentię bellum mouenti bonam regni partem ademit, filio insuper eius in acie iugulato, Græcorum fecit disidium, vt eius res cresceret, disidentibus enim Græcis, Cautacuzeno Ioãni, cuius filiam vxoré habebat, magis quàm Paleologis fauit. Hic primus ab eo in Europã accersit° traiecit. Frater huius Orchanis fuit Hali Bascha, vnicus atque iunior, quem pater Ottomannus pro delitijs apud se retine- Anno Christi

Anno Christi

bat, & cui cum Orchane optimè conueniebat, non enim verum est quod à quibusdam scribitur, Orchanem fuisse illum fratrem, qui alios duos, quos habere putabatur, nescio quos fratres, inter se discordes interfecisset. Latè quidem hic imperiũ paternum propagauit, verùm cõtra Tartaros infeliciter pugnãs cum multis copijs suæ gentis occubuit, cùm rebus Turcicis præfuisset annos 21. priusquam autem viuẽdi finem faceret, filium post se reliquit Amurathem.

iij. AMVRATHES I.

AMVRATHES filius Orchanis patri in Imperio successit. Huius tempore duo fuere Imp. Constantinop. qui pertinaciter inter se dimicabant. Tunc alter, Ioannes scilicet Paleologus, qui se vinci verebatur, Amurathem ad partes suas tutandas, pretio, pacta Callipoli, facilè illectum, ex Asia accersiuit, quem & copias eius maturè in Thraciam per Hellespontum traduxit, ea conditione, vt confecto bello, nauigio rursus domum per Hellespontum remitteretur. Hoc pacto Turcarũ gens in Thraciã ex Asia cum armis traiecit. Verùm cùm Amurathes non quod promiserat, sed quod sibi cõduceret animo volueret, consulto bellum procrastinare cepit, ratus hinc fore, vt Græcorum viribus diuturnitate belli & discordiarũ atrocitate vtrinque consumptis, ipse integer defessos ador-

adortus, illos facilè superaret, atque opprimeret, id quod tandem fecit, eos opibus & viribus exhaustos gentili astu obruit, & arma in eos sine vllo discrimine per occasionem vertit. Sic Europeis opibus illectus, dū vlciſci Imperij hostes simulat, vsus Genuensium nauibus, Hellespontum & Abydum superat. Occupata Callipoli peroportūno in Chersoneso cætera Græca oppida infestis armis petebat, agros vastabat, prædam agebat, & cuncta passim inuadebat, nec iam amplius rem dissimulanter agebat, sed palā sibi & posteris suis pollicebatur Græcorum Imperium: & ad id occupandum omnes cogitationes, consilia, opes & neruos intendebat. Hinc effectum est, vt nullis fere obsistere audentibus, facilè & sine negotio magnā Thraciæ partē ditioni suæ subiecerit. Mox & Mysiam adortus, armis subegit. Pari inde successu Bessos & Triballos domuit, Seruiam Bulgariamq; ingressus, quum Adrianopolim prius occupasset, & Philippopolim, occurrentes sibi cum paratissimis copijs hostes ingenti cæde profligat: ac postremò superiorem Mysiam ingressus, cum Lazari Seruiæ Despota acie congressus, sub inguine cōfossus occubuit à Lazari seruo christiano, in Dñi vindictā, pugione in tētorio occisus, cū imperasset an. 32. Nec Europeis incruenta victoria fuit. Lazaro cū multis alijs viris Anno Christi 1363.

Anno Christi

fortibus cadente: fruſtraq; Paleologo initũ cum infido hoſte fœdus in res perditas deploratę: Nam & Albainæ in Dalmatia & Epiro proceres aliquot, qui vires coniũxerant contra Amurathem, fudit atque deleuit.

FRATER huius Amurathis fuit Soleiman, quem non Sultanum, vt Amurathẽ, ſed Sunſacum duntaxat appellarũt Turcæ: ſecutus fuiſſet patrem in regimine, niſi ante patrem, ac fratrem ſuum diem obijſſet, fatisq; conceſsiſſet. Sepultus eſt Amurathes in Metropoli Bithyniæ Bruſa prope Thermas ibidẽ. frater dum viueret Solimanus, eidem ciuitati à patre Orchano præfectus fuerat, genuit autem Amurathes filium Baiazidt,

iiij. BAIAZETH. 1.

BAIAZID filius Amurathis, patre adhuc viuente ſplendidiſsimas nuptias cum filia Deſpotæ, ſimulq́ue circumciſionis ſolẽnitatem celebrauit. Hic circa Thraciam diu verſatus, penè vniuerſam, excepta Conſtantinopoli & Pera bello afflixit. Deinde in reliquam Græciam manus iniecit, Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem & Atticam occupauit, ſuiq́; iuris fecit. Myſios quoque, qui hodie Seruij, Illyricos id eſt Boſnenſes, Tribellos, quos Bulgaros cõmuni vocabulo dicimus aſſiduis prælijs vexauit patris mortẽ ſic vltus, qui vt olim apud Iudæos Eglon ab Aiod, & noſtro hoc tempore Henricus tertius

tius Galliæ rex sica perijt à seruo Lazari Despotæ, vt ante dictum est. Interfecit Baiazid Principem Bulgarorũ, alios subegit, alijsque tributa quotannis exhibenda indixit. Anno Christi

Byzantium quoque vrbem regiam adeò omni agro, suburbanisque delitijs spoliauit, tam longa obsidione vexauit, vt Imperator cogeretur egredi, & ex Italia Galliaq; mendicare auxilia. Reliqui verò ciues, omni præsidio destituti, fame valida vrgẽte, desperata salute, de deditione agere ceperũt: perijssent (nam octo annos Constantinopolim obsederat, & obsessam facilè expugnasset) nisi Vngarorum Gallorumq; aduentum formidans, illis ad Nicopolim occurrisset; reuersusque idem Baiazetes ad Constantinopolitanam obsidionem, spe plenus eam biẽnio denuò obsessam occupasset, nisi Tamerlanes Scytharum Rex, instar torrentis ipso incursu contra vastando, Baiazetem omni apparatu occurrentem, in Asiam reuocasset. Vbi in Galatia & Bithynię confinio instructa acie, collatis signis vtrinq; fortiter dimicatum est. At Baiazetes impar viribus superatur, amissis. n. suorum circiter 140. millib. & equo plurimis sagittis confixus capitur, miserabile fortunæ ludẽtis spectaculum toti Asię præbuit. Nam catenis vinctus aureis, inque cauea ferrea cancellata per Asiam circumductus, & passim ostentatus, victori e-

Anno Christi 1397

quũ ascendenti dorso subdito scabellũ vsum præbuit. Incidit hæc clades Turcis in annum M.CCC.XCVII. Tamerlanes terror gentium fuit appellatus, magno enim fortunæ ludibrio multarum est gentium imperio potitus. Scribunt eum Parthis primùm regnasse, mox Scythas ab eo subactos, Albanos, Persas, & Mesopotamiam, postea Armeniam armis subiugasse, traiecto tandem Euphrate Asiã minorẽ latè domuisse. Tumq; domitũ fuisse armis Scythicis, quicquid terrarũ erat à Tanai ad Nilum, Smyrnas, Antiochiam, Sebasten, Tripolim, multasque validissimas vrbes vi expugnasse Tamerlanem hunc, qui & Memphiticum Regem, quem Sultanũ vocant, prælio victum, vltra Pelusium intra Nili fluenta compulit, Damascum & item Copham in Thaurica Chersoneso cepit. Atque vt maiorem hostibus terrorem metumque incuteret, triplici tentorio, si quam vrbem oppugnare adortus esset, in exercitu vti consueuit; sic vt in vnoquoque dispar color, animi mutationẽ prius non viso stratagemate, intelligeretur.

Primo enim die candido vtebatur tabernaculo, quo significabat nulla in re, si modò se dederent, iniuriã se illaturũ. Sequenti die purpureo vsus colore in tentorio, monstrabat cædem & sanguinẽ puerorum in primis & patrum familias, quod alterã diem expectassent.

pectassent. Quod si res ad triduũ protraheretur, atro colore in castris excidiũ vrbis & omnibus miserabilem ruinam pręmonstrabat. Hos colores pro armis in scuto triplices accepit Tarẽbeg heros ille, de quo supra diximus, qui castra Tamerlani secutus, contra Baiazetem simul pugnabat, quod ciuitatem Corzingam illi tyrãnus ademisset, quem licet Tamerlanes iterum in eius ciuitatis possessionẽ misisset, tamen is Baiazeti post longam captiuitatem liberato, suisq; successoribus diffidens, qui Constantinopolitanæ vrbi etiam inhiabant, recedente Tamerlane alijs possessionem relinquens, sese vnà cum familia ex Armenia minore per Thraciã in Germaniam vsq; recipiens, sedẽ intra Reid & Braunam collocauit. Verùm de Tamerlane breuibus quidem hęc dicta sufficiãt, ad Baiazetẽ redeamus. Hic FRATRES 2. habuit, vnum Saucem scilicet, qui propter structas regni causa insidias, à patre excæcatus est, filium post se relinquens Taut vel Daud nomine, quem Laonicus Tautem appellat: ab hoc Sauce, qui Siaus apud Turcas vocatur, præfecti Siaus Bascha nominantur. Alterum fratrem habuit Iacuppum, quem quidam Solimannum dicunt, à cuius cæde Baiazetes frater regnum suum auspicatus est. Genuit autem Baiazetes filium Mahometem. Anno Christi

Anno Christi

V. MAHOMET I.

MAHOMETE à patris interitu Prusæ apud priuatum quendam hominem latuit, inde ad Aturium Caramanum Ciliciæ principem confugit, cuius aliorumque principũ opibus adiutus, Moisi fratri regnum eripuit, Mustapham verò alterum fratrem idem ambientem ad perpetuos carceres condemnauit, vir bellicosus & fœlix. V Valachos asperrimo bello attriuit, illisq; tributa imperauit: in Asia multa loca à Tamerlane occupata, recepit, & plurimos Turcicæ nationis principes, in Galatia, Ponto, Cappadocia, Cilicia, partim pulsos funditus extirpauit, partim compescuit. Macedoniam bello domuit, promouitq; Turcarum signa ad Ionium vsque pelagus. Et cùm quandam Mœsiæ partẽ, quam hodie superiorem Bosnam appellamus, suæ ditionis feciſſet, placuit illi nouum in terra illa designare regem. Constituit igitur hominem nouum, humili loco genitum, Isahac regem Bosnensem, qui successu elatus, finitimas regiones populabatur, prædas agebat, ac spolijs se suosque locupletauerat.

Et quia Sigismundus Imperator inter illos quos supra dixi, septimus tum aberat, quidam strenuus miles de Macedonia Nicolaus nomine, reguli istius insolẽtiam non passus, cùm prædabundus omnibus insultaret, etsi viribus impar esset, expectata occasione, cũ regem

regem videret egredi, in hunc mox animum atq; oculos intendens præcipiti cursu equo deiecit ac in terram prosiliens ense iugulum confodit. exercitus Regis in fugam conuersus, militi huic palmam reliquit: simili audacia paulo post cum Turcis idem miles congressus, miro stratagemate illos fefellit, media scilicet nocte in castra dormientium hostium irruens, & tumultum tympanis atq; fistulis excitans, atq; ingẽti clamore omnes in fugam soluens. Nam clade edita, victoria penes Vngaros fuit. Constituit hic Machumed, quem alij vocãt Muhamed sedẽ regiam in Adrianopoli. FRATRES habuit hic Machomed 5. Mustaphã, Solymã, Musam, Casem & Isam. Mustapha, in prælio quod contra Tamerlanem Baiazedt pater habebat, simul perijt: huius loco se quidam statuit, qui Dusme antea appellabatur, dicens se Mustapham Baiazetis filium esse, verùm fraude ac dolo detectis, tãdem suspensus quoq; interijt. Anno Christi

Solyman maior natu inter fratres, à patre Siuan vrbem, quam postea Tamerlanes occupauit, dono accepit, cumq; Musa frater lõgè lateq; hunc Solymannum persecutus esset, vt illi regnum paternum adimeret, in fuga, postquam 7. annos præfuisset, comprehẽsus, mortem cum vita commutauit.

Musa, qui alios fratres robore & magnitudine corporis superabat, hoc nomine Tamer

Anno Christi

lano tanto acceptior fuit, eumque propterea vndique secum circumducens, tandem iterum in patriam suam remisit liberum, quem admodum & patrem libertati postea restituit, licet non diu post superuixerit.

Casem, qui tempore conflictus atq; infortunij paterni cæteris omnibus fratribus ætate minimus erat, à Solymanno maximo natu fratre Constantinopolim missus, illic detinebatur ab Imperatore Græcorum obsidis loco. Fuit autem idem Solymannus appellatus Emir, quo vocabulo illi apud Turcas exprimebantur, qui regno multis nominibus vtiles esse solebant: vocabatur etiam Muselmannus, qui parricidiali cum fratre altero, quem dixi Musa siue Mose, bello decertare perrexit, eumque vicit auxilijs Ismaelis Principis Sinopæ ex vetustis Turcarum familijs. ocio tandem & luxui deditus imperio excidit, traditus ab exercitu fratri Moisæ, à quo è

1412. viuis sublatus est.

Moses autem à Tamerlane Scytha, vt dictum est cum patre captus & dimissus, infeliciter cum Muselmanno illo fratre, nec non multo post cum altero fratre, quem Mahometem dixerunt, manus conseruit, vix enim suorum ope regno potitus, propter sæuitiam & temulentiam mirè illis inuisus redditus, ab eis desertus, & à Mahomete captus est, qui ei guttur chorda arcus elisit, vsitato genti Bar-

ti Barbaricæ supplicio.

Anno Christi

Isa autem frater, quem aliqui Iesse nominant, vt Laonicus procerũ & copiarum, quæ superfuerant, consensu, principatum consecutus, à fratre Muselmanno, quẽ adiuuarunt Græci, acie victus, quarto à clade patris anno, regnum & vitam perdidit: baptismo Christianis sacris Byzantij antea nunciatus.

Atque hæc quidem de 4. generationibus Turcarum post Ottomannũ hactenus, nunc de septem generationibus proximè subsequentibus ab Amurathe secundo vsque ad Amurathem tertium, qui etiamnum hodie Turcarum Imperium obtinet.

DE GENEALOGIA TVRCArum, sub 7. Austriacis Imperatoribus, ab Alberto 2. vsque ad Rudolphum secundum.

DIximus antea inter Albertum 1. & Albertum 2. Imperatores Austriacos, septem intermedios fuisse Germaniæ Cæsares, sub quibus quatuor illi Turcarum Imperatores post Ottomannum: videlicet Orchanes filius Ottomanni genuit Amurathem 1. Amurathes autem genuit Baiazetem 1. Baiazetes verò genuit Mahometem 1. de quo

& eius

Anno Christi

& eius fratribus quinque hactenus tractauimus, nunc Mahometis filius sequitur Amurathes 2.

vj. AMVRATHES 2.

AMVRATHES 2. filius Mahometis, patri in Imperio succedit, qui dū traijcere conatur ex Asia in Thraciam, interea Græci Mustaphæ patruo eius fauentes, auxilium ferunt. Porrò Amurathes Genuensium opera delatus in Asiam, cum Mustapha hostiliter conflixit, vicitque, ac totum Imperium, quod patruus ille ambiebat, est assecutus. Infensus autem Græcis, quod Mustaphæ Imperij æmulo opem tulissēt, Prouincias Græciæ adortus, vim belli omnem in Græcos conuertit: peragrante itaque Thracia, acceptisq; in deditionem vrbibus, quæ Byzantino Imperatori reliquę erant, mox Thessalonicam vrbem ad sinum Thermaicum, vi expugnatam & captam penitus diruit; inde Tomaro & Pindo montibus transcensis, continuo victoriæ cursu Phocidem cum Attica, Bœotiam, AEtoliam, Acarnaniam, & omnem citra Peloponesum regionem, vsq; ad sinum Corinthiacum, incredibili celeritate perdomuit. Hinc Epyro in suam potestatem redacta, & Illyride, Albania atq; Bosna peruastatis partim, partim subactis, mouit in Bulgaros, Valachos & Seruios, spe occupandæ Pannoniæ: Seruia potitus, tētauit oppugnationem Belgradi:

gradi: at inauſpicatò. Multis ſiquidem ſuorum amiſsis, cùm inſuper exercitus laboraret fame, & inuitaretur ad defectionẽ, recipere ſeſe coactus eſt, re infecta. Protinus tamen, cladibus aliquot ſuorum à Iohanne Hunnade acceptis irritatus, bellum Pannonicum totis viribus vrgere & proſequi cœpit: vbi primùm iniquiore fortuna vſus, pacis leges à Ladislao Rege Pannoniæ accepit, quem breui poſt, quod violatis decennalibus induciis ſeabſente, prouincias Europæas inuaſerat, commiſſo ad Varnam cruento prælio trucidauit, & detrimẽtum rebus Chriſtianis ſummum attulit. Tantæ victoriæ proſperitate elatus, quò Græcos vlciſceretur, à quibus accitum eſſe Ladislaum nouerat, rectà Peloponeſum petijt, effectoque ad ſinum Corinthiacum Hexamili muro, Theodorum Paleologum, fratrem Imperatoris Byzantij, cum omni Græcorum exercitu repẽtina clade obruit. Extremo cum ingentibus copijs, & mirifico tormentorum bellicorum apparatu tentans obſidionem vrbis Croiæ, à Georgio Caſtriota Scanderbeio detrimẽtis maximis affectus, & obſidionem ſoluere eſt coactus. Ad quod bellum reuerſus, quum itineribus ab Epiroticis interclusis in reditu dimicare coactus, inſignem ſuarum virium feciſſet iacturam, iam ipſe ſenex infœlici & irrito incepto, vſque adeo acerbum & metu, & animi dolore

Anno Chriſti

Anno Christi

dolore contraxit morbum, vt è castris Adrianopolim relatus, pauciſsimis diebus deliranti & veſano ſimilis vitam reliquerit.

Sigiſmũdo Imperatori Georgius Deſpotus Seruiæ ſeruiebat, &, vt Imperatoris emeret fauorem, loco ſynceræ fidelitatis Nandoralbenſem arcem prope confluenta Danubij & Saui ſitam, veteribus Taurinum ac Belgradum, recentioribus Alba Bulgarica appellata, Cęſari dono dedit, receptis multis alijs in recompenſam, vt ſcilicet impetus Turcorum hîc facilè poſſet frangi, quum agrum Vngaricum depopulari conarentur. Conceſsit tum Amurathes in Myſiam, nec vlla re à Georgio illo Deſpota potuit flecti, vt ſecum fœdus iniret, priuſquam ab eo nuptias filiæ extorſit cum ingenti dote. Nam more gentis Turcarum, plurimas habuit vxores: verùm non diu pax illa & affinitas obſtitit, quò minus iterum aduerſus eum grauem duceret exercitum. Georgius furentem generi non ferens potentiam, fugit cum tota familia in Vngariã, vno relicto filio Gregorio, qui cum præſidio tueretur Sinderouiam Seruiæ regiam, ſed qui tandem magna inedia coactus eſt ſeſe dedere hoſti. Sic Sinderouia expugnata, Scopia quoque & Myſiorum ſeu Seruiorum oppida poſt longam obſidionem capta.

Albertus 2. Romanorum Imperator ex Sere-

Anno Christi

Sereniſsima domo Auſtriaca, Bohemię & Vngariæ rex, gener Sigiſmundi Cæſaris, contra Amurathem expeditionem adornans, ei obuiam proficiſcitur maximis copijs inſtructus: ingreſſus verò Vngariam, venientem autem Alberto Cæſare Amurathes retro fugit, & oppugnata Synderouia vrbe in Græciam ſe conuertit, & Theſſalonicam vrbem vicit. Cæterùm hac expeditione in morbum incidit Albertus, & Viennam reductus, non multos poſt dies è viuis exceſsit, primus ex 7. illis Cæſaribus Auſtriacis, qui, nullis alijs Imperatoribus intermediantibus vſq; ad Rudolphũ hunc noſtrum Imperatorẽ Imperio præfuit.

Amurathes Belgradum oppugnat. Vt autem quæ de Ioãne Huniade, de Rege Vladiſlao, de Seruiæ Deſpota, & pugna apud Varnam breuiter ſuperius attigi, circumſtantijs ſuis clarius explicem, quæ ſub regimine huius Amurathis inciderunt, ita accipe: Amurathes hìc per occaſionẽ inteſtini belli Vngariã facilè ab ſe occupari poſſe ratus, Belgradũ oppugnare adoritur, & machinis militarib. turrium inſtar è ligno extructis, ac cuniculis ſubterraneis effoſsis, prorſus in ſuã ditionẽ trahere ſibi perſuadet. Sed arcis præfectus Ioan. Aurane, Matthiæ Cratiæ Bani frater, quẽ Sigiſmundus Cęſar ob rem bene geſtam, omnibus honorib. excoluit, ſuo valido præſidio ìnanes reddit omnes eius conatus, curriculos

puluere

Anno Christi

puluere incẽdiario, pice, oleo ac sulphure replẽs, omnesq; immissos milites, cũ iumentis interficiens. Dehinc rudere & gleba muros, vi tormentorũ deiectos resarciẽs. Postremò cùm incautius Turcæ oppugnationem aggrederentur, ab oppidanis ita sunt missilibus, ac faculis obruti, vt 7. millia Turcarum in hac obsidione, quæ septimum etiam attigit mensem, sunt desiderata, ea clade perculsus Amurathes obsidionem soluit.

IOANNES HVNIADES CONtrarius Amurathi.

Cùm autem Ioannes Huniades, iam per arma clarus vndique haberetur, declarauit eum Vladislaus rex Ducem Transsyluaniæ, quem Vaiuodam vocant, commisitque illi eadem potissimum oppida, quæ Turcis obiecta erant, & tantum copiarum, quantum res tunc sinebant assignauit, vt non solùm sua defendere, sed per occasionem etiam fines hostium transcendere posset, id quod & postea fecit.

Nam Seruiam ingressus, Turcas potentes expulit, multos captiuos abegit, arces & vicos recuperauit. Deinde coacto exercitu Turcas Transsyluaniam deuastantes adeo strauit, vt eam prædam abactam recuperaret, captiuos liberaret, fugientes persequeretur,

retur, Moldauiam ablatam recuperaret, atque omnes occultos tramites in montibus obstrueret. Anno Christi

Indignatus verò Amurathes, misit Ducẽ cum grandi exercitu in Transsyluaniam, iubens, vt omnia depopulętur, obuios quosuis interficiat, & neminem vlla excipiat pietate. Quam cladem suorum Huniades vidẽs stipatus manu militari, statuit aut vincere aut mori. Aggreditur ergo hostem intrepidus, editurque vtrinq; maxima strages, sed cùm Huniades feruẽtius instaret, arripiunt hostes fugam. Subsequuntur Vngari, & omnem campi planiciem cadaueribus ita implent, vt breui post aer infectus negaret hominibus illic habitationem.

Potitus Huniades hac cõtra Amurathem Turcam victoria, suis cepit esse admirationi, & hosti stupori, quin & nomen eius adeò terrificum fuit, vt plorãtibus pueris matressamilias taciturnitatem non aliter impetrarent, quàm Huniadis præsentiam minitantes.

Creuerat interim Vladislai Regis, ex filia Alberti Imperatoris nati indies authoritas, præsertim post mortem Elizabethæ matris Ladislai filij Alberti, missusque est ad eum Iulianus Cardinalis, qui suaderet expeditionem contra Amurathẽ. Monebat præterea Despotus exul regem, sed & Huniades

Anno Christi

literis instabat, accedebant quoque Christianorum Principum promissa, quibus omnibus excitatus Rex, tertio regni sui anno, magnum conflauit exercitum, venitque in Bulgariam. Similiter Huniades ex Seruia ingressus Bulgariæ regnum, obuia quæque aut ferro aut igne deleuit, deiectis Turcarum præsidijs. Et cùm Despotus medius inter Vngaros & Turcas, nunc hos nunc illos fefellisset, erat Huniadi fides Georgij suspecta. Pugnauit ea die quinquies collatis signis Huniades contra Turcas, semper victor. Deinde sexta pugna maxima fuit, in qua aliquot millia Turcarum ceciderunt, quatuor millia capta, cum nouem signis militaribus, ac 13. ducibus haud magna Christianorum iactura. In has itaque angustias acti Turcæ, consultabant pacem petere.

DE VICTORIA AMVRATHIS ad Varnam.

IVLIANVS tamen Cardinalis, Dux Burgundiæ, & Veneti hoc dissuadebant. Dissuasit & Iohannes Paleologus Imperator Græcorum. Vladislaus tamen, audito oratore Amurathis, pacem in 10. annos concludit, sic vt omnia dominis suis ablata restituerentur. Ea pax mœstissima fuit Iuliano, cui persequenda victoria videbatur. Et Eugenius Pontifex certior factus, regis nullum valere fœdus, quod se inconsulto cum Christianæ religionis hosti-

nis hostibus percussum esset, rescripsit quo- Anno
que Græcorum Imperatori, Amurathem do- Christi
lo & fraude fœdus percussisse: Motus ergo Vladislaus his hortationibus exercitum conscribit, & traducit in Mysiã atq; Bulgariam.

Monet tamen Regẽ Dracula Princeps Valachiæ, vt retrò iter vertat, præsagiens quod futurum erat. At ille monitionem contemnens, castrametatus est circa Varnam Rom. ciuitatem, locum natura munitum. Amurathes cognito hostium aduentu, exercitum ex Asiaticis militibus, corruptis pretio speculatoribus infra Callipolim, qua fauces Hellesponti arctissimę sunt in Bosphoro, in Europam reportauit.

Dicuntur Genuenses pro singulis capitibus aureum nummum accepisse pro vectigali, numerumque vltra centum millia ascendisse, tot enim milites traduxit. Trepidatum est in castris Christianorum, dum insperatum numerum hostium contemplantur. Et dum Iulianus cum Agriensi Episcopo, alijsq; Vngaris censerẽt intra currus exercitum muniendum, Huniades ac Despotus manus conferendas regi persuaserunt, horumq; vicit sententia. Ordinata autem acie fit pugnæ initium. Acies Christiana primùm Turcas in fugam vertit, plurimis prostratis. Amurathes magno metu perculsus, prælio excedere statuit, sed cùm longa duceret suspiria, fertur vexillum

Anno Christi S. Ladislai, ac alterum, in quo imago Christi erat, vidisse, ac patria lingua exclamasse, CRVCIFIXE, CRVCIFIXE, Vide gentem tuam perfidam, quæ à me non lacessita, contra iusiurandum fidem violauit.

Reuocata est pugna summa contentione, nunc Turcis, nunc Christianis cadentibus. Diu ancipiti marte pugnatum, tantumque sanguinis vtrinque effusum, vt in modum lacus campi stagnarent. Agriensis Episcopus per paludes fugiens, in cœno submersus est. Rex verò ad Genyzaros (pedestres milites Turcæ sic appellantur) delatus, cùm equus eius in latere grauiter sauciatus esset, telis obrutus est anni regni sui 4. in vigilia
1444. S. Martini. Huniades cùm Regium corpus recuperare nequiret, fuga salutē quæsiuit, quemadmodū & cęteri, qui supererant, omnes fugæ se cōmiserunt. Iulianus Cardinalis equo fugiens, dum cursu fatigatus potu reficitur à Regulo quodam Austriaco, qui, quod fidus Achates illi adhærebat, etiamnū hodie Galerum Cardinalitium in armis gerendum posteris reliquit.

Fertur conflictus ille trium dierum & noctium spacio continuatus. Cæterùm Huniades dum in Vngariam properaret, per VValachiam, captus à Dracula Vaiuoda, in carcerem est coniectus, sed rursum cum muneribus demissus, nec diu post gubernator

regni

regni Vngariæ communi procerum consen Anno
su creatus, qui acceptam Varnæ cladem sem Christi
per ante oculos gerens, vt priorem aboleret
ignominiã, & illata resarciret damna ex Vngaria cui præerat, quantas potuit cogit copias, vt Amurathem inopinatũ pessundaret, adhibuit etiam rebus celeritatẽ. Sed Despotus Seruię, qui non erat vocatus ad illam expeditionem, patefecit ducibus Amurathis consilium Huniadis.

Amurathes post victoriam Varnensem, inde Adrianopolim concedẽs, cepit ocium bello præferre, religioni solitariæ sese addicere cogitauit. Verũ Turcæ exterriti ab Huniade, Amurathem religioni addictum euocant, quod filius tantam belli molem ferre nequiret, colligunt exercitum, perguntque obuiã hosti, & concurrit vterq; exercitus in Cassouio Mysiæ campo, vbi atrociter infestis armis toto triduo est dimicatum, primùm victoria Vngaris cedente. Tandem verò occumbunt Vngari, Duce ægrè cum paucis seruato.

Porrò Huniades abiectis armis grauioribus incidit in manus duorum Turcarum, qui tamen eum non cognouerunt. Ab ijs expoliatus, dum de quodam amuleto inter se concertarent, alterum ense strauit, alter fuga elapsus euasit, solus in syluã cum equo delatus. Cumq; Belgradum peteret, à Geor-

Anno Christi

gio Despoto Seruiæ est captus, sed filio (habuit enim 2. Ludouicum & Matthiam, qui postea rex Hũgariæ) in obsidẽ dato demissus: liber tamen factus, vastatione prouinciæ suæ, haud sine parua pœna coactus est filium restituere. Quod cũ Amurathes audisset, indignatus Despoto, quod carcere hostem tantum emisisset, regnum Seruiæ cuidam præfecto tradidit expugnandũ. Despotus audiens in se cõ citari bellum, anxius se cœpit accusare, quod gubernatorem Hungariæ carcere læsisset, in quo vnico salus sua esset reposita. Abiecta itaque verecũdia, supplex Huniadis genibus aduolutus, tandẽm ab eo suppetias impetrauit: qui ilicò Turcas aggressus, in fugam eos vertit ac profligauit, capto Duce.

Mortuus est haud longè post Amurathes, & corpus eius delatum in Prusiam Bithyniæ ciuitatẽ, quæ ante captam Constantinopolim Ottomannorum regia fuit.

Fratrem habuit Amurathes Mustaphã nomine, qui annum agens 13. & tunc apud Caramannum Cilicẽ exulans, sub cura Alibæi Bassæ, à Græcis armatus, Niceam Bithyniæ vrbem cepit, sed in qua oppressus à fratre proditione sui curatoris, simili quo alter Mustapha supplicio vitã perdidit, gutturis supplicio, chorda ex arcu elisa. Genuit autem Amurathes filium Mahometem.

vij. MA-

vij. MAHOMETES 2.

Anno Christi

MAHOMETES filius Amurathis, ex Georgij Seruiæ Despotæ filia genitus, regni à patre institutus hęres, ea lege, vt perpetuus Christiani nominis hostis foret, maiorum exemplo administrationem rerum à parricidijs est auspicatus. Cumque Imperium orbis terrarum ingenti animo & ausu sibi despondisset, adeò intentatum vlla ex parte reliquit nihil, vt insignibus barbaricæ feritatis ac sæuitiæ exemplis, & prodigiosis immanis audaciæ successibus cunctos ante se Ottomanici sanguinis Tyrannos longè vicerit.

1453. Primum bellorum operum eius terribile fuit, Constantinopolis terra mariq́ue expugnata, & cæso Constantino Paleologo, antiquissimum Orientis Imperium euersum. Exinde oppugnationem Belgradi tentauit, tertio post captam Constantinopolim anno, sed infœliciter, in ea enim cùm Huniadem nequaquam viribus parem, sed incredibili ardore & alacritate suorum vrbem propugnantem, continuis & maximè cruentis duorum dierum prælijs exercuisset, successu tamen & fortuna, quàm ad Byzantiũ dispari, accepto in pectore sub læua pupilla vulnere, exanimis concidit, ex acieq́; à suis elatus,

Anno Christi

castrisque ab hostibus exutus, quadraginta circiter hominũ millibus amissis, vnà cum machinis bellicis, vix fuga vitã conseruauit.

Ad huius insperatę stragis & fugæ tã turpis & ignominiosæ recordationem, vbi ad se redit, tanta cum indignatione infremuisse dicitur, vt de morte sibi consciscenda cogitaret. Post hanc cladem, belli apparatum omnem terra marique in Asiam, nulla mora interposita, transtulit, Asiaque incredibili celeritate, ceu peruolitata, opinione omnium citius contra VSVM CASSANEM ex Asimbæa Turcica stirpe, Cappadociæ, Armeniæ, & vicinarum aliquot regionum dominum, castra fixit, vbi licet vires ipsius acerrimo conflictu vehementer essent attritæ, hoste tamen cedere coacto, mox Sinopen prouinciæ caput, omnemque Paphlagoniam subegit. Inde Trapezuntem regiam sedem terra marique infestissimè oppugnatam cepit: potitus & thesauris regijs, & ipso Rege Dauide Comeno vnà cum filijs duobus, & Caloianne patruele, quos præmissos Byzantium ad triumphum, deinceps cru-
1459. delissimè interimit, Regnis illis in prouinciæ formã redactis. Pyrameto Caramanno, eodem victoriæ cursu, debellato, Ciliciam ademit.

Inde reuersus Byzantium, classe Lemnum & Lesbum insulas cæpit. Mitylene

vrbe

vrbe prope deleta, & tota Insulanorum mul- Anno
titudine abducta velut in aliam Coloniam. Christi
Terra adortus Draculam VValachorum
Principem, ab eo improuiso, non magna mi-
litum manu in castris circumuentus, atq; cō-
clusus, magnam exercitus partem amisit. Eo
refecto adauctoque supplementis superiorē
Mysiam & Illyricum aggressus, Stephanum
Bosnæ regem Iaiza vrbe totoq; regno expu-
lit. Sed Bosnense regnum cum vrbe, alijsque
multis in Croacia & Dalmatia locis paulò
post amisit: fuso, fugatoque eius exercitu, à
Matthia Coruino filio Ioannis Huniadis, Re
ge Pannoniæ: à quo ipsemet quoque ad alte-
ram Iaizæ obsidionem reuersus, captus & im
pedimentis omnibus exutus est, & repulsus.

Hexamili muro ad Isthmum Corinthia-
cum cum magno sumptu & labore à Venetis
restituto: facta improuisa irruptione in Pelo
ponesum, deuastatis initio agris Caroneis ac
Methoneis Venetos insula, quam vnà cū Le-
mno recuperarant, expulit, cæsis quinq; mil-
libus armatorum, Chalcidoq; tricesimo ob-
sidionis die, fœda Christianorum strage ex-
pugnata. Eubœam quoque Insulam, illis ad-
emit. Finitis inducijs, quas cum Scanderbeio
pepigerat ad oppugnationem Croiæ & Sco-
dræ vrbium in Albania reuersus, vtranque
tandem longa fatigatam obsidione, & multis
exhaustam cladibus, perdomuit. Scodrā de-

Anno Christi dentibus Venetis. Totius tandem orbis inhians Imperio, vno eodemq; tres expeditiones suscepit.

Misso itaq; Mesithæ purpurato cum valida classe in Rhodum Insulam, Acomathe autem Bassa in Italiam, tertium ipse exercitum in Asiam ducturus, apud Nicomediam repentino
1481. Coli dolore correptus, extremum vitæ diem tri dui cruciatu festinata morte clausit, magno Christianæ Reipub. commodo.

Fratres habuit duos, Aladinum & Tursinem. Aladinus, quem & Calepinum appellant, ex filia Sponderbei nobilis in Penderatia Satrapæ. Hic sextum agens mensem, à patre commendatus est Hali Bassæ magni apud Amurathem ipsum nominis purpurato, sed à quo proditum puerum mahometes frater strãgulauit, quem & ipsum non multo post, gratiam sic ei redditurus, cõfictis criminibus atro citer accusatum, tanquam cum Christianis colluisset, post exquisitos corporis cruciatus strangulauit. Tursines alter fratrum fuit, quẽ agentem mensem decimum octauum, Moses Bassa, iubente & immotis oculis atrocitatem facinoris inspectante fratre Mahometę, multa vi aquæ suffocauit: hanc immanitatem cũ pueri mater horribili vlulatu planctuque detestata, Tyrannum diris deouuisset extremis, Tyrannus placaturus nouercam, mox in vltionem parricidij, ei authorem depoſcen ti

centi ad supplicium in manus vinctum tradidit, cui ipsa tyranno astante, cor cultro transfixit, & rimata in dissecto corpore epar, id inde extractum, canibus laniandum obiecit. Anno Christi

Mahumetes repletus post expugnatam vrbem Constantinopolitanam (quam non expugnasset, si ciues suos in terra absconditos thesauros in communem tutamentum erogassent, & Veneti suis classibus præsto fuissent) omnibus sceleribus, omnia contempsit. Nullum Deum esse putauit, Christianam fidē nostram irrisit: Mahumetem prophetā Turcorum sui similē fuisse dixit: Prophetas omnes atq; Patriarchas pro nugis habuit. Solum Alexandrum magnum, potissimum vbi de eius furore ac libidine scribitur, admirabatur, cui se similem asseruit. Genuit hic Mahometes filium Baiazetem.

viij. BAIAZETH 2.

Baiazetes filius Mahometis, per varia bella & fraternas cædes Imperium est auspicatus, à prætorianis militibus absens in Cappadocia, vbi præfectum agebat, Imperator proclamatus, festinantissimis itineribus Byzantium reuersus, Corchuto filio Adolescente, quem nonnulli equestris militiæ Principes Imperatorem salutarunt, sponte cedente, Imperij habenas excepit. Gemem fratrem æmulum, tribus prælijs superatum fugauit,

Anno Christi

fugauit, liberos eius apud Carras necauit, mox etiam Acomathi Bassa ex Albania oriundo, per quem Imperium aduersus fratrem defensum cõseruarat, quo Thesauris eius potiretur, gratiam laqueo reddidit.

Intestino bello hoc modo liberatus, etsi natura ab armorum strepitu abhorruit (fuit enim & animo & corpore languidior: neutiquam par maioribus, aut fortunatæ audaciæ successibus, aut laborum bellicorum tolerantia) tamen, vt tueretur maiestatem acquisitæ potentiæ, more maiorum, proxima in Christianos arma dirigens, Vvalachiam tertio sui principatus anno subegit: arcibus duabus Lithosthomo ad Istri ostium, & Moricastro ad Borysthenem fluuium, expugnatis.

Bellum exinde in Asiam infœlici auspicio transtulit: pœnas sumpturus de Caithbeio Sultano Aegypti, qui Gemem fratrem commeatu & milite adiuuarat, sed à quo ad Tarchum, magna suorum clade profligatus. Ab Asia deinceps ad motus vsque Persicos abstinere coactus. Ad Europęa itaq; reuersus bella: Dyrrachio prope Velonam expugnato, Illyriam Pannoniorum & Croatorum coniunctas copias, magno prælio per Cadum Bassam
493. non procul Sauo cecidit: Venetis inde bellũ inferens, Neopacto oppido in AEtholio sinu capto, Methonem Peloponesi vrbem munitissimam post diuturnam obsidionẽ, variaq;

certa-

certamina vtrinq; depugnata, occupauit, vbi loci eius Episcopum, alios q; nobilissimos in ciuitate viros supra mille numero, longis nexos restibus, & ad prętoriũ perductos, in suo conspectu, barbarica immanitate, ad vnum omnes trucidauit. Anno Christi

Ne autem in Europa progrederetur, & inchoatum victoriæ cursum persequeretur, reuocatus est bello Persico, cuius periculis consternatus, cùm se alioquin, & ob pedum dolorem, & senectam ad tantæ militiæ munia obeunda sentiret esse inualidum, de successore deligendo, cum purpuratis deliberare cœpit, quæ res materiã bellis intestinis præbuit. Cùm enim magis ipse Athomati, Purpurati autem Selimo fauerent, ab hoc per fidè regno exutus, & in fuga per Hammonem Iudæum Medicum veneno est sublatus.

Fratres huius Baiazetis fuerunt Mustapha & Zemi. Mustapha maximus natu contra Vsum Cassanem sub paternis signis egregium militiæ specimen edidit: pulso Ioseph o Persico Duce, Iconij decessit ante patrem cõfectus libidinibus & voluptatibus.

Zemi, qui & Gemes, & Zdem, & Zizimus appellatur, à patre Licaoniæ, cuius caput est Iconium, profectus, de spe Imperij deiectus, ab Aegypto Sultano Caithbeio & Caramanno adiutus, fratri de Imperio bellum mouit: sed à quo ductu Acomathis Bassæ, tribus prę-

lijs

Anno Christi lijs superatus, desperatione confugit ad magnum Rhodi Magistrum, relicta apud Carras matre, & geminis tenellæ ætatis, masculo & fœmina, à Baiazete postmodo necatis.

1488. A Rhodijs inde militibus Romano Pontifici Innocentio 8. custodiendus missus, inde Carolo 8. Gallo per vrbem ad obsidionẽ Neapolitanam cum exercitu proficiscenti, obsessus, Taracinæ in itinere necatus veneno interijt. Interea verò Matthias Vng. Rex Bosnense regnum, quod hodie Romanum vocãt, & Turcarũ manibus subtraxit, Sabatiã quoq; arcem munitissimam, ad littus Saui fluminis sitam, strenuè è faucibus eripuit Baiazetis, qui Mahometicæ legis violator, quotidie mero maderet in omnem luxum resolutus, nullum insigne gessit bellum, natura etiam formidolosus, pacis quàm belli studiosior, etiam otij appetens, filijs intestinis seditionibus occupatis, à Genizaris suis, in quibus omnis eius spes
1512. sita erat, Imp. deturbatus summa cum ingratitudine, ingressus religionem ob mœrorem & animi cruciatum, paulo q; post veneno à Selimo filio iuniore dato, moritur.

ix. SELIMVS 1.

Selimvs iunior natu filius Baiazetis, à purpuratis per seditionem, inuito patre Imperator proclamatus, insitam ingenio diram rabiem, & cæde paterna exasperatam, consuetu-

suetudine Ottomannica, mox in fratres & ne potes exprompsit, quibus immanem in modum necatis: Mustapham quoque Bassam, cuius subnixu ad Imperium conscenderat, prius strangulatum, canibus deinde dilaniandum obiecit: Cum Ismaele Sopho rege Persico in campis Chalderanis ad Choim, acerrimo prælio conflixit. De quo cruenta parta victoria, Taurisiam Persarum regiam deditione ciuiũ occupauit & diripuit, moxque in tota maiore Armenia exercitum in Cappadociam reduxit. Aladolum regem montanis gentibus in Tauro & Antitauro imperantem bello inuasurus. Quo capto, cæsoq;, mouit in Campsonem Gaurium Aegypti Sultanum: quem promotis à Damasco castris, sibi occurrentem à Caterbeio verò præfecto Aleppi & Comagenæ Prouinciæ insigni perfidia desertum, & in fuga cadente equo in puluerem excussum obtruncauit, biennio post conflictum cum Ismaele. Tam insperato successu Syria potitus, ne quid belli superesset, ad reliquias Mamelucorum persequendas conuersus, Tomambeium Cucassum in Campsonis locum delectum, ad vrbem Memphim magna Mamelucorum strage, post tridui prælium fatigatum: in paludibus tandem Nyli repertum, diu exquisitissimis tormentis excruciauit: extremeq; vili iumento impositum, & per vrbem circumductum, gula laqueo fracto, ad Basuelã Syriæ portam,

Anno Christi 1514.

Anno Christi 1517. portam, vnco ferreo supra fornicem suspendit. De Mamelucis Byzantium triumphabũdus reuersus: atrox deinceps bellum in Christianos moturus, in ipso conatu vlcere cãcroso renum correptus, toto corpore ex longè lateque serpentis vlceris corrasione fœdè putrescente, morte, seuitia tam beluina digna, meritas immanis parricidij pœnas persoluit 1520. apud Chiurtum Thraciæ pagum, eo ipso in loco, quo Baiazetem patrem acie circumfusum, antea opprimere fuerat conatus.

FRATRES huius Selimi fuerunt quinque, Corcutus, Achmed, Muhamed, Alem, & Sinan. 1. Corcutus ab Isaaco & Mesiche purpuratis, de quibus supra, contra patrem Imperator salutatus, sponte illi cesit: à cuius obitu in Magnesia ludijs sese oblectans, à Selimo fratre improuiso subornatis satellitibus comprehensus & strangulatus est.

2. Achmed, ante patrem morbo absorptus, reliquit duos filios Amurath & Aladim, qui de fortuna patris & prælij euentu edocti, fugam arripuerunt, ille ad Ismaelem Sophi Persarum regem: hic ad Campsonem Gaurium Aegypti Sultanum, vnde nouorum bellorũ causa Selimo conflata.

3. Muhamed etiam ante patrem obijt, huius filius Zelebi à Selimo patruo necatus est.

4. Alem, cuius filius Orchanes à patruo Selimo pariter necatus crudeliter.

5. Sinan

5. Sinan, qui & Snansiacus, ante patrē morbo absumptus, reliquit filium Mahomet, quē patruus quoq; Selimus necari iussit, qui morbitædio tandem sibijpsi grauis, miserè non sine manifesto Dei iudicio perijt, vnicum post se relinquens filium Solimannum. Anno Christi

x. SOLIMANNVS.

SOLIMANNVS Selimi filius statim à patris morte Belgradum Vngarię propugnaculum occupauit, Rhodum obsidionis mense sexto deditione accepit. Budam olim Regiam Vngariæ sedem Ludouico Rege ad Alogutiacū lamentabili prælio trucidato, cum magna eius regni parte, in suam ditionem redegit. Viennæ postea oppugnatione frustra aliquoties tentata, octuaginta amplius hominum millibus amissis, exercitum summa cum ignominia illinc abducere est coactus. Non multo post Gueśium Vngariæ oppidulū cum 200. millibus armatorum ter decies oppugnauit, non captum tamē vi, sed deditione traditum, accepit: eò loci aduentu Caroli V. Cæsaris audito, per Noricorum montana fugiens, multa præda domum onustus redijt. Hic vltima expeditione Vngarica, multo iam senio confectus, multisque laboribus defatigatus, ingēti suorum clade cognita, ira percitus, repente sanguinis laborare profluuio cępit, cui superueniente apoplexia, in castris ad Sigetum perijt, vt infra dicetur.

Anno Christi

Hæc breuiter veluti digito de Solimanno dicta, paulo latius obseruato temporum ordine, explicabimus, vt videatur quã multa Christianis damna præ ceteris antecessoribus suis

1519. Tyrannus hic intulerit. Videbatur Solimannus, à principio, quo patri suffectus erat in Imperio, esse agnus mitis, qui rabido leoni succesſerit, iuuenis enim erat ac natura, vt putabatur quietissimus, verùm hęc opinio multos fefellit, primùm enim omnes prefectos ac Duces interfici curauit, qui Caterbeium Aegypti Sultanum Selimo mortuo substituere deliberauerant. Deinde quorundam hortatu

1520. constituit aggredi Albam Grecorum, quæ ciuitas Belgradum appellatur. Administrabat tum Ludouicus Vladislai regis Vngariæ, de quo supra dixi, filius regnum, iuuenis admodum, atq; ob ætatem adhuc rerum imperitus. Hunc regni proceres expilandum sibi propo suerant adeò, vt nihil ipse præter regium nomen possideret, hinc factum est, quo minus colligi exercitus contra Turcas illicò potuerit. Solimannus itaque nullo impediente commoditatem nactus, subterraneis cuniculis, æreis machinis, atque alijs huiusmodi bellicis instrumentis, paucis è suis amissis, Belgradum expugnauit, quod quidem non tantùm Vngariæ, sed totius etiam Christianitatis propugnaculum erat, quemadmodum infortunia, quæ postea insecuta sunt, manifestè ostende-

runt

runt: facta est autem hæc expugnatio anno à Christo nato 1521. Anno Christi

Cumque Solymannus post eam victoriam annum integrum quieuisset, contra Rhodum arma sumpsit, venit autem sub Iunij mensis finem cum instructissimo apparatu militum ac rerum ad oppugnandum necessariarum. Restitit Viladamus, Rhodiensium equitum magister, strenuè quidem iam aliquot mensibus potentię Solimanni: sed cum Rhodijs nemo suppetias ferret, omni spe destituti Rhodij sese dediderunt, cum Turca tamen prius pacti, vt & viuere & res proprias possidere, demptis æreis machinis, vnicuique concederet. Sicque Solimannus Rhodum obtinuit.

Postea Solimannus anno post Christum natum 1526. Vngaris bellum indixit. Cumque Belgradum venisset Ludouicus quem dixi, rex infœlix hosti obuiam ire constituit, quadam fatali potius necessitate, quàm aut belli ratione, aut spe victoriæ ductus, qui si aliquantulũ expectasset, minus damni accepisset, quia Ioannes Vaiuoda cũ quamplurib. militibus, assuetis pugnare cũ Turcis, quotidie expectabatur. Verũ Paulus Collorẽsis Archiepiscopus, monachus Franciscanus vir manibus promptus, ac ingenio nimium audaci, consilia omnia pugnæ auiditate interturbauit. Summa totius Vngarici exercitus non

Anno Christi

nisi 24. millia hominum in pedites equitesq; distinctorum continebat. Hi cùm Moganum inter Budam ac Belgradum peruenissent, anteriorem Solimanni exercitus partem haud procul abesse conspexerunt, viginti millia equitum erant, qui planiciem importunis ac molestis excursionibus ac leuibus pugnis sine intermissione infestabant.

Vngari verò inter curruũ septa, necessitate sic cogente clausi, ne aquatum quidé equos ducere ad Danubium poterant, sed puteos ad aquam inueniendam excauare eos oportebat. Interea Solimannus cum reliquo exercitu se suis adiunxit, aciebusque vtrinque ordinatis, in ipso conserendarum manuum initio, Turcæ bis tormenta bellica in hostem exonerarunt: equitatus deinde Turcicus in Vngaros immissus est, quo acriter à fronte pugnante, turma itidem Turcorum equitum currus à tergo inuasit.

Cumque ijs succurrere necesse esset, equites qui in regis præsidium in omnem fortunæ euentum seruabantur, eò missi sunt. Interea verò Archiepiscopus multitudine pugnantiũ Turcarum oppressus, interfectus est vnà cum Strigonio & Varadino præsulibus, quamplurimisque nobilibus. Rex destinato antea præsidio destitutus, euadere minimè potuit, sed inter fugiendum in palustrem quandam foueam descendit, ex qua cùm emergere ascendendo

dendo conaretur, ab equo, qui in terga in pa- Anno
ludem obuersa decidit, oppressus est; & quia Christi
grauioribus armis indutus erat, subtrahere se
se ex equo non valuit, sicque tandem coactus
est ibidem rex infœlix vitam miserrimè finire. Solimannus temeritatem regis vehementer admiratus est, qui ducentis millibus hominum cũ tam paruo exercitu obuius factus sit. Mox Budam profectus, vrbis arcem his se conditionibus dedentem, vt & homines & res priuatæ incolumes seruarentur, benignè accepit. Duas deinde statuas æreas per probatissimos olim artifices Matthiæ Regis iussu fabrefactas Constantinopolim duci, ac super Bases è marmore constructas, veluti victoriæ tropheum in foro erigi curauit, & pugna quidem hæc facta est anno 1526. quarto Cal. 1526.
Septembris. Mortuo Ludouico, Ferdinandus Archidux Austriæ Caroli Imperatoris frater, in Vngariæ Regem eligitur, atque eodem anno contra Ioãnem Vaiuodam Comitem, qui regnum ambiebat, mouit, arcesque multas & oppida oppugnauit, multa sibi prius à Solimanno Vngariæ loca adempta recepit, hostéque Vaiuodam fugere coëgit.

Qui se victum & expulsum iniquè ferens, Solimanni implorat fidem, cui causa huius satis digna videbatur quam totis viribus tueretur. Itaque cum validis exercitibus in Vngariam egressus, omnia quæ paulò ante

Anno Christi

à Ferdinando recuperata fuerant, rursus expugnat, recuperata Buda, castra mouit Solymannus in Austriam, Viennam Austriæ Metropolim graui obsidione cinxit sexto Calendarum Octobris. Initio autem obsidionis remisit Solymannus quosdam Christianos captos Viennam, suis nunciaturos, maximo & terrifico armorum apparatu ac viribus hostem adueniſſe. Quod si vltrò deditionem facerent, ab omni iniuria hostem se temperaturum aiunt, cæterùm si pergerent Viennenses obsidionis cursum impedire, ferro & igni ad vnum omnes perituros asserũt. Verùm his non commoti Viennenses Solymanni minas contemnunt, seq; tam strenuè defendũt, vt cũ ignominia hostis recedere coactus sit inglo-
1531. rius. Cumque Solymannus anno 1531. Principes Imperij occupatos esse in Ferdinandi coronatione Aquisgranensi animaduerteret, conatus denuò in Austriam redire, ab Imperatore Carolo, & fratre Ferdinando repul-
1532. sam patitur: hi enim cùm Imperij ordinibus eum retrofugere compulerunt, ac redire vnde venerat.

Solymannus & Persarum Regem Sophi Thoamas appellatum Tauride vrbe exuit, atque fugauit, verùm mox astu & calliditate vrbem Sophi recuperat, & Turcis grauiter cæsis fusisque, sexdecim millia equorum, 18. millia camelorum, & instrumenta militaria

non

non pauca aufert, Turcarum peditũ 30000. in pugna ad Euphratem cæsi. Anno Christi

Cæditur & Barbarossa Pirata Solymanni, maria infestans, ab Andrea Doria præfecto classis Cæsareanæ, Solymannus verò ex altera parte de Germanis ac Bohemis in Croacia victis triumphat. Paulò post cum Solymanno Turcarum Principe Veneti pacis fœdus innouarunt. 1535. 1538. 1540.

Idem Solimannus occupauit in Moria ciuitates aliquot, quas Veneti adhuc residuas habebant: Anno sequenti Imperator, Principes & ciuitates Imperij sub Duce Ioachimo Brandeburgensi contra Solimannum miserunt in Vngariam, vt Budam recipiant, sed infecto negocio rursum discessum est. 1541. 1542. 1543.

Anno 1543. Solymannus interea dum Cæsar Carolus à Francisco Gallo mutuis bellis distenditur, occupat Strigonum & Albam Regalem præclaras Vngariæ ciuitates, deinde sibi consultus, Constantinopolim reuertitur.

Aënobarbus classis Solimannicæ ductor, Villæ Francæ portum occupat, Niciam Sabaudiæ præter arcẽ expugnat: & ne circũueniretur aduentu Marchionis Guasti Cæsaris apud Insubres vicarij, & Andreæ Dorij ex Hispania, spoliato oppido & incẽso, abductisque in miseram captiuitatem viris, adolescentibus, pueris & puellis, Massiliam lætum triumphũ

Anno Christi

Solimanno allaturus, properat: sed à Garsia, viceregis Neapolitani filio, qui se Ioannitiçe classi adiunxerat, interceptus, prẹda illa spoliatur Italica & Nicensi, quã Garsias ouans in portum Siciliæ apud Messanam perduxit.

1544. Miles Solimanni inuaserat regiam regis Halesinorum Pretiosiue Ioannis, pulsis à prę-

1545. sidio Lusitanis & occisis, sed hoc anno recuperata sunt à Lusitanis à Turca omnia.

1548. Solymannus idem Turcarum Imperator expeditionem in Persas iterum aggreditur.

1549. Solymanni primogenitus, de quo postea sub Selimo dicturi sumus, quod fratrem suũ sibi à patre in Imperio præferendum suspicaretur, ad Persas deficit: coactoque de Persis exercitu, in patriam insurgit, locaque Persis finitima oppugnat expugnatque. Sed pater Solymannus cum quingentis millibus militum eò profectus, primò quidem Persas metu perculsos retrocedere coegit: sed incensis à Persis villis pagisque omnibus quacunque dierum quinque spacio profugiebant, ad tantam rerum penuriam redactus est Solymannus, vt centum millibus suorum peste, fame & inopia extinctis ad se reuerti sit coactus.

1550. Hoc anno ineunte 1550. Solymanni mors rumoribus nunciata est, sed falso, nam 16. annis pòst eadem mors primũ secuta. Misit So-

1565. lymannus anno 1565. ingentem exercitum, quo Melitam Rhodijs equitibus attributam,

à mense

à mense Maio vsque ad 11. diem Septembris, ingenti conatu summaque vi obsedit & oppugnauit, tandem verò post varios insultus, amassis multis millibus, re infecta obsidionem soluit. Anno Christi

Anno sequenti Solymanno Vngariam denuò inuadente, Maximilianus II. Imperator potentissimo exercitu eandem ingressus, arcem Paletam obsidione liberauit, Vesprimiumque vrbem Episcopalem, haud procul ab Alba regali sitam cepit: Solymannus contrà Iulam vrbem & arcem in Transsyluaniæ finibus loco natura aquis munito, tradẽte Ladislao Keretschnio 3. septembris obtinuit. Similiter Zigethum arcem munitissimam in paludoso solo, haud longè à Draui ripa sitam, post longam obsidionem, factis quamplurimis, vano prouadendi conatu, insultibus, maximaque suorum militum iactura, cùm obsessi nullo subsidio iuuarentur, quinto decimo insultu die 7. Septembris, vi expugnauit, vniuersis in ea, vnà cum fortissimo Heroe duce Nicolao Sereniæ, qui arci præfectus, ac dominus, eam, quamdiu vires suffecerant, tutauerat, cæsis. Ipse Solymannus Quinque Ecclesijs vrbe celebri, haud longè à castris sita, quarta Septembris tandem obijt, posteaquam genuisset Selimum filium. 1566

Anno Christi

xj. SELIMVS 2.

SELIMVS filius Solimanni, accepto nuncio paternę mortis quanta maxima celeritate Byzantium aduolauit, vbi Imperator consecratus, qui antea Ciliciæ & Pamphiliæ præfectus, fratri in eadęq; præfectura à patre datus erat. Cumque pacem illicò cum Venetis confirmasset, tandem etiam cum Maximiliano 2. Imperatore, has quæ sequũtur ob causas octęnales inducias pepigit.

PRIMA CAVSA FVIT PATRIS Solimanni successus in Transyluania irritus & infælix.

MAximilianus enim Imperator eius nominis secundus, res in Vngaria contra Selimi huius patrem, & quosdam alios, duce fortissimo Lazaro Svvendio, viro rei militaris peritissimo feliciter gessit. Nã princeps Trãssyluaniæ, vel vt illum Turcæ nominant ERDELBEG Ioannes Sigismundi infelix subditus ac Vasallus, confidens potentiæ Domini sui Solimanni, qui tamen proprium commodum magis quàm vtilitatem Vasalli perpendit, effecitque vt consulentibus quibusdã Vngariæ proceribus, Imperatori Maximiliano infidelibus subditis, instigante potissimũ Georgio Bebeckio, fortalitium illud Zatmar apud

apud illos, sed apud nos Sacmar appellatum occuparet, in maximum Imperatoris Maximiliani præiudicium, insuper & præfectum illius Balasi Melchiorem expelleret, vxorem & proles eiusdem vnà cum omnibus mobilibus bonis ac parata pecunia abduceret. Anno Christi

Id quod Imperatori Maximiliano, qui paulo post obitum Ferdinandi tum eidem tanquam verus Regni Hungariæ Hęres patri successerat, adeò displicuit, vt hanc iniuriam sibi ferendam nequaquam existimaret. Quare inter alios militiæ præfectos, Lazarum Svvendium, Baronem in Hohenlandsperg ad se vocauit, eumq; supremum belli Ducem constituit, vtpote, quem sua Maiestas, paucos admodũ nouerat, quos præferendos eidẽ putaret, siue magnanimitatẽ animi cum prudentia, & singulari negotiarum expeditione coniunctam, siue promptam in occurrentibus rerum difficultatibus resolutionem, siue constantem regiminis quoad milites administrationem consideres.

Hic ab Imperatore sibi oblatam dignitatem, & præeminentiam tanquam supremus Dux ea conditione acceptauit, vt plenaria sibi militariter procedendi concederetur Cæsarea potestas agendi scilicet suomet consilio quod bonum & vtile in expediendis rebus illi videretur, cùm sæpe contingat, opti-

Anno Christi optimas negligi conditiones, & amitti occasiones, si necesse fuerit supremo militiæ duci prius omnia ad aulam referre, & consilio aliorum committere. Id verum esse considerans Imperator, ei quam petijt conditionem permisit.

Accesserunt huic Svvendio, suæq; authoritati præter Hungaros sese etiam submiserũt aliquot nobiles Germani colonelli, quos vocant, & excellentes Capitanei, tam equestres, quàm pedestres, quales fuerunt Iohãnes Ruebar dominus in Puchsendorf Austriacus præfectus equitum, postea verò ipsius Svvendij præcipuus Locũ tenens. Item Ioannes Aschẽburgius, Iacobus Schulemburgius, Henricus à Gleitzenthal, præfectus autem peditum Iohannes VVerner à Raitnavv, & Rudolphus à Salis, cum quibus in magno numero equitum ac peditum ingressus est Transyluaniam.

1565. Anno sequenti media fere hyeme mirabili quadam acceleratione vi occupauit Tokay, præfectumque illius prouinciæ ac loci Nemeti Ferenzium missili globo traiecit; tantaque humanitate erga demortui viduam vsus est, vt omnia ornamenta, & quæ possidebat aufferre sibi liceret, quantumuis cõtrariũ suaserunt proceres Vngariæ, Baten. Andreas, Balassi Mechior, & Permi Gabriel, capitulationis articulos allegantes, tamen à concepta humanitate Svvendus resilire noluit.

Posthæc

Posthæc recuperauit Zerenez & Zatmar: cũ- Anno
que vltra fluuium Teyssã transfretaret Svvẽ- Christi
diuscum exercitu, deditionem feceruntloca Erdeud, Cubar, Bathor, Vhibania, siue antiqua Bania, & Zenderevv, hoc est Sancti Andreæ fortalitium, quæ omnia virtute Svvendij in potestatem Imperatoris peruenerunt: Adeò vt hinc Princeps, quem dixi Erdelbeg, coactus sit auxilium patris huius Selimi contra Maximilianum implorare, proposuitque sibi Solimannus Turca, non solum omnem suam potentiam ac vim militarem contra Imperatorem Maximilianum in Vngariam missurum, verùm se quoque propria persona simul profecturum: quod procul dubiò fecisset, nisi eum Consiliarij ab hoc proposito diuertissent, esseque satius iudicasset, eique persuasissent, vt Melitẽses equites aggrederetur. Interea dum Georgius ille Bebeck (qui ab Imperatore Maximiliano ad Principem Erdelbeg & Turcam desecit) proscriberetur, Lazarus Svvendi castra quædam occupat, vtpote Zabatka, Pelsoez, Gombazzeck, Crasnahurca, Gadge, atque alia castra, fortalitia, & oppida, quibus sufficientia imposuit præsidia; fœlix huiusmodi Maximiliani successus, irritusq; Solimanni conatus, occasionem dederunt, & causam vnam cur Selimus hic 2. pacem siue inducias cum Imp. nostro Maximiliano inire voluerit.

Altera

Anno Christi

ALTERA CAVSA FVIT INfelix Selimi 2. patris obsidio Insulæ Melitensis.

MElitensem Insulam quæ 60. separatur à Sicilia milliaribus, pater huius Selimi magnis viribus sibi sumpsit oppugnandam. Cumque in ea sint loca munita & pagi quagraginta quinque, cõsultius esse putauit, eam potius insulam aggredi, quàm amissa in Vngaria & Transsyluaniæ loca recuperare, non enim dubitabat, occupata Melitensi Insula se inde in Siciliam & Italiam facili compendio
1565. traiecturum. Classem igitur ingentem, milite & armis instructissimam mittit, quæ ita prorsus sese comparauit, tanquam Melitam in ditionem Solimanni patris huius Selimi esset reductura, in qua classe erant præter alias naues tum onerarias, tum machonas commeatui cõuehendo accommodas, hermolas & scaphas 168. triremes minutissimæ: porrò nauigia simul omnia ad 240.

Erant Turcici exercitus principes duo, alter terrestris copijs, alter vniuersæ classi præfectus, ille Mustapha, hic verò Pialis dictus. Ijs in hoc bello administrando non bene cõueniebat, quod Mustapha ante Draguti aduentum tormenta è nauibus extrahenda censeret: Pialis verò planè voluit rem ad Draguti

guti accessum differendam. Erat enim Dragutus rei militaris, vt inter Christianos Lazarus Svvendius, ita hic apud Turcas peritissimus, & ad difficilia obeunda strenuus, adeò quidem vt Solimannus iusserit, ne quid eo inconsulto in castris fieret. Sed Dragutus ictus in capite moritur, alijque Turcæ qui terribiliter Insulam sunt aggressi, Melitam relinquunt, receduntque relictis illic suorum cadaueribus ad viginti tria millia, & præterquam, quod illam insulam horrendum in modum ferro & igni vastatam, domos quassatas, vrbium mœnia disiecta, reliquerunt, etiam quinque millia Christianorum hominum desiderata feruntur, & in ijs equites Rhodienses vel Melitenses ducenti quadraginta, sed cum ignominiminia, & indignatione patris Selimi huius 2. qui supererant, redire eò coacti sunt, vnde venerant. Anno Christi

Melitenses enim cum Valetano militiæ Melitensis magistro eximiam virtutem in eo exercuerunt, quod pro Deo, pro religione, & pro Rep. Christiana tam fortiter & constãter seipsos toties ad præsentissima mortis discrimina offerre, seque tam strenuè contra Tyrannum Christianitatis hostem defendere non dubitarunt.

Pius quartus Pontifex Maximus, amplissimas toto orbe diuulgauit condonationes, siue indulgentias, vt ijs inuitaret Christianos ad pre-

Anno Christi

ad precandum Deum pro saluteMelitensium & totius Ecclesiæ. Præterea omni qua potuit ratione Melitensibus opẽ tulit, conscripto milite trium millium, & certa pecunia constituta in illud bellum, adiuncta etiam pulueris tormentarij magna vi.

Missi sunt igitur cum Pompeio Columna 60 o. pedites Neapolim, simul etiam plerique viri illustres sua sponte eo secuti sunt, præclaram suo sumptu Reip. Christianæ in tanta necessitate operam nauaturi. Erant tum aliquã multæ triremes Neapoli, quæ cum his cohortibus profectæ sunt Messanam, vbi classis Philippi Regis Hispaniarum instruebatur, qui tã quam Catholicus & inuictissimus Rex Melitensibus in tanta rerum difficultate magnis suis impendijs opem tulit, per Toletanũ progregem Siciliæ, è cuius classe expositi sunt in Insulam Melitam ad 8 ; 00. milites, qui se ad Valettanum conferunt.

Toletanus verò triremem ingressus, orientem versus nauigat cum vniuersa classe, quæ vbi à Melitensibus ciuibus conspecta est, tormenta & sclopettos omnes gratulationis ergô displodunt: Itemq; Toletanus suarum triremuim torméta omnia, semel atq; iterum exonerari iubet. Mox redit in Siciliam, reliquas copias adducturus, vt maturè Turcica præda potiretur. Iam hostes quatriduo suas res in naues inferre cœperant: cumque iam extremam oppidi

oppidi oppugnationem instituerent, Turca quidam citato equo aduolat, refert magna Christianis venisse auxilia. Mox à Turcis classicum canitur, impedimẽta reliqua colligunt, tormenta in naues inuehuntur, aggeres inflammantur, ac tandem fuga ab hostibus datur, re infecta, cũ magno damno, discedentibus: huius memoria Selimum 2. conuenit à Christiano Imperat. Maximiliano 2. pacem siue inducias petere. Anno Christi

TERTIA CAVSA FVIT SELIMO Maximiliani Imperatoris animus, quo Solimanno sese tanquam murus fortiter ad mortem vsq; eiusdem Solimanni patris huius Selimi opposuit.

MAXIMILIANVS 2. Imp. eius nominis, à Maximiliano illo 1. nequaquã degenerans, cùm non obscurè cognouisset Selimi huius patrem Solimannum ingentẽ belli apparatum instituisse, atque tum Vngariæ, tum Germaniæ atrociter imminere, in comitijs Augustanis egit cum Imperij ordinibus de conscribẽdo milite aduersus sæuissimi hostis impendentem vim & tyrannidem. Itaque cùm peditum, tum equitum instructissimus coactus est exercitus. 1566.

Solimannus cum maximis copijs Maxi-

Anno Christi

miliani exercitum, cui in persona præfuit, cum maximis quidem copijs venit, non ad aggrediendum Imperatorem, sed ad oppugnandum Sigethum, locum in Slauoniæ finibus positum.

Die mensis Iulij 31. milliari vno à Sigetho conscenderunt Turcarum 90. millia, quos ex castris secuta sunt 100000. Turcarum: aliquot diebus pugnabant cum illis, qui erant in arce, nec paucos è suis Turcæ amiserunt pilis tormentorum extinctos duces. 6. Aug. die ipse Soliman. in castra venit, sed ante captũ Sigethũ Tyrannus ille crudelẽ animam expirans mortuus est. Mira interim arte genero eius Mehmet Bassa id celãte, adeò vt etiam Doct. medicum, ne per eum proderetur, clã enecauit. Cæsa sunt aũt in illa obsidione Sigethana Turcicorum equitũ 18000. Genizarorũ 7000. exceptis alijs, qui in scripta relati non sunt, perierunt summi nominis tũ etiam 3. vel 4. Bassæ, quorum multa apud Selimum, Turcasque Ottomannos semper authoritas fuit, ita, vt vetusto more Bassas debeant Imperatores adhibere in consilium, cùm quid serij deliberandum occurrit.

His itaq; causis, & quod contra Venetos, Polonos etiam atque Tunetarum Regem bellum instituerat mouere Selimus, cum Imperatore Maximiliano annorum octo inducias petijt. Lazarus enim Svvendius, de quo paulò

paulò ante diximus, hyeme præcedente non solùm Munkatz occupat, verũ etiã fortissimũ castrũ obsidet Husth nominatũ, id quod ęgerrimè tulit Erdelbeg, & Turcicꝰ ille Bassa, quem Budæ præfecerat Selimus, qui creberrimis literis Imp. Maximilianum sollicitare nõ destitit, orãs, vt ab obsidione Husthẽsi Lazarũ auocaret, nec petitas inducias, de quibus tũ tractabatur, impediret: interea nihilominus Lazari locũ tenens Ioan. Rueber acriter etiã cõtra Turcas militat, vir bellãdi arte peritiss. occupat Risvvar, prẽter termas quas Turcę amiserãt. Cũq; in obsidione hærerẽt Turcæ ante prius ab ipso Svvẽdio occupatũ oppidũ Tockai, eos inde recedere coegit, tãdem Svvendius & fortalitiũ illud munitiss. Zatvvay, quod ad Geor. Bebeckiũ spectabat qui tragędias inter Selimũ Turcã & Imp. perfidia sua excitauit, occupat, à Georgio vnà cum vxore ac liberis derelictum. Anno Christi

Præfectus Budæ ex parte Selimi preciosa admodum dona ac munera magnifica Imperatori Maximiliano mittit, maiorẽ in modum expetens, vt in petitas inducias consentiret, id quod etiam fecit, & acquieuit, vt de inducijs tractaretur, missis in hoc legatis, Domino Antonio Veranzio Episcopo Erlacẽ. & Barone Christophoro Teuffenbachio, qui Viẽna Austriæ discedẽtes, Cõstantinop. venerunt, inducias q; octẽnales cõcluserunt

Anno Christi

ea cõditione, vt antea dictus Erdelbeg Trãſſyluaniæ Princeps, ijſdem Inducijs contineretur, præterea vt omnia loca à Maximiliano per Lazarum Svvendium occupata, citra & vltra flumen Teyſſa appellatum, in poteſtate Cæſaris eiuſdem Maximiliani permanerẽt, quod multum ſanè fuit, cùm ea loca in latum & longum vſque ad 40. miliaria extenderentur, quæ omnia in præiudicium Turcæ & Erdelbegij fuerant adempta. Pactis huiuſmodi inducijs horribilia 2. ſunt oborta incendia, vnum Venetijs, quo totum armamentarium igne abſumptum,
1569. malo omine ſignificabat, à Selimo Cyprum illis eſſe adimendum. Alterum Byzantij ſiue Conſtantinopoli, quod infortunatæ illius expeditionis, a Selimo contra Chriſtianos adornatæ indicium erat, de quibus breuiter poſthac ſumus dicturi.

SELIMVS 2. CYPRI REGNVM adoritur fœliciter.

Selimus, de quo iam agimus, patri in tam immenſas opes, tamque vaſtum Imperium ſuccedens, bellum Venetis propter inſulam Cypri mouere ſtatuens, animum inde hauriens, quod anno ſuperiori armamentarium Venetorum arſiſſet, multis cadis pulueris ſulphurei intempeſta no ctẽ incenſis, vnde magna ei vrbi illata fuêre damna, noui muri par-

ri partim euersi, cum Cœnobio Celestino- Anno
rum, in quo moniales degebant, è quibus v- Christi
na extincta, reliquæ ferè mutilatæ, loca vici
nia propemodum omnia deturbata. Mura-
num oppidum, vbi vitra parantur, non me-
diocriter afflictum: tantus verò eius incen-
dij ftagor fuisse fertur, vt etiam in Istria sit
auditus.

Porrò vt de statu Reip. Venetorum cer-
tior fieri posset Selimus, hoc stratagemate v-
sus est: fingit se legationem in Galliam mit-
tere, quæ cùm Venetias esset appulsa, hono-
rificentissimè est excepta, sumptus præbeba
tur ei è publico per aliquot dies, & munera
adiungebantur, omnibusque ad eam con-
gressus & colloquium admittebatur. Inter-
ea legati calamitatem Venetorum, tam ab
incendio superioris anni, quàm ab annonæ
caritate, sterilique tempestate aceeptam ex-
plorant.

Subscripserat quidem Selimus initio e-
ius Imperij, vt dictum est, articulis fœderis
cum Venetis icti, sancteque se eos seruaturũ
promiserat: sed eius tum fortè immemor,
magno illustris regni Cypri desiderio ille-
ctus, ex primario Bassa Mehmet, qui eius so-
rorẽm habebat in matrimonio, viro prudẽ-
ti scisciatur, quid agendum putaret ea in re
quam ipse iam animo concepisset, grauiter
dehortari cœpit Selimum Mahometes ille

Anno Christi

vesir, primus inter Bassas, ne bellum inferret Venetis, inter cætera etiam affirmans Selimi patrem seueriter illi, cùm abiret è vita, mandasse, vt cum Venetis amicitia coleretur: & ipsum quoque Selimum paulò ante pollicitum, se illis amicum fore. Cæterum eius Bassæ consilium non solùm respuit, sed per contumeliam eum Christianum appellauit. Adhibuit verò in consilium Mustaphã & Pialim (de quibus supra) magnæ dignitatis Bassas, qui egregiè illum ad bellum suscipiendũ incitarunt, oleum camino addentes.

In sententia igitur sua Selimus confirmatus, iubet parari res ad bellum opportunas. Mox instruitur Constantinopoli, & alibi ingens armorum apparatus, diuersis in locis maris AEgæi panis bis coctus, varijq; commeatus magna copia comparatur, pedites equitesque adsciscuntur. Nondum certò cognorant Veneti, quid his sibi vellet Selimus,

1570. donec mense Februario Constantinopoli mitteret Cubati Zauschium Venetias, ibidem à Senatu regnum Cypri repetiturum, quod si reluctati fuerint, illis bellũ indicturum: huic legato Venetias appulso circa initium mensis Aprilis, responsum est à Senatu, se id quod Selimus peteret nequaquã facturos. Arma itaq; parant, suisq; rebus maturè prospiciunt, præsertim cùm interim nũcius Venetias allatus esset, 2. ipsorũ naues Selimũ detri-

detriuisse: itemq; suis itinera includi. Data igitur à Venetis opera est, vt in Creta insula & alibi classis instrueretur, vt de hoc certior redderetur Pius V. Pontifex Maximus, atq; etiam Catholicus Hispaniarum Rex Philippus, & pleriq; alij Christiani Principes. Anno Christi

Selimus interim, qui legatum misit Venetias, vt Cyprum peteret, sed precibus armatis, in Rhodum quoq; ablegauit Amurathem Raisum cum trieribus 25. qui Venetos à ferendis Cypro suppetijs prohiberet. Soluit Constantinopoli Piali Bassa 17. Apr. die cum triremibus 80. & biremibus 30. Vbi autem mense Maio ex legato didicit Selimus, frustra se petijsse Cyprum à Venetis, iussit detineri eorum legatum cum tota familia. Inde decimasexta Maij Turcica classe planè instructa, Hali Bassa soluit Constantinopoli, Piali Bassa in itinere Tiuam Venetorum insulam in Aegęo mari populatus est.

Decesserat per id tempus è vita Petrus Loredanus Venetorum Dux, eiq́ue subrogatus est 5. Idus Maij. Aloysius Moceiacus. Breui tum tẽporis spacio à diuersis oblata sunt Venetis aureorum milia quadraginta sex & octingenti, soluta stipẽdia in militum 15. millia & 78. Multi verò polliciti sunt operam suam in conscribendo & adducendo illis milite, quæ summa hominum millia 58. excessura erat.

Anno Christi

Quarto Cal. Iulij Veneti arcem quandam in Mainæ promontorio Turcis sese dedentibus occuparunt, cuniculisque immisso puluere tormentario planè euerterunt, ingentique præda onusti, cum captiuis versus Corcyram contenderunt.

Porrò Piali Bassa cum triremibus 160. biremibus & triremibus paruis 60. alijsque

1. Iulij. diuersis nauibus Cyprum petebant, 1. Iulij ad Limisum Cypri oppidum appulère, nulloque resistente, in terram egressi, multos captiuos abduxerunt. Sequenti die veniunt ad Salinas cum classe, & illic quoque nemine prohibente, magno ipsorum commodo copias omnes & tormenta in terram exponunt equites, qui ad Salinas erāt, ijs relictis,

22. Iulij. Nicosiam profecti sunt. Turcæ 22. Iulij castra mouent, & Nicosiam contendunt. Conabatur Mustapha Bassa eos, qui in vrbe erant prouocare ad prælium, sed cùm id illi detrectarent, ad vrbem obsidendam & capiendā sese temperauit. Et dum in his angustijs sunt Nicosiani classis Pontificia & Regis Hispaniarū Messana soluens, in Cretam peruenit 8.

8. Septem. Septembris die.

Iam verò inter se totius classis duces (ex parte Pontificis Marcus Antonius Columna, ex parte verò Regis Philippi Ioannes Andreas Auria) cum alijs egregijs viris conuenerant de conserenda cum Turcis manu: quos

quos si superassent, Cyprum liberatum iri non dubitabant. Pugnabant interim Turcæ fortiter ad Nicosiam, sed cùm strenua Christianorum opera, vrbem egregiè propugnãtium multos è suis amitteret, compulsi sunt ab Hali & Piali Bassis subsidia petere, à quibus missa sunt ad eos peditum Turcorum 20000. 8. Septembris venêre Nicosiam: quibus copijs freti Turcæ, sequenti nocte magna vi in vrbis expugnationem incumbunt: sed repelluntur ab oppidanis non sine magna vtrorumque cæde. Tandem occupant Turcæ vrbis munitionem vnam, & quamuis inde quoque fortissimè depulsi essent, tamen multitudine superiores multos cedunt strenuissimos milites, ipsumque Palassum Ducẽ cum alijs nobilibus, atque in oppidum ingressi, magnas edunt hominum strages, ipso quoque Episcopo Nicosensi interfecto. Anno Christi

Tandem Mustafa Turca in vrbem se cõfert, iubet suos cessare à cæde, promittit christianis vitam, si se dedant; & multi quidem faciunt, quod Mustapha hortatur: sed plerique tamen malunt vitam profundere, gnauiter aduersus illos immanissimos Christi hostes pugnando, quàm Turcicam pati seruitutem: ita vt vix relicti sint ex nobilibus 25. aut 30. cum paucis è plebe, qui omnes capti sunt.

Anno Christi 1571.

Ita cesſit Nicoſia Selimo, prædaque data, direpta eſt à milite. Intra vrbem reliquit Muſtapha 5000. Turcarum, è quibus mille fuêre equites, qui ei præſidio eſſent. Hali autem 20. millia ad claſſem reduxit. Inde Muſtapha contendit Famaguſtam vrbem bene munitam: in magno periculo verſabatur ea ciuitas, quæ & Salamis antiquitus appellatur, Nicoſia iam in hoſtium poteſtate redacta.

Inſtitutus à Venetis erat primarius Cypri gubernator Sebaſtianus Venerius: ſed cùm is ob incommodam valetudinẽ eò proficiſci non poſſet, Quirinus vir fortis & ſtrenuus cum 12. triremibus & 4. nauibus onerarijs, quas Veneti Famaguſtæ ſubleuandæ deſtinarant 26. Ianuarij die ad Cyprũ peruenit: poſtquam autem onerariæ naues Famaguſtam attigere, magno omnes gaudio affecti ſunt. Quirinus 16. Februarij à Cypro diſcedens quinto poſt die in Cretam reuerſus eſt: Selymus miſit denuò Hali Baſſam Conſtantinopoli in Cyprum cum quadraginta triremibus, nec his contentus, multas alias inſtruebat triremes, vt poſſit tota potiri Cypro, & ea auctus præda, etiam vlterius progredi. Hali Baſſa cùm in Chium peruenisſet, acceſsit Eubœæ gubernator cum alijs triremibus quadraginta, atque ita ille 80. inſtructus trieribus, ſub Aprilis initium per

rexit

rexit iter habere in Cyprum, nõ mediocria Anno
Mustapha auxilia allaturus. Eum secutus est Christi
paulò post Constantinopoli Portauus Bas-
sa. Tandem Mustapha cùm Idus Maij & Ni-
cosia secum absportans 15. magna tormenta,
ad Famagustam castra posuit. Decimo no-
no Maij ex 10. aggeribus vrbem verberare
cœperunt 74. tormentis, in quibus erant 4.
immanes Basiliſci, qui in vrbe erant, magna
industria cõiectis globis in hæc hostium tor
menta è præcipuis 15. perfregerunt, & ad 30.
hominum millia intra dies 10. interimerũt.
Turcę verò magnum comportant aceruum
ligni, quod tedam vocant, quodque & faci-
lè ardeat, & oleat grauiter: addunt etiam a-
liam materiam, & pariter inflammant. Inde
tanta extitit ignis vis, vt nulla aquarum co-
pia ab oppidanis potuerit extingui. Is ignis
quatriduum durans, & calore & fœtore
compulit obsessos, porta illa clausa interius
recedere.

Iam verò necessariarum rerum omniũ
magna cepere inopia laborare, sed adhuc e-
os sustentabat spes, ducum virtus, & militũ
audacia. Equi, asini & feles quoq; in cibum
cesserant omnes, solo pane fabisque victita-
bant, aquam aceto permixtam bibebant,
neque ea tamen diu suppetebãt. Ad extre-
mum in tanta rerum penuria compulsi, pri-
mores vrbis petunt à Bragadino, qui arci

præe-

Anno Christi

præerat, vt honestis conditionibus vrbs hosti dedatur, cui tamen alioqui prædæ futura sit: Bragadinus vt potest eos confirmat, iubetque bono esse animo: mittiturq; celeriter in Cretam, qui, quo loco Cypri res sint, exponant.

Sed Famagustani dum nulla affulgeret subsidiorum spes, & hostes vrbi vehementer immineret, extrema necessitate compulsi, tandem his conditionibus sese dedunt, vt Venetis salua sit vita, arma, facultates, concedanturque eis quinque machinæ bellicæ, terni pulcherrimi equi, & in Cretam vsq; tutum iter. Græcis autem liceat manere domi suæ, rebus suis frui, & Christianam colere religionem. Hæc verò omnia se seruaturum confirmauit Mustapha proprię manus subscriptione.

Postridie Non. Augusti Bragadinus scribit Mustaphæ, se cum clauibus ad ipsum venturum, & petit ab eo, ne quisquã interim molestia afficiatur. Assentit Mustapha, laudat Bragadini virtutẽ, iubet sine vllo metu eũ, quandocunq; velit, ad se accedere. Nihil igitur formidans Bragadinus sub vesperam cũ multis nobilibus, & 50. gregarijs militibus venit ad tentorium Mustaphæ, ibi primùm ab illo comiter accipiuntur, & cùm eos assidere iussisset, loquitur cum ijs familiariter.

Deinde verò obijcit Bragadino, quod du-

ranti-

rantibus inducijs captiuos quosdam supplicio affecerit, moxque exiliens stomachabundus, iubet omnibus vincula inijci, atque ita extra tentorium productos, ipso inspectante in frusta discindi. Anno Christi

Decimo septimo Augusti, producunt Bragadinum, præsente semper Mustapha, ad singula locavrbis diruta, cogunt in singulis locis binas ascendendo & descendendo terræ mensuras ferre. Deinde cùm transiret Mustapham, humum exoscularimox ad mare eum adducunt, & sedi impositum vsq; ad antennas supra malum pertrahunt, vt à Christianis omnibus, qui adhuc in portu erant, conspiceretur.

Inde in forum eum reducunt, & vinctum illic viuumque non sine immenso cruciatu excoriant, & pellem eius à corpore detractã carnifices palijs & stramine farciunt, atq; ad antennas suspensam per maritima Syriæ localudibrij causa circumducunt, omnibusq; ostentant.

Mustapha postquam expugnasset Cyprũ 100000. hominum omnis generis, tandem ad eius defensionem relicta sunt à Mustapha peditum viginti, equitum verò 2. millia.

Selimus

Anno Christi

SELIMVS 2. EXPEDITIONEM Christianorum aggreditur infœliciter.

Idem Selimus pater Amurathis Turcarum etiamnum adhuc viuẽtis Imperatoris, non ignorans Christianorum apparatus (iã enim opera Pontificis Pij Quinti ictum erat fœdus inter ipsum & Regem Hispaniarum atque Venetos) & Poloni Regis potentiam metuens, Doegutium in Poloniam cum literis mittit, quibus significat Polono, velle
1571. se amicitiam cum ipso conseruare, & commercia vtrinque esse libera. Interea Philippus Hispaniarum Rex fratrem suum Iohannem Austriacum, totius expeditionis Christianæ contra Turcam summum designat Imperatorem, qui soluens ex Hispania Iulij initio venit Genuam cum Rudolpho iam Imperatore & Ernesto Maximiliani cæsaris filijs. Biduo ante Venerius cum Venetorum classe Messanam appulerat, cui adiunctæ erant duodecim Pontificis & quatuor Melitẽsium trieres. Porrò Selimi classis Suppotum, Dulcinum, & Antinarium occupauit.

Veneti post fœdus cum Pio V. & Philippo 2. Pontifice Rom. & Hispaniarũ Rege initum, alios etiam Principes in Selimum incitarunt. Vincentiũ Alexandrum Ciuem Venetum etiã ad Pers. Regem Thomã, quẽ alij

Tach-

Tachmam vocant, legârunt, vt eum ad bellũ Selimo mouendum induceret: Sciebãt enim huic Regi malè cum Turca conuenire: Sed orto paulò post inter Persam & Cairum Sei di Achinati nepotem, propter Geilani regnum, bello, in quo Persæ ferè semper erant inferiores, re infecta, Vincentius ad suos est reuersus. Anno Christi 1371.

Iohannes Augusto mense Neapolim appulit, vbi singulari apparatu exceptus est. E Creta quoque, mandato Senatus Venetiiussi sunt Messanam contendere, qui illic erant, seque cum classe fœderatorum coniungere; eò enim iam peruenerat Iohannes Austriacus, illic honorificè imprimis exceptus, obuiam ei procedentibus Marco Antonio Columna, & Venerio, multoq; bombardorum strepitu eum salutantibus.

Porrò Turcæ ad Corcyram appellentes, insulam illam nauigijs & milite prope cinxisse videbantur. Sed illic ita accepti sunt, vt ex arce coniectis telis, tres eorum triremes depressæ sunt, multique ex illis capti & in ijs Baffus Christianus apostata, qui magna Selimi gratia fruebatur. Idus Septembris non absq; Corcyræ infestatione Turcæ inde recedunt, Pargamq; venientibus, mandatũ à Selimo Imp. (de quo agemus) exhibetur vt capta iã Famagusta, victoriã persequãtur, omnes

Anno Christi 1571.

omnes vicinas insulas occupent, nemini parcant, atque ipsam quoque Christianorum classem disipent: parent Turcæ imperioso Domino Selimo, atque in sinum Corinthiacum se conferunt, vt bis cocto pane, & rebus necessarijs instructa classe Christianos inuadant.

Iohannes autem Austriacus singulis quid agendum esset, quaue progrediendum præscripsit, vniuersamque classem in quatuor partes distribuit: in duo cornua, mediam aciem, & naues subsidiarias. In media acie erat ipse summus Imperator Iohannes Austriacus cum triremibus 61. Decimo sexto Sept. Messana soluerunt, & post aliquot dies venerunt in Corcyram, vbi cognouerunt de Turcarum in ea insula hostili planè animo, designatis facinoribus. Inde in cephaloniã appulêre, vbi literis Pauli Contareni, Lacynthi insulæ præfecti certiores facti sunt, classem Turcicam in sinu Corinthiaco malè affectam hærere. Statuerant igitur cum illis feris hostibus fortiter confligere, Christianæ classis principes, pergentes cum suis ire ad inuadendos illos: Turcæ vicissim, quod sic iussisset Selimus, omnes communi sententia decreuerunt Christianos prælio opprimere, atque ex ijs parta victoria, reliquas Venetorum ditiones inuadere, sicque viam sibi comunire ad totũ orbẽ Christianũ occupãdũ.

Soluunt

Soluunt igitur Nonis Octobris, & ad Galan Anno
gæ littora subsistunt, Christiani quoq; po- Christi
stera luce ex Alexandriæ valle sese mouent. Turcæ tanquam iam victoriæ planè compotes essent, & longè imbecillior foret Christianorum Deus noster, quàm ipsorum pseudopropheta Mahomet, multa edebant signa lætitiæ & gratulationis. Postridie Nonas Octobris summo mane tendunt ad classem Christianorum, secundo vento vsi: Etsi autẽ non amplius 12. millia passuum duæ illæ potentissimæ classes à se inuicem distarent, nõ tamen interim se cernebant.

Vbi autem in mutuos venêre conspectus, Christiani egregiè ad pugnam se comparãt, summo studio singula quæque adornant, tormenta militaria magna, pilis catena coniunctis, alijsque plumbeis & quadratis lapillis instructa, opportunis collocant locis, captiuos Christianos ad triremes damnatos, solutis vinculis, libertate donant, vtque pro Christi nomine, à quo essent libertatem adepti, strenuè decertẽt, armis muniunt, ij verò alijs indiscriminatim admixti, pollicentur se egregiè facturos officium suum: tota verò classis summo cum silentio optimè distributa est Sed nec hostes dormitabãt Christianis obuiam pergentes.

In media acie clarissimus Princeps Austriacus, cum ipso Hali Bassa, & duobus alijs du-

Anno Christi cibus ea virtute & fœlicitate congressus est, vt tametsi quinque triremum ferret impetum, & ter ex ipsa Hali Bassæ prætoria naui, cùm ad malum vsque peruasisset, non sine multa cæde repulsus esset, totam tamen nauim illam occuparit, ipso Bassa interfecto. Ibi tum à Christianis proclamata est victoria, strenuè se vsquequaque gerentibus, nec iam cædendis, sed colligandis hostibus, spolijsque diripiendis operam dabant victores.

Multi ibi capti & cæsi proceres Turcæ, Genyzari, alijque milites prope innumeri. Soli illi euasêre, qui mox ab inchoato prælio minoribus nauigijs aufugerunt, in quibus fuit etiam Portauus Bassa. Fugit tamen etiam Oluzalius cum multis triremibus, quod noctis iam sese ferè intendentibus tenebris, eum persequendi facultas erepta esset.

Post eam tam insignem Christianorum victoriam, quam Christiani ex sæuissima Selymi gente, quatuor horarum spatio retulere, cùm classis Christianorum singulari Ducum industria in portum reducta esset, incredibilis de repentè tempestas orta est, nullo Christianorum detrimento, qui iam in tuto loco essent, vbi etiam triduo festos egêre dies, DEO Optimo Maximo, vti par erat, pro tanta victoria laudes gra-

tesque

teſque agentes. Anno Christi

Interfuerunt huic expeditioni præter eos, quos dixi ex parte ſummi Pontificis, Regis Hiſpaniarum & Venetorum, etiam alij præſtantiſsimi Duces atque heroes nobiliſſimi veluti Caſtiliæ Regni magnus Præfectus ſeu Commendator Ioannes Andreas Doria Princeps Melphitarum, D. Aſcanius de Coruia. Item Alexander Farneſius princeps Parmenſis, qui iam ſupremus militiæ Præfectus & Gubernator generalis eſt Philippi Hiſpaniarũ Regis potentiſsimi in Belgio. Interfuit etiam huic conflictui D. Iohannes Manricques de Lara, Cæſareæ Maieſtatis, aut Hiſpaniarum Regis militiæ præfectus, eorumque ſimul atq; Sereniſsimi Archiducis Ferdinandi intimus Conſiliarius, vir rebus militaribus præſtantiſsimus, & experientia probatiſsimus heros. Adde Franciſcum Mariam de Rouere, filiũ Ducis Guidonis Vbaldi filius, principẽ Vrbini, D. Paulum Iordanum Vrſinum, D. Aluarium Marchionem S. Crucis, & Venetos proceres, Auguſtinum Burbangum, Marcũ Quirinũ, Antonium Canale, alioſque magno numero Duces, Principes, Comites & Barones, nobileſque viros clariſsimos, qui huic, de quo ſcribimus Selymo, ſuiſque militibus pro lege, grege & Rege Chriſtiani nominis ſeſe viriliter opponentes, eam, quam dixi,

Anno Christi

victoriam reportarũt: Cæterum quæ de bello cyprio, in quo Selimus fœlix, ac de naũali pugna, in qua victoria Christianis ad Corinthiacum sinum parta, idem Selimus infœlix fuerat, insuper ad longum scribuntur, à Iohanne Petro Contarreno petas: nam hæc breuibus & succinctè à nobis dicta sufficiãt hactenus: nunc ad fratres & sorores huius Selimi Turcarum Imperatoris.

DE FRATRIBVS AC SORORIBVS Selimi secundi Turcarum Imperatoris.

HAbuit Selimus 2. pater Amurathis 3. nunc existentis Imperatoris Turcici, 4. fratres: quorum MVSTAPHAE Serua muliere ex Circassia oriunda matre, & Soleimãno patre primogenitus est, quem pater Cappadociæ præfectum constituit, principem aliãs egregium, omnibusq; regijs virtutibus ornatum, sed fraude nouercæ, quę Soleimãno Mustapham suspectum adeò reddidit, vt ob suspicionem proditionis, & violatæ fi-
1553. dei sit strangulatus 3. Calen. Septemb. 1553 filio superstite Mahomete terdecimum annum agente, ex Illyrica Serua genito, quem auus Bursiæ præfectura donauit.

MAHOMETES alter frater Selymi Pamphiliæ præfectus, patrem Solymannum morte præuenit.

BAIA-

BAIAZETES tertius Selimi frater Mecho Anno
resiæ Dominus, Selimo fratre insidias ipsi in Christi
tentante, metu patris ad Tamnasum Persarum Regem confugiens, parricidiali cùm patre prælio decertare non veritus, tãto impetu, tantaq; virtute impressionem in acies eius fecit, vt cum suis fuga salutem quærere coactus fuerit, per legatos reuocatus, seçuri percussus est.

EZIANGIR è Bossa serua (quam postea vxorem duxit Solimannus) muliere fraudulenta & nepharia natus (vt & Baiazetes, Mahometes, & Selimus vterini fratres.) Hic gibbo deformis, Mustapha strangulato, tantæ crudelitatis ignarus à patre accitus, & fratrẽ visere iussus, alacer tanquam ad eius complexum properans: vbi eum miserè suffocari tum vidit, plurima de facinoris indignitate & patris crudelitate conquestus, mortem sibi ipsi intulit anno 1553. non sustinens immitis parentis tyrannidem, ita vt solus remaneret Selimus inter omnes fratres superstes, qui sororem habuit, quæ vxor fuit Mahometis vesir, primi inter Bassas, quem supra dixi grauiter dehortatum fuisse Selymum, ne bellum inferret Venetis, cuiusque Bassæ mirabili industria & arte ad Imperium commodissimè & oportunissimè fuit euectus ipse Selymus, qui meritorum eius Bassę immemor, non solùm consilium eius respuit, verũ

Anno Christi

hunc etiam per contumeliam Christianum appellauit, id enim apud Barbaros illos probro, quod apud nos honori datur.

DE DVABVS PRAETEREA SELIMI 2. bellicis expeditionibus, Preto Ioannis in Selimum, & Selimi in Tunetarum Regem.

1572. ANno 1572. nouum oritur inter Selymũ & Dauidem Regem AEthiopiæ, quem Vncanum, Preto Ioannem, Presbyterum Iohannem, vel Pretiosum Iohannem appellãt. Cuius Imperium sub ipso AEquinoctiali positum latissimè sese ad vtrumque Tropicum extendit, Lunæ montes, & maximam Africæ partem complectitur, multosq; sub se reges habet.

Causa belli fuit tributum denegatum, aut dilatum. Cùm enim Turcarum Imperatores ex veteri pacto tributum ducentorum millia nummũm AEthiopum Regi pendant, Selymus id iam biennio non miserat.

Rex itaque Cairum, AEgypti vrbem celeberrimam, quam & Memphim & Babylonem vocant, vniuersumque agrum sub Imperio Turcico vicinum, emissis Nili aquis, submersit. Est enim huius Regis arbitrio, placidè & moderatè aquas Nili in hos

in hos agros immittere, solumque fœcun- Anno
dare, cùm nec niues habeat, nec imbres: aut Christi
perforatis quibusdam angustijs, vrbes & agros, homines atq; iumenta fluctibus inuoluere, & suffocare. Purpuratus Memphyticus ferro potius, quàm auro, se inundationem hanc coërcere posse putans, multos Arabes, Mauros, multosque Cairi incolas, accolasq; coëgit, finesque AEthiopum ingressus, omnia vastat, & populabundus ad Sabam & Meroën percurrit, angustias illas occupare, & obstruere conatus.

Sed à Dauide præuentus est, omnes Mauri & Arabes cæsi, capti, & in fugam versi sunt. Id cùm malè Purpurato succesisset, simulat se inscio amici regis agros spoliatos esse. Sed AEthiops non ignarus cuius auspicijs hæc gesta erant, literas Purpurato mittit, & vt tributum soluat sine vlla contradictione, aut prorogatione imperat: id nisi faciat, se finitimos Turcarum agros hostiliter ingressurum, omniaque ferro & flamma vastaturum, quod & confestim feciisset, nisi cum Persa de Arabiæ finibus bellum metuisset, quod paulò post prudenti consilio est sopitum.

Selimus cùm nondum iram ex clade Corinthiaca acceptam decoquere posset, multos Græcorum sacerdotes miseris mo-

Anno Christi 1574.

dis interfici mandauit. eos accusans, quod Deum pro Christianorum salute aduersus Turcicam incolumitatem precati fuissent.

Selimus præterea indignum sua Maiestate arbitratus, Adolescentem Iohannem Austriacum, aut Regẽ Philippum, reges sibi cõfederatos bello premere, sibiq; subijcere: per hyemem instructissimam classem apparari iussit, scripsitque ad omnes Africę proceres, vt funditus euerterent, quicquid Hispaniarum Rex in Africa possideret: suam classem ad Tunetanam expeditionem constructam, breui affore pollicebatur. Huic classi Sinamum virum militarem præfecit: constabat autem 160. longis nauibus rostratis, 30. onerarijs, multisque alijs nauigijs. Hæc per Aegæum & Ionium nauigans, Cyprumq;, Rhodum, Peloponesum, Corcyram & Hydrũtum prætergecta, tandem in mare Punicum peruenit: & primum Iulio mense à Christianis est conspecta. Quod autem non citius appulsa esset, in causa erat, grauissima pestis, quam eam depopulabatur plurimis quotidie morientibus, & in mare proiectis. Eadem quoq; lues Cyprum Insulam paulò ante inuaserat, eamque nunc pene præteriti belli calamitatem oblitam, iterum Cilicibus, Pamphilijs, Cappadocibus, alijsque colonis, qui in eam transfretârant desertam reddidit & deformatam.

Ante-

Antequam classis Turcica in conspectu esset, terrestres copiæ conuenire visæ sunt, quæ ex Tripoli, Caruano, Iulia Cæsana, Meminga Insula & Constantina confluxerunt: his se Numidæ, Mauri, Alerbi, cum duobus Genizerorum, & quatuor Hebræorum millibus adiunxerunt, ita vt exercitus ille 40. millium armatorum constaret, qui ad Guletæ, Tunetiq; expeditionem concurrebant. Anno Christi

Non latuêre vires Turcicæ Serbellonum Tuneti præfectum, qui Petrum Carreram Hispanum, cui Guletæ cura erat demandata, accesit, vt de Guleta munienda consiliũ simul inirent. Reparatis itaque fossis, aggeribus & muris, nouisq; propugnaculis (quod iam dudum antea fieri debuisset) tumultuario opere, pro temporis breuitate excitatis, vterq; se ad defensionem parat, Serbellonus Italus ad Tunetanam & arcis nouæ, Carrera Hispanus ad Guletanam. 1531.

Siuamus itaque terrestres copias omnes summis viribus Tunetum aggredi iubet: expeditioni huic præfert Aydarum Purpuratum Caruanum, ille statim 16. tormentis muro admotis eum disturbauit. Serbellonus hostiũ cognito cõsilio, & virib. vrbe cedit, & suos in arcẽ nouam ducit. Turcæ deinde Guletam, ea parte qua Carthaginem respicit, incredibili tormentorum tempestate verberare cœperunt: ita vt Carrera sibi metuens, 1532.

Anno Christi

noua à Serbellono auxilia petere cogeretur.

Serbellonus ægrè tandem 650. milites sub Duce Petro Manuellio submisit. Ipse verò Serbellonus munitioni perficiendæ gnauiter insistebat. Turcæ Guletæ partem, quę mare prospectat, haud segnius diuerberarunt, pontibusque exantennis factis oppugnarunt: cadunt vtrinq; multi Iterum à Serbellono subsidia petit Carrera, interea literę Cardinalis Granuellani adferuntur de nouis copijs mittendis.

Martinus itaq; Cagnerus & Maldonatus cum suis Hispanorum cohortibus, & Hercules Pisernus item Guletam intrant. Hostis impressiones geminans, munitionem quandam intrauit: sed præsidiariorum virtute iterum in fugam reijcitur, & occupatam munitionem multo vtriusq; partis sanguine deserere coactus est.

Cæterùm cùm quotidie præsidiariorum numerus decresceret, iterum à Serbellono petuntur auxilia: mittuntur Italorum aliquot manipuli, qui lintribus impositi, noctis beneficio salui in arcem venerunt.

Turca obsidionis diuturnitate pertæsus, metuens etiam ne fortè hyemis (quæ accelerabat) tempestate impediretur, quominus Guleta expugnata, arcem nouam occupare posset: summa vi & celeritate agendum

gendum ratus, innumerabiles copias, Iulia Cæsarea iterum in castra vocat, tantaque contentione arcem oppugnauit, vt tandem ea, cæsis penè omnibus Christianis, potiretur. Anno Christi

Turcæ mox expugnata quoque turri aquæ, omnes vires in Serbellonum, nouamque arcem conuerterunt, eamque tanta tormentorum multitudine & violentia verberauerunt, tot impressionibus oppugnauerunt, vt præsidiarijs penè omnibus occisis, tandem expugnauerunt: abductisque omnibus munitionibus, Guletam, vnà cum noua arce funditus euertunt. Serbellonum autem Carreram, & 12. alios duces, rasis barbis, catenis ad transtra alligatos, Byzantium abduxerunt.

Quo in itinere partem victricis classis in hyberna mittit Sinamus, partem ad Insulam Corcyram appellit, tanquam omnes Venetorum naues vnà cum Insula vi occupaturus: Veneti iam paulò ante præsidium Insulæ (ducentis tantùm militibus relictis) exauctorarant, fidei enim & societati à Selimo acceptæ nitebantur.

Turcæ scaphis in terram exposiți, agros vastare, rapere quæque obuia, multaque hostilia exercere. Corcyræi cùm Turcarũ petulantiam diutius ferre nõ possent, erumpẽtes, armati in Turcas, eos passim vulnerarũt, & occi-

Anno Christi

& occiderunt. Nihilominus Sinamum & reliquos proceres amicè salutabant, & in vrbé recipiebant, muneraque qualia ab amicis accipi solent, mittebant: at Sinamus spretis muneribus, Corcyreis grauiter minitabatur, quòd homines Selimi tam crudeliter occiderant. Illi amicos se Selimi esse, defendi à suo milite debere, non offendi, se lacessitos & graui damno accepto ad arma prouisse. Sinamus eorum causæ æquitate, iustisque rationibus spretis, irato stomacho, hyemis iniuriam metuens, vela ventis dat, & magno cum triumpho Byzantium ingressus est.

Veneti Tyranni arrogantiam, implacabilemque iracundiam veriti, in præteritorũ temporum fœdifragas Turcarum factiones, præcipuè verò in Iaderẽsis agri inuasionem prospiciẽtes, indictionibus per ditiones suas imperatis, de munienda Corcyra consilium captare cœperunt.

Musitabatur etiam eodem ferè tempore de expeditione noua vere nouo in Cretensem insulam suscipienda: omniaque ad eam necessaria, per omnes Turcarum ditiones inquiri, emi & comportari. Magna enim Selimus hac victoria elatus, sibi in futurum annum pollicebatur: sed dissipauit Dominus consilium eius, & repentino morbo percussum, è viuis migrare iussit. Papa quoque seu sacerdos Turcarum summus, quem Muffi appel-

appellant, circa idem tempus mortuus Atq; hactenus quidem de Selimo 2. eius nominis Turcarum Imperatore, vndecimo in recta linea ab Ottomanno, sequitur de Amurathe 3. eius quoq; nominis, sed 12. in linea ab eodem Ottomanno recta. Anno Christi

xij. AMVRATHES.

AMVRATHES tertius eius nominis Turcarum Imperator, filius Selimi 2. natu maximus, post obitum patris tanto silentio à Bassis siue purpuratis proceribus ad occupandum Imperium vocatur, vt prius Constantinopolim veniret, quàm adesse ab omnibus suspicaretur. Hic annos natus viginti septé, Imperium ne quas domesticas timeret insidias, more prædecessorum suorum, auspicatus est à cæde quinque fratrum (de quibus postea) matrisque suę, & multorum procerũ Imperij. Genyzaris, eò indignantibus quod inscijs illis Imp. inuasisset, multa priuilegia cõcesit, stipendia auxit, mutilatos in prælio immunes à bello fecit, victumque eis ad vitam transigendam dari iussit, numerumque eorum duobus millibus auxit, ita vt nunc 16. sint Genyzarorum millia.

Et quia pater huius Amurathis à Sinamo Bassa persuasus, magnos belli apparatus comportari iusserat, Pontifex Gregorius XIII. filio nihil confidens, Anconam vrbem mariti-

Anno Christi

maritimam Piceni, opera Pacioti Vrbinatis munitam, filio suo Boncõpagno custodiendam dedit.

Melitenses quoque, ne quid Insula detrimenti caperet, aduigilarũt: & Veneti classem, quam Amurathes Byzantij siue Cõstantinopoli apparabat, metuentes, Ferdinando Vitellio mãdarunt, vt Corcyram nouis propugnaculis, vbi opus esset, muniret, licet Amurathes nihil sibi foris tentandum esse existimauit, priusquam Imperium domi stabiliret, atque Tyrones per classem apparatam mari duntaxat assuescerẽt.

Hic Turcarum Imperator Amurathes, vt quemadmodum pater Selimus Maximilianum secundum, sic etiam filius, Maximiliani Christianorum Imperatoris filium Rudolphum secundum fortem antagonistam haberet. Fuit sub idem quoque tempus RVDOLPHVS Dei Gratia in Comitijs Casurgi primùm Bohemiæ Rex, & paulò post Augustę Vindelicorum, Rex Romanorum declaratus, patri deinde vitam cum morte commutanti, in Imperio succedens, Imperator factus est, cum quo statim Amurathes octennales inducias pepigit, quas anno 1584. finitas, in alios subsequentes octo annos, hoc est vsque ad initium huius anni 1592. prorogari petijt, vt interim contra Persas Georgianos, aliasque sibi in-

uisas

uisas gentes bellum tantò tutius gereret, & filij sui circuncisionem, filiæque nuptias maiori cum pompa & solemnitate celebrare posset, quemadmodum de his infra latius, grata tamen breuitate tractabimus. Anno Christi

Amurathes memor cladis, quam superioribus annis Iuonia cum Polonis Kosacis Turcicis ditionibus intulerat, vt Polonos vlciscereturmense Octobri centum & vndecim millibus Scytharum Præcopensium collectis, nouem regiones Rusicas quaque versum, ad quadraginta milliaria vastauit. Ducentas domos equestris ordinis, villasque plurimas immites ij hostes exusserunt: senes decrepitos puerulosque ad vbera materna plorantes, trucidarunt, cæteros homines cum iumentis captiuos abduxerunt: lassis pecoribus crura succidebant, viuis coria ad vincendos homines detrahebant.

Poloni & Rusi ad Nestrum fluuium hostes, sed paulò serius, assequuntur: tergumque agminis carpentes, multos Scythas occiderunt, inter alios præfectum quendam cum septingentis quos ducebat. Dumq; reliqui Nestro transmissoin Valachia partiuntur, Kosaci Borysthenis accolæ, ductore Bogdano Rosinskio, in Scythiã irruunt, flamma & cædibus omnia cõplent. fœminarum vbera abscindũt, quasdã excæcãt, quasdã occidũt, liberos

Anno Christi 1576. liberos collidũt, veterum captiuorum multis liberatis.

Paulò post Turciæ quamplurimas regiones, vehementissima pestis diuexabat, adeò, vt hac contagione multa hominum millia morerentur: verùm eo contempto nihilo segnius illi barbari bellum adornabant, Christianorum tamen non leuiter apparatum (quem à certis hominibus fieri didicerant) metuentes.

Philippus enim Hispaniarum Rex instructissimam classem in Africam misit, vt Susã & Archangenem, Mauritanię Insulas adiret: præerat Marchio S. Crucis. Luzalis Turcicæ classis præfectus, postquã intellexit classem regiam in Sicilia ad anchoras stare, mittit eò triremem, quæ quid consilij captarẽt regij, exploraret. Erat in ea Neapolitanus quidam adolescens captiuus, miræ pulchritudinis, quem Nauarchus quidam in delitijs habebat, cuiusque pudicitiæ insidiabatur, ægrè hoc tulit adolescens, conuenitq; clam cum alijs captiuis, vt primùm Nauarchum, deinde reliquos Turcas dormientes interficerent: euentus consilium sequutus est: captiui liberati cum naui salua Neapolim venerunt.

Nunciat adolescens ille Turcas Melitensibus bellum parare: id se in triremi audiuisse. Quod vbi intellectum est, Marchio sãctæ Cru-

Crucis cum classe reuocatus est. Præfectus verò Lacynthi triremem emit, vt quid moliantur Turcæ exploret. Illa postquam redijsset, indicat Turcicam classem non esse metuendam: milites qui in ea erant, tyrones esse, & tantùm se exercere in rebus nauticis, quò ad bellum fierent expeditiores. Anno Christi

Tachmas Persarum Rex, qui anno superiori obierat, postquam regnasset 42. annos, aut eò amplius, Hardani filio tertio genito regnum reliquerat, sed cùm ignauus ille esset, & regno minus dignus, Ismael secũdo genitus à sorore & proceribus regni carceribus, in quos iussu patris coniectus erat, eximitur, & decollato Caidare rex creatur. Qui quidem Ismael vt regnum stabiliret, paulò post creationem se domi continuit, iussitq; diuulgari, se mortuum esse, quod cùm iam crederetur, detecta sunt multorum occulta odia, & in regem conspirationes, quæ per Coryphæos ad Regem perferebantur.

Rex hostes suos vbique capi & necari iubet, collectisque copijs fugientes ad regni fines persequitur. Turcæ contermini metuentes sibi bellum parari, excursiones faciunt & fines Persię lacessere cęperunt. Persæ dum iniuriam vlciscuntur, belli noui initium dedere. Sed Ismael cum 6. menses regnasset (alij alterum vsque annum eundem regno præfuisse scribũt) à sorore veneno extinguitur,

Anno Christi 1576. cui Mahomet Hodabeudes (quod vocabulum apud Persas seruum Dei interpretatur) inter filios Sach Tachmæ primogenitus, is Emircano Mirizi filio suo cœpti belli contra Turcas continuationem demandauit: conscriptisque magnis copijs, Babylonem proficiscitur, vt pro more regni illic se gladio accingeret. Qua fama cùm Byzantium esset perlata, Amurathes Turcarum Imperator veritus ne Persa loca sibi olim sublata, bellica manu repeteret, exercitum collegit, & in fines Persarum misit. Persarum rex Hodabeudes collectis octoginta equitum millibus, fines itidem Turcicos cœpit depopulari. Sed cùm Amurathes maximam suorum cladem ex vlternis grassante peste accepisset, & cũ fame confligeret: cũq; ex Stephano Batore Poloniæ rege intellexisset, Christianos arma parare, non ausus erat, quas decreuerat copias in Persas vltra fines Persiæ

1577. mittere. Interim noui fiunt in regno Persiæ apparatus, ad bellum Turcis inferendum. Reges enim Persarum, se iura belli contra ingluuiem Ottomannicam habere dicunt, ob ereptam sibi à Turcis Babyloniam, Chilortum, Argas, Adilgæum, Bergerium, Cassanum, Chiesam, Esrunum, & Vanum, magnę dignitatis vrbes. Persæ fœdus iam olim contraxere cum Christiano Principe Leuenthbegio,

begio, Georgianorum, qui Colchidem, Albaniam, & Iberiam incolunt Duce, qui ad decem millia egregiorum equitum, numerosumque peditatum semper ad nutum in armis habet. His accedebant nonnulli Turcarum Principes, in Armeniæ minoris montibus habitantes, & cum Amurathe dissidentes cum 8000. equitum. Anno Christi

Scythæ cùm conditiones fœderis à se Amurathi propositas obtinere non possent, ad Persas quoque defecerunt. Codabeuches itaque Mahomet filius Tachmæ, nepos Ismaelis, pronepos Erduilij, qui Vsum Cassani filiam Martham vxorem duxit, filium verò eiusdem Cassani Iacobum cum duobus filijs Iacobi Aluant & Murathem exstirpauit, adeò vt præter sororem Iacobi Martham, nullus ex VSVM CASSANI Persarum veri & legitimi hæredis existeret amplius. Cudabendes, inquam, (cuius pronepotem aliqui nescio quàm verè Seidam Caidar, qui ab Ali, genero Mahometis pseudoprophetæ stirpem nongentorum nonaginta annorum serie numerabat, deducunt.) Rex Persarum, interfectis fratribus Haidare & Ismaele, Sultanos suos conuocat, qui repentò 10000. ad bellum educebant.

Amurathes Turca sciens non contemnendas esse Persarum vires, naualem expeditionem in Christianos intermittit, & omnes

Anno Christi 1578. vires ad fines suos contra Persam tutandos mittit, sed Scythis & multis Americæ Turcis deficientibus, inque Persarum castra fugientibus, Cudabeuches Turcarum prouincias & obuia quæq; in suam redigit potestatem, Vanumque vrbem Armeniæ vi cæpit, atque inuentos Turcas Mahumet Hudabeuches Rex Persarum, tamquam pecudes occidi iussit.

Amurathes magnos Constantinopoli faciebat belli apparatus, eosq; in Syriam multis nauigijs misit, ipse quoque ad Persicum bellum profecturus dicebatur. Cùm autem partim fœlicibus Persarum victorijs; partim multarum gentium ab amicitia Turcarum ad Persas defectionibus, Turcarum belligerandi alacritas non parum retunderetur, missa sunt ex castris Byzantium siue Constãtinopolim multorum Turcarũ rasa de more Persarum capita, amputatæ nares, aureq; abscissæ, cum vafro commẽto, hæc membra esse Persarum, à Turcis interfectorum, quo nouo hoc stratagemate Turcas ad bellum redderent alacriores.

Amurathes Persicum bellum tamen interim demandauit Mustaphæ, qui Scytharum Ottomannicis rebus studioſorũ multa millia iussit fines Persarum ad Derbentum inuadere. Ipse in regnum Siruanum irruptionem parabat. Cumque illi per fines Georgianorũ

gentis

gentis amplæ, cuius Imperium ab Hircano mari ad Mœotim extenditur, transeundum esset, multis beneuolentiæ significationibus ab eis exceptus, & ponte exstructo per latissimum fluuium deductus est. Mustapha finistra de Georgianis suspicione concepta, 30000. armatorum ad pontis custodiam reliquit. Id grauiter accidit Georgianis. Ipse populabundus ad Sammachium eius regni Metropolim, nullo resistente procurrit, vrbemq; facili negotio capit; relicto Achmete cum 25000. hominum, ad illius vrbis custodiam, in Armeniam pergit. Anno Christi

Persæ de aduentu Mustaphæ & Scytharum certiores facti, diuisis copijs, alterã partem in Scythas, alteram in Mustapham immittunt. Pugnatum est cum Scythis acriter: sed victi Scythæ, paucis fugientibus, reliqui trucidati sunt. Qui Mustapham insectabantur, eum altissimis aggeribus inclusum inuenerunt: cumque oblata pugna, in campum non descenderet, varijs contumelijs atque conuitijs à Persis proscinditur.

Turcæ contumeliarum quotidianarum impatientes, pugnam sine tormentis bellicis accipiunt, inque planitiem venientes, sese aduersum Persas sistunt, manumque conserunt, pugnatur totis viribus vsq; in multas horas: sed superiores Persæ, Turcas fundunt, fugantq;.

Anno Christi

Cuius victoriæ Georgiani certiores facti, collectis ilicò copijs, ab altera parte, & qui ad pontis custodiam relicti erant, & qui ex acie profugerant, omnes occiderunt. Cæsa sunt ea victoria octuaginta millia Turcarum, proceres omnes aut capti, aut trucidati: Sammachium recuperatum, bellicus apparatus interceptus, è Persis 44. millia desiderabantur. Amurathes, accepto cladis nuntio, multa per Imperium lætitiæ signa edi iubet, & Persas iam debellatos esse diuulgat, ne animi suorum à Persico bello abhorrerent.

1579.

Posthæc Turcę cùm 20. millia equorum & septem Camelorum in fines Persarum, adiuncto 10. millium armatorum præsidio pabulatum misissent, vt per æstatem fieri solet, à Persis ex improuiso circunueniuntur, omnesque, nullo fortitudinis edito signo, trucidantur, armentaque diripiuntur. Hæc & superioribus temporibus accepta damna, Amurathem permouerunt, vt de Mustapha Byzantium reuocando, & Sinamo Guletæ expugnatore in eius locum surrogando, cœperit cogitare.

Vt autem Georgianorum vires à Persis disiungeret, eò quod Persis auxiliari videretur, in finibus maioris Armeniæ munitionē fortissimam iussit excitari. Persæ cognito Turcarū cōsilio, copias suas in duas diuidunt

dunt partes, alteram in hanc munitionē im- Anno
mittunt, qua & leni prælio potiuntur: altera Christi
ad Vanni Babyloniæ oppidi expugnationē proficiscitur. Interea aduenies Sinamus Bassa cum nouo exercitu, cùm intellexisset Persarum copias auctas esse, prouocatus, cum ijs belli aleam periclitare non est ausus: sed conuasatis omnibus, campum deseruit, & Argironem se recepit.

Insequentes eum Persæ, exercitus tergum adoriuntur, multosque cadunt, alios in fugam vertunt. Inde ad munitionem Carsi, paulò ante ad mare Euxinum extructam, proficiscūtur: quam breui tempore, decem millibus Turcarum & Genyzarorum trucidatis, expugnarunt. Sed & paulò post, cùm Sinamus Argirone penuria plurimum laboraret, Mahometi filium in Persiam cum trēdecim equitū millibus abire iussit, & vt obuia quæq; diriperet, Argironemq; comportaret, mandauit. ille non segniter imperata facit, prædaque onustus maxima, cum socia castra iam quasi in conspectu haberet, à Persis nil tale suspicatus, intercipitur, qui Turcis omnibus occisis, prædam & captiuos recuperarunt. Dux ipse 4. acceptis vulneribus equi bonitate periculum mortis euasit.

Ochiali Bassa superioribus annis in Col- 1580.
chidem nauigans, Phasidis amnis accolas domuit. Sed & Mustapha post eum contra

Anno Christi

Persas missus, primùm Georgianos Iberos, qui christum Græcorum more colunt, eò quod cum Persis sentire viderentur, inuasit, atq; inopinantes ita oppressit, vt bonam eorum prouinciæ partem, cum ciuitate Tifli occuparit, ijsq; tributum annuum imposuerit. Quare Principes eorum Constantinopolim ad Imperatorem elapsi profugerunt, vrbemque magno & splendido comitatu ducentorum circiter hominum ingressi, solenniter à Turcis excepti fuêre, deficiente paulò post iuniore fratre cũ sua cohorte ad Mahometismum, non aliam ob causam, quàm vt hoc modo Turcarum fauorem aucupare tur, occasionemque & opportunitatem captaret, fratrem seniorem Quarckvvare Arabas Imperio & Principatu Ibeirę exturbandi, quod & actum est. Qui cùm aliquandiu Byzantij commoratus esset, rebus desperatis, & nullo eorum quæ petierat impetrato, vnà cum fratre apostata dimissus est.

Persarum Imperator etsi multis victorijs Turcas fuderat, tamen quia regni proprij fines ipse, ad excludendum hostem inopia commeatus deuastârat, pacis erat cupidus, & ad Mustapham aliquoties misit, qui de pace cum eo agerent. Cæterùm ille homo truculentus, & inquieti spiritus, omnem pacis mentionẽ reiecit, nec legatos admittere voluit. Quod cùm ad Amurathem per nuncios allatum

allatum esset, Mustapham reuocauit, & Persæ licentiam dedit legatos mittendi: venerunt illi Byzantium circa mensem Augustũ. Cumque aliquandiu de pace disceptassent, nec inter ipsos conueniret, Turcæ namque Mediam sibi concedi postulabant, & Persæ Mediæ causa omnia facere videbãtur, in Persidem reuersi sunt. Anno Christi

Amurathes Philippi Hispaniarum Regis vires metuens, cum eodem pacem fecit, anno 1579. vt scribit Natalis, Franciscus verò Billerbeg, pacem hanc esse factam anno *1581.* per Epistolam ex Cõstantinopoli scriptam asserit. Ad quam pacem conficiendam cum potentissimo Hispaniarum Rege coegit Amurathem bellum cum Persa tam crebro in auspicatè gestum, contra quem quidem Persam Sinan & Osman Bassas miserat, quorum prior Tunetani regni euersor, tunc contra Persas ventis minimè secundis vtebatur. 1579.

Anno tamen 1581. recollecto exercitu, ad ciuitatem Ezerum in Euphratis fluuij ripis sitam, resedit, Constantinopoli circa Aprilem nouis auxilijs commeatuque per Pontum Euxinum, & Trapezuntium adiutus. Alter verò Osman Bassa, exercitum suum ad portas Caspias habebat, qui, nisi se locorum beneficio tuitus fuisset, & à Tartaris adiutus esset, in extremas venisset eæstate difficultates. 1581.

Anno Christi

Putabant multi Amurathem imprudenter fuisse, quod Osmannum Mustaphæ substituisset, Mustaphamq́; ex isto bello, cui tamen is magis erat idoneus, reuocasset. Erat enim is rerum bellicarum, earumq́; regionum peritissimus, sed quia ad Imperatorem Amurathē delatus fuerat, quod officia bellica diuideret ijs, qui ad ea minus erant apti, & quod legatis exterarum nationum ad se aditum negaret, in indignationem Amurathis venit, cuius is minas iraſque metuens reuersus Constantinopolim, sumpto veneno seipsum iam octogenarium interfecit. Hic erat ille Mustapha, qui (vt antea sub Selimo secundo diximus) Cyprum Venetis ademit, & Bragadino Famagustæ præfecto contra datam fidem, viuo pellem detraxit.

Sinamus siue Sinan Bassa 7. Calend. Augusti anno 1581. inducijs factis cum Rege Persarum, donec de pace ageretur, Constantinopolim ingressus est. 14. deinde Cal.
1582. April. anni sequentis, Persarum quoq; Legatus ad Amurathē venit, de pace acturus. Erat legatus Regi Persico sanguine iunctus & Ibracinus Can dicebatur: homo qui ob singulares animi dotes, etiam ab hostibus prædicabatur. Hic cùm de pace agere inciperet, non inuenit talem rerum constitutionem, qualē ex Sinan Bassæ pollicitationibus speraſſet.

rasset. Nam Turcæ regnum Mediæ integrũ sibi concedi volebant, propterea quod aliquam eius partem initio belli occupassent. Anno Christi

Persæ contra non modò Media cedere non volũt, verùm etiam quod sibi iniustè ereptum conqueruntur, restitui debere postulabant. Diu disceptatur, Persę pacis amãtiores aliqua concedere, Turcę nihil remittere velle videbãtur: discessum est, vt legati ad Persię regẽ mitterent, eius voluntatẽ scrutaturos. Interea nunciatur Osmã Bassã, qui cum exercitu ad portas ferreas sedebat, eruptione in Mediam facta, multum habitatorib. tempore induciarum, nihil mali metuẽtibus, damni intulisse: sed à Persis superueni entibus, insigni clade repressum esse. Quę cũ celeriter Byzantij nunciata essent, & Osmã in Persas culpam deriuaret, tanquam ipsi tẽpore induciarũ Turcas incautos oppressissent: Amurathes ira correptus, Persici legati sedem, quam in Hippodromo spectandis ludis (qui ob filij sui circuncisionẽ, cuius antea mentionem fecimus, & de qua mox dicemus, exhibebantur) habebat, dirui iussit, & legatum ædibus exire prohibuit.

DE FESTIVITATE CIRCVNCISIONIS Mahumetis filij Imperatoris Turcici Amurathis 3.

Habuit Amurathes filium Mahometem nomine, puerum annorum plus minus 16.

Huic

Anno Christi 1582. Huic tunc Byzantij, vt circumcideretur iuxta Mahumeticæ legis præscriptum, celeberrimum festum parabatur, quod inchoatum est circa 9. Maij, durauitque ad 22. diē Iulij. Incedebat sæpè per ciuitatem magna cum pompa Amurathes pater, comitatus filio. Variæ animalium & volatilium formæ ex saccaro confectæ circumferebantur. Ciues, opificesque omnes artis & scientiarum insignia, Christiani pariter & Turcæ, Iudęique in honorem Sultani crescentis, magna cū lætitia circumducebant, totaque vrbs in lętitiam & triumphum soluta esse videbatur. Præterea nulla erat societas, quæ nō aliquod egregium artis suæ opus Sultano offerret, quibusve ipse è contra non aliquid largiretur.

Ludorum verò locus erat Hippodromus vbi Amurathes cum filio residens, ludos varij generis conspiciebat. Aderant præterea primarij Turcæ omnes, & legati regum & Principum ex toto ferè orbe cōuocatorum: Inter Christianorum legatos, Cæsaris Romanorum orator: inter Ethnicos Legatus Regis Persarum primùm habebat locum. Edebantur ibi varij generis ludi, variæ pugnarum & certaminum formæ, expugnationúque diuersi modi & simulachra monstrabantur.

Ignes artificiales magna cū arte confecti, de no-

de noctu accendebantur. Pleraque in Turcarum laudes, & Christianorum ignominiã fingebantur. Erant præterea quæ miro artificio atque agilitate in funibus ambularent atque saltarent, saltationes de nocte fiebant. Comediæ atque Tragediæ à Christianis atque Hebræis eodem quoque tempore agebantur. Anno Christi

Depugnabant etiam feræ, inter reliquas porcus domesticus ex ædibus Imperatoris Cæsarei petitus, cum tribus leonibus modico interuallo ita pugnauit, vt eorum impetum non modò egregiè sustinuerit, sed &, nisi vno pede ligatus fuisset, forsan etiam eos fugasset, vicisseteque. Vnum certè eum vltimum naso ita excepit, vt subtus supra volueretur, turpiterque aufugeret, magno cum Turcarum pudore, qui leonibus se, porcis Christianos, Germanos maximè, comparabant.

Vnum erat miserabile animis atque oculis Christianis spectaculum, quod ingens numerus Christianorum ex Græcia Mysiaque, atque ex Insulis affluueret, qui turmatim in honorem Amurathis, in sui verò perditionem, publicè abnegarunt fidem Christianorum, atque Mahometicæ superstitioni atque impietati sese addixerunt. Ludorum verò exitum & catastrophen Genizarorum & Spahiorum in Hippodromo excita-

Anno Christi

excitatus tumultus dedit. Peracta iam circũ cisione, Amurathes Imperator paucis post diebus in regiam, quam in Bosphoro habet promõtorio, recessit: ibiq; Regum & Principum legatos audiuit, & munera, donaque accipiens eos dimisit.

Misit vicissim Amurathes Turcarũ Imperator per legatum Regi Hispan. potentiss. Philippo 2. literas ac dona singularia: in literis se nominat Dominum domus Ottomãnicæ, Imp. & Dominũ vniuersalẽ omnium Regum & Princ. mundi, Ducẽ & defensorẽ legis Ala per Prophetã Mahometẽ illi patefactam. Hispan. verò Regẽ Philippũ appellat gloriosissimum principem omniũ Principũ Christianorũ, defensorẽ omniũ causarũ Nazarenorũ, potentem & honoratũ Dominũ, precaturq; illi vt finis eius sit fœlix, & postea quam inter se & illum pax fuerat cũ amicitia cõstituta, mittit Philippo Regi salutem, hisque verbis per litteras Hispaniarum Regem alloquitur:

LITERAE.

VIrtutum tuarum fama, Honorate Domine, quantumuis in tam diuersa religione, lucem mihi attulit, ne impedirẽ tuos glorioſos conatus, néue auxilio esse vellem occultis tuis inimicis, qui cupiunt à me sibi subueniri: colligentes ex hac mea ab illis segregatione, te à me iuuari, quia non impediuerim

diuerim tuos exercitus meis potẽtibus classibus, & magnis exercitibus, vt tui exercitus consequantur victoriam, quam tibi in tuis regnis à Deo contingere opto. Et sicut ego qualibuscunque viribus victoriam contra meos hostes obtinere possum: ita etiam & tu tuos eum in locum redige, ne tibi ampliꝰ sint molesti, quandoquidem per me non stabit, quò minus perficiantur quæcunque fuerint, ex quibus tecum conueniet Bassa meus cõsiliarius, cui habebitur plena fides: deinde subscriptione concludit illas. Anno Christi

DONA.

Vnà cũ his literis misit Amurathes Turcarum Imperator Regi Philippo quatuor leones, cũ torquibus aureis, in quibus sculpta erant Regia Maiestatis insignia, ex suis catenis aureis dependentia: duodecim gladios Damascenos Turcicos, cum suo ornatu aureis sq; catenis: quatuor cultrorum thecas, cum aureis ornamentis: in singulis verò thecis 4. erãt cultelli, quorum manubria ex auro lapidibusque preciosis erant confecta. His duodecim monoceroton cornua, sedecim palmas alta aureis suppedaneis imposita, atque arma Regiæ Maiestatis ostentantia adiunxit. Aulæa quoque viginti Attalica ex panno aureo, ad ornandum cœnaculum facta, in quibus victoriæ, quas

Anno Christi

quas classes atque exercitus Turcici sub hoc Imperatore Amurathe obtinuerant, erant intextæ: & lectulum, quo in triremibus vtuntur, ex puro auro atque cristallo, in cuius cortinis & vmbella res, ab hoc Rege Philippo feliciter gestæ, elaboratæ conspiciebantur.

Misit & duas cistas aureas, in quibus plumæ diuersorum colorum erant impositæ: & alteram cistellam cristallinam, atque in ea 40 preciosissimas gemmas, quas Bezares vocant, singulas vnciarum ferè quatuordecim: clypeos etiam Hispanicos, quibus in pugna arũdinaria vtuntur, totumq; corpus tegũt, sex: in quibus victoriæ Caroli V. Imperatoris contra Lutheranos & rebelles, vt aiunt, Imperij, erãt singulari artificio depictæ. Sed & duos gradarios equos adiunxit, albo, nigro, & cæruleo colore natura distinctos, cũ sex Turcis, quibus leonum & equorum illorum cura erat demandata.

DE FRATRIBVS ET SORORIbus Amurathis 3. etiamnum regnantis Turcarum Imperatoris.

HAbuit Amurathes ætate nostra Turcis imperans, fratres quinque: Muhamedẽ, Aladinum, Eczangir, Abdullum & Soleimannum,

mannum, quos omnes ille Turcarum more, in præsentia sua, viuos minoresque natu trucidari, strangulariq; iussit, cumq; quatuor mortuis, alea tyrannidis minimum omnium natu fratrem attigisset, lachrymarum guttæ Amurathis oculos occupantes, multis tum astantibus, cogitandi occasionem dederunt id esse commiserationis ergò factũ, propterque singularem in eum quem habebat amorem: alij verò existimarunt huiusmodi lachrimarũ guttas ex imo pectore haustas ob tam crudele factum, quod ergà fratres simul omnes exerceri iusserat. Præter hos 5. fratres habuit etiam sorores duas, quarum vnã Humi Kisi appellatam desponsauit Ebraimo Bassa, anno 1586. alteram verò Mahometi Bassæ vezir Azenis: & cùm posterior hæc soror per obitum dicti Mahometis facta esset vidua, nupsit eadem tãdem alteri Bassæ, qui vezir Ali vocabatur, adeò vt Amurathes, qui per matrem, per sororem, & per coniugem tres illas fœminas gubernatur, magis pacem quærat, quàm bellum. Nam cùm sæpius excursiones fierent à suis, in confinibus tam Hungariæ quàm Croaciæ, ac alibi, suique ab Vngaris atque Christianis alijs nunquam non succumberent prædas agentes, magnoque numero caperentur, atque interficerentur, respondit hoc nomine Christianos accusantibus, illis rectè factum esse, cùm Anno Christi

Anno Christi

non licuisset illis inducias & pacem cum Imperatore factam infringere, quam ipse Amurathes sartam, tectam obseruari vellet, præsertim quando videret Christianos suis nullam infringendi occasionem vel causam hactenus dedisse.

Numerantur in Genesi duodecim Principes, & non plures, qui per ordinem Abrahamo ex Ismaële nati, à Deo promissi sunt, scilicet Nabaioth, Cedar, Adbeel, Mabsam, Masma, Duma, Massa, Hadad, Thema, Ietur, Naphis & Cedma, quos fortè non inconuenienter comparare possumus cum duodecim his Turcarum Imperatoribus siue Principibus, qui ab Ottomanno per Orchanē, Amurathem 1. Baiazethem 1. Mahometem 1. Amurathem 2. Mahometem 2. Baiazetem 2. Selimum 1. Solimannum, Selimum 2. vsque ad Amurathem hūc 3. & vltimum, de quibus hactenus tractauimus, computantur.

Numerantur præterea sex duntaxat filij Abrahamo eidem nati per ordinem, ex concubina siue vxore Cetura, veluti Zamram, Iecsan, Madam, Madian, Iesboc, & Sue, quos rectè comparare videmur cum sex illis Persarum Regibus ordine suo sibi inuicem succedentibus. Quales sunt Erdevvil, Ismaël 1. Thamas, Haidar miriſe, Ismaël 2. & Muhameth, qui Persis iam in regno præest, & cum quo Amurathes pacem etiam inire cuperet.

Præstat

Præstat autem vt Mahumetani inter se prę- Anno
lientur, quàm vt inter se conuenientes, Chri Christi
stianos nos oppugnent. Faxit itaque Deus, ne duodenarius atque senarius filiorum ancillæ & concubinæ plures vnitates, quàm illis à Deo præfixæ sunt, admittant.

Nunc primæ partis Thesauri Principum hac ætate in Europa viuentium paralipomena concludens, Austriacorum Serenissimorum Principum Genealogiæ Ducũ Bauariæ apud Christianos potentissimorum Principum, atq; apud Barbaros Turcarum Genealogias adiungens, hanc partem hac Tabula siue hoc schemate finire statui.

(·.·)

TABVLA STIRPIS OTTOMANNICAE, de qua hactenus diximus.



SECVNDÆ PARTIS THESAVRI PRINCIPUM hac ætate in Europa viuentium PARALIPOMENA.

Anno Christi

DE GENEALOGIA Regum Angliæ.

PARALIPOMENA primæ parti adiecimus, vt primũ cognita Ducum Bauariæ Genealogia, Austriacæ stirpis deductio tantò clarior appareret, per eos qui amicitia & cognatione illis semper fuerunt, atque etiamnum ad huc sunt coniunctissimi: Deinde vt contraria quoque, hoc est Turcica Genealogia, cũ ea quæ est Austriaca, iuxta se posita magis elucescerent, sicq; per Sympathiam & Antipathiam omnia facilius intelliger entur. Nunc etiam secundæ parti triplices Genealogias adijciemus, Anglicas scilicet, Belgicas & Bohemicas. Atque Anglicas quidem, vt Scoticæ pariter, atque Danicæ, de quibus antea tractauimus in 2. parte, eò dilucidius explicatæ conspicerentur. Incipiam igitur ab Elizabeth hactenus per 33. annos Angliam gubernantis, progenitoribus.

Anno Christi

I. HENRICVS.

ABAVVS Elizabethæ iam Angliæ prę sidentis fuit Henricus eius nominis quintus Rex Angliæ, qui habuit FRATRES tres Thomam Clarentiæ Ducem: Iohannem Betfordij Ducem: & Hunfridum Gloreſtiæ Ducem. SORORES duas Blancam vxorem Bonay & Philippam Reginam Daniæ. Genuit autem Henricus hic Edmundum filium ex Catharina filia Caroli ſexti eius nominis Franciæ Regis, quæ quidem Catharina adhuc iuuencula, & vidua, inſcijs Anglorum ordinibus clam nupſit (mortuo Rege Henrico) cuidam Ovveno Thentero viro nobili è VVallia oriundo, alij ſcribunt eundem non nobilem, ſed ſutoris fuiſſe filium, qui veſtimentorum Reginæ curam habere ſolebat, alijs placet Cercinſiopotæ filium fuiſſe. Ioannes Bernardus ſcribit eum laneos pannos, recenter à tinctore infectos apparare ac tondere didiciſſe. Mortua Catharina, Ovvenus hic ſecuri fuit percuſſus, iuſſu Hunfredi, quem antea dixi, Gloreſtiæ Ducis, quòd propria authoritate ſanguinẽ ſuum cum regio miſcere auſus fuiſſet.

ij. EDMVNDVS.

PROAVVS Elizabethæ Reginæ fuit Edmundus filius Henrici, hic factus eſt ab Henri-

Henrico eius nominis sexto Anglorum Rege Richemontij Comes, ductaque Margaretha filia ac hærede vnica Iohannis 1. Somersteti Ducis. FRATER huius fuit Henricus ille 6. qui pulsus regno, ac tandem iussu Eduardi Ducis Eboracensis & Anglorum Regis huius nominis quarti, cum filio Eduardo pulchro interfectus. Genuit autem Edmundus filium Henricum. Anno Christi

iij. HENRICVS.

AVVS Reginæ Elizabethæ fuit Henricus Comes Richemontij, qui post cladem patrui sui Regis Henrici sexti fugit ad Britones in Galliam, vitans tyrannidem regis Richardi, qui eum ad necem quærebat; tãdem vocatus ab Angliæ ordinibus contra Tyrannum Richardum, eũ in prælio occidit: creatusque est communi Anglorum consensu Rex Angliæ anno 1486. Duxit Elizabethã filiam Eduardi quarti, de quo dixi paulò ante Anglorũ Regis, obijt autem anno post Christum natum 1509. cùm ante mortem genuisset filium Henricum. 1486. 1509.

iiij. HENRICVS.

PATER Elizabethæ fuit Henricus octauus Angliæ Rex, qui natus est anno à Christi natiuitate 1490. mortuus autem anno 1547. Anno ætatis suæ 56. 1490.

Anno Christi

hoc est anno 1505. duxit Catharinam Arragoniæ Regis ex Hispania filiam viduam fratris sui, & postquam ex ea genuisset Mariam coniugem postea Philippi Hispaniarum Regis eius nominis secundi, repudiauit illam, post 28. annos, & duxit eadem adhuc viuente Annam Bolenam ex qua genuit Elizabetham hanc, quæ iam Anglis præest Reginam anno 1533. 7. Septembris. Deinde capta Anna Bolena ob adulterium capite plectitur: duxitque postea tertiam vxorem Ioannam Semeram, ex qua genuit Eduardum filium, anno 1537. Quartam denuò ducit vxorem Annam Cliuiam, qua etiam repudiata, superinduxit quintam vxorem Catharinam Hauardam, & postquam sextam atque vltimam duxisset vxorem mortuus est.

FRATER eius fuit Arturus siue Artus post cuius obitum viduam illius Catharinam sibi assumpsit vxorem, ex qua genuit Mariam Elizabethæ, non ex matre, sed ex patre sororem.

SORORES huius Henrici fuerunt præter Mariam & Catharinam, quæ innuptæ obierunt, maior natu Margaretha, quę primò nupsit Iacobo Stuarto Scotorum Regi eius nominis 4. cui peperit Iacobum Stuartum, eius nominis quintum Scotorum Regem, qui filiam hæredemque vnicam genuit ex Maria Claudij Lotharingię Ducis Guisij filia,

lia, Mariam, quæ núpsit primò Francisco 2. Francorum Regi, eóque sine liberis mortuo nupsit Henrico Stuardo Domino de Arlay cui filium peperit Iacobum Scotorum nunc Regem eius nominis 6. Margaretha eadem postea nupsit Archibaldo Donglas Comiti Dangu, cui filiam hæredemque vnicam peperit Margaretham vxorem Matthei Comitis Liuiniæ vulgò à Linuocx, qui fuit pater prædicti Henrici Darlæi, qui Mariam viduam Frãcisci Regis, de quo supra dixi, duxit in vxorem, quę postea per sententiam ab Elizabetha latam 18. Februarij 1587. capite plectitur, quàm iustè postea dicemus. Anno Christi

v. ELIZABETHA.

Filia Henrici 8. fuit Elizabeth siue Isabella, quæ cùm res non satis adhuc essent cõstitutæ & pacatæ (vt in leonis Belgici Topographica atque historica descriptione diximus) in Mariæ sororis demortuæ Reginæ locũ suffecta virgo erat annos nata quinque supra viginti: forma ac prudentia humana satis conspicua, ac non solùm erudita, verùm etiam præter latinum sermonem Gallici atque Italici idiomatis perita. Hæc Londini, ex consuetudine, solemnibus cęremonijs, coram Senatu Populoque Anglico inaugurata, à 15. die Ianuarij Anno 1559. hucusque, plusquam triginta tres annos, (computamus 1559.

Anno Christi

enim annum iam 1592.) regnat, aliamq; religionem in suo regno fouet, quàm Catholicam, adeò vt Pius V. Pōtifex Romanus miserit Nicolaum Mortonū Presbyterum, Anglum, Doctorem Theologiæ in Angliam, v certis illustribus & Catholicis viris, authoritate Apostolica denunciaret, Elizabetham hanc hæreticam esse: atque ob eam causam omni Dominio, & potestate, quam in Catholicos vsurpabat, iure ipso excidisse, impuneque ab illis, velut Ethnicam & publicanā haberi posse, nec eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire cogi.

1569.

Qua denunciatione, multi nobiles viri sumpserant arma, pro fide tuenda, sed ferè quingenti ex ijs capti, & morti affecti sunt, nec illorum nobilium conatus illos habuere successus, quos sperarant. In eadem causa duo viri nobiles inter cæteros de familia Nortonorum Thomas & nepos eius Christophorus morte extincti sunt, quod nollent à fide Catholica desciscere, & Elizabetham legitimam reginam confiteri. Fuit dānatio typis excusa, & exemplar in Angliam perlatum, ad Ioannem Feltonum virum quoque Nobilem & Catholicum, qui nolens homines suæ gentis catholicos, eam Pontificis Pij quinti latere sententiam, vigesima prima die Maij Londini ad fores Episcopi, apud summam ædem eam publicè

licè affixit. Astitit quidam Feltono eam affigenti, qui periculum veritus, ne quod amaret, in eo periret : fuga sibi consuluit, simul Feltonem adhortans suasit, vt ipse se quoque subduceret: ille fugere nolens, se per Dei gratiam non recusaturum testabatur, quicquid ea causa ferendum esset, comprehenditur, in carcerem ducitur. Deinde in Iudicium perductus, atque num literas denunciationis illas affixerat, interrogatus respondisset, ita, ad locum supplicij protractus, moritur. Anno Christi 1571.

Fuit circa annum 1571. quidam Ioannes Storæus nomine, qui, viuente Maria huius Elizabethæ sorore, Angliæ inquisitor fuit hæreticæ prauitatis : is cùm regnante postea Elizabetha, publicis in comitijs respondisset, crudelitatem sibi exprobrãtibus respondit: Se nulla in re alia peccasse, nisi quod omissa radice, nescio quos ramusculos præcidisset, cùm potius debuisset robustissima quæque zizania radicitus euellere, quod factum si fuisset, iam, inquit, non tot ac tanta videremus impietatis germina vbique stare atque adeò florere. Hoc aduersarij eius tanquam de Elizabetha Regina dictum arripuerunt, atque ab illo die non destiterunt criminari hominem, donec in vincula coniectus, captusque vitam acerba morte finierit. Quæ procedendi ratio

contra

Anno Christi

contra Catholicos eò tandem processit, vt etiam proximam post Elizabetham ad Angliæ regni hæredem, Mariam scilicet Stuartam absumpserit: de qua mihi paulò latius disserẽdum erit, vt appareat, vtrum iure Regina Elizabetha Mariam per executionẽ sententiæ ab eadem Elizabetha latam è medio tollẽdam iusserit: An verò Regina Scotiæ iuria, nõ solũ Anglię Scotiæq; regnis, verùm etiã vita ipsa priuata sit, materia sanè posteris omnibus cognoscenda ac perpendenda, atq; diligenter animaduertẽda quæ sequuntur.

DE PROXIMA POST ELIZABETHAM AD Angliæ Regnum hærede, & eius qualitate.

MAria Stuarta, regina Scotię, fœmina fuit in quam omnia ornamenta videntur contulisse, NATVRA, FORTVNA, VIRTVS. Nam eo fuit habitu corporis, ea bonorum affluentia, ea mentis bonitate, vt à tribus illis videatur susceptа contentio, ederentne mundo, Natura pulchriorem, Fortuna fœliciorem, an Virtus meliorem.

Vidi hanc in Gallia anno 1578. atque audiui à multis, ijsque sanè in hoc genere bene lynceis, quicquid viderant in Anglia, Gallia, Italia, Germania, Flandria pulchri & venusti id totum, quantum & quãtulum erat, præ

præ hac conformatione membrorum, hac venustate, hac maiestate, hac huius reginæ suauitate penitus sorduisse. In digitis, in venis, in manibus, in ocellis, in fronte, in corpore, in gestu viderunt mysteria, quæ tamquam Deæ stuperent potius taciti, quàm infra dignitatem dicerent. Dea certè natura, si qua est nostri temporis. Anno Christi

Nonne fœlix? ad Regna nascitur tria, Scotiam, Angliam, Galliam, & nascitur non obscurè, ex matre Maria Lotharinga, filia Ducis Claudij Guisiani, ex patre Rege Scotiæ Iacobo quinto, quem vt dixi antea, Iacobus Scotiæ quartus ex Margaretha filia Regis Angli Henrici septimi fœliciter susceperat. Ad Galliam verò beneficio matrimonij, etsi ascita potius fuit, quàm iure nata, tamen dixi huc nasci eam, vt dignam tanto regno, vel florentem ex Lotharinga stirpe, Galliæ potentissima, optima, Catholicissima, vel potius merito virtutis, oratam à Rege Galliæ, & exoratam vxorem. Fuit hic quidem ludus Fortunæ: siquidem quæ nascitur ad tria regna, exuitur tandem omni, non dico regno, sed domo, libertate, patria, & vita. Stultam & lubricam fortunam quam contemno dicere, quæ quos cœpisti iustè amare eos constanter amare non pergis. Serua tibi Nerones, Vitellios, Ottones, iocos tuos. Etiam ludificari Marias? Sanctas? iniquè.

Quanquam

Anno Christi

Quanquam istud eò mollius fero, quò certius video virtutem summam nitere in turbidis, quàm prosperis rebus. Nam cùm VIRTV inclusa semper, & quasi flamma cinere obtecta lateat, quoad fuerit obiecta materies vis exerendæ: gratulor certè Mariæ Reginæ hanc volubilitatem tanquam segitem virtutis excitandæ, spargendæque per orbem. In hac enim calamitate (quam fortuna obiecit, non induxit meritum) eas constantiæ, pietatis, religionis, mititatis diuitias explicauit, vt possit dici infœlix bono suo, & maximæ virtutis maxima laude. Ante cognita fuit tantùm regina, cognita pulcherrima; nunc post hoc fortunæ vulnus cognita fuit etiam exemplar & pietatis vera expressio. Princeps certè (vt scribit de AEmilio Paulo Paterculus) in tantùm laudanda, in quantam virtus intelligi potest.

Hanc Mariæ siue fortunam siue virtutem vno tẽpore duo Reges prensabant sibi, Angliæ Eduardus Elizabethæ frater: Galliæ Franciscus Henrici 2. filius singuli freti singulis causis, pactione ille, fędere iste. Anglus iste obtenderat pactionem, & vrserat minis, illecebris pugnabat tamen semper Gallus fœderis & amicitiæ (quæ Scoto secũ erat perantiqua, multisq; vtrinq; officijs & beneficijs sancita) nomine in speciem sanè præclaro, &

ad rem

ad rem id temporis neruoſo: ſiquidem non tantùm pugnabat fœderis nomine, ſed etiam expugnabat: fauente matre, Galla Gallo; fauente cœlo neceſsitati Eccleſiæ. Magnum ſanè bonum Eccleſiæ, non nupſiſſe Mariam Edoardo Anglo. Quippe combiberat iſte cum lacte matris Lutherum non minus quàm Elizabetha ſoror. Anno Chriſti

Maria ergo quadrima plus minus imponitur naui, in Galliam mittitur, educatur, illicitur, nubit Franciſco Valeſio Delphino, ſecundo eius nominis poſt dicto. Id tamen ægrè fuit Edoardo Anglo, vt niſi inciſo vitæ filo, ad vindictam miſcuiſſet certè rem Scotis Anglis.

Edoardo ſuccedit Maria, ſoror ex patre. Hæc vt nulli malè fecit, ſic de nullo malum cogitat. Quare nihil morata de nuptijs Scotæ cum Gallo, alijſque rebus externis, ſolicitè agit rem tantùm regni, Eccleſiæ, Dei. Hanc ſiue curam illi, ſiue fœlicitatem Eccleſiæ præcidit mors.

Mariæ mortem excipit, vt dixi, Imperium Elizabethæ. Hic timor à Scota regina, vt hærede Angliæ proxima. De hærede nihil dubitationis, etſi aliquid ſit controuerſiæ, exitum potius peruerſitate, inuidentium, quàm dicentium momento.

Apud

Anno Christi

Apud Anglos ille mos est, vt filij eorum, quę soboles, filias etiam grandiores in Imperio præeant. Inter filias postea solenne, vt quæque maxima natu est, ita eam eiusq; stirpem reip. clauium, primam tenere.

Angliæ Rex Henricus septimus quatuor liberos habuit, Henricum 8. Margaretham, Mariam, & Catharinam, vt diximus. Henricus 8. vt antea vixit & regnauit in Edoardo & Maria, sic iam viuit & regnat in Elyzabetha. Hos enim liberos reliquit superstites, singulos ex singulis vxoribus, ex Iana Semera Edoardum, ex Katharina Hispana Mariam, ex Anna Bolena, quam suspicione adulterij multauit capite, Elyzabetham.

ELIZABETHA CVR MARIAM excluſam voluerit.

Margareta ista nupsit & peperit Regi Scoto Iacobo 4. Iacobum eius nominis quintũ, fœlicem hac Maria, aureola sanè filia, quæ post Elizabetham regnare debebat. Hanc Reginæ Angliæ timendam Caluiniani instillabant, dicentes illam esse Scotam, esse Romanè Catholicam, esse vicinam, esse proximam sanguine, esse proximam hæreditate. Et huius timoris excludendi viam solam putant, ciere turbas in Scotia, miscere omnia, religionem Catholicam eradicare, spargere Caluinianam, reginam vocare in contemptio-

cemptionem,&,si qua possent ratione,moue re loco.Huic rei multæ rationes, multæ cõsultationes. Anno Christi

Secant glaciem per minutos quosdam hę reticos, qui ex Anglia & Geneua,sentinis sordium Caluinistarum summissi,inhalent Scotis contagionem, pestemque Helueticam.Quærunt isti latebras,non circos,angulos,non suggestus, in quibus facilè aduerteres plus algoris de timore,quàm sudoris pro sua religione.Nam Maria Lotharinga, quæ vices filiæ absentis obibat in rep.cùm primũ odore suspicionis sensisset esse in Scotia, qui Caluino,& Anglæ, tanquam idolis, operarentur occultè, nullam intermittit cogitationem vel prudentis principis adiuenien dam, vel bonæ Catholicæ ad eradicandam hãc Caluini stirpem:vnde cùm res timidius, quàm pro mente Anglorum gereretur, initur noua ratio occultis insidijs aper tam authoritatem adiungendi,eamque certam,magnam, fultam opinione doctrinæ, prudentiæ, nobilitatis,scientiæ militaris.

ELIZABETHAE LEGATVS QVID primùm in Gallia cœperit.

Erat in Gallia id temporis Scotus ex genere Hameltoniorum Comes Arranius, à rege Gallo propter corporis, reique bellicæ sæpius gestæ fœlicitatem habitus honorificentissimè,& nõ solùm amplo censu auctus,

Anno Christi

sed Dux etiam castri Heraldi appellatus. In hunc Angli intendunt aciem, tâquam Principem & satorem seditionum Scoticarum. Nam in seditionibus intestinis cùm aggressio non sit sine voce, primaque vox difficulter mittatur nisi à primo, & audacissimo. Has partes & loquendi primùm, & aggrediendi non putabant commodius posse imponi, quàm Arranio, qui in Gallia primas ferè tenuit, & meritus est sermonis, elegantiæ, corporis, fortitudinis.

Difficultas erat duplex ex duplici causa, scilicet ex Arranio & fortuna. Ex Arranio, quod Galli partes secutus semper fuerat, & cum lacte matris odium in Anglos insuxerat, ex fortuna, quod eam peramplam iam in Gallia habebat, & sperabat indies ampliorem, si quod in Anglæ conceperat odium, illud verbo, facto, consilio expromeret.

Legatus ergò Anglæ, qui apud Gallum tum erat, aucupatus occasionem, primùm tentare & illicere mentem Arranij. Cùm illecebram videret excipi non ægrè, aggredi apertè, obijcere speciem primi Imperij in Scotia, segetem summæ laudis in euertendo Papatu (studebat enim Caluini partibus) spem nuptiarum cum Angla, præmiũ census duplo amplioris, quàm quo in Gallia iam vtebatur.

Arra-

Arranius animo maximo concipiens illa maxima, quæ nunquam peperit, aut monstrosè sanè peperit, fugit rectè cum quibusdam ministris Anglis in Scotiam. Duplex hîc in Arranio error, leuitatis, dum sequitur potius spem hostis, quàm fidem amici: stultitiæ, dum sperat sibi optimè fore à pessimis. Vix Arranius posuerat vestigium in Scotia, cùm omnia strepere armis, sermonibus, insidijs hæreticorum. Qui antea ministelli se abdiderant in angulos, venenum potius meditantes, quàm spargentes, iam attollere caput, linguam exerere, acuere calamum, omnia implere Caluino, templum, mensam, aulam. Tantum est in rebus maximis vnum loqui primũ, audere primùm. Maria Lotharinga, mater, vt loquũtur Scoti, regens (filia enim hæres adhæserat lateri Francisci regis mariti) mittit in Galliam, qui exagitent authores, qui exagerent periculũ, qui petant auxiliu sopiẽdis turbis. Auditũ est, consensũ est. Nam Rex Guisius summittunt duces Catholicos, & 4000. Gallorũ auxilio, religioni laboranti. Partes in Scotia fiunt, hinc fauentium, illinc obstrepentium Gallis. Qui fauebant, Ecclesiæ commune, q. obstrepebant, Scotię priuatum bonum obtẽderant. Arranius Dux est & antesignanus eorum, qui Scotiæ causam, tanquã velum, prętexuerũt suo sceleri: hinc & hinc arma, hinc Anno Christi

Anno Christi

& hinc timor, hinc & hinc insidiæ, magis vtrinq; singula, quod profitentur se vindices, hæreticis Angla, Catholicis Gallus. Firmior pars hæretica, quò propinquior ex Anglia habet subsidium certum, frequens, tutum. Hæretici specie eijciendi Gallorum, non omittunt occasionem.

Knoxius crepat Caluinum, alij moliuntur alia, rei ecclesiasticæ vel euertendæ vel auertendæ. Id ausim dicere, hæresim in Scotia plus turbasse, miscuisse, suppilasse, euertisse breuissimo medij anni interuallo, quã in reliquis partibus per ætatem hominis. Ita fuit sedula, subdola, acris.

Arranius quasi victor triumphat, & in horas expectat, inde ex Anglia rei bene gestę præmia, nuptias Elizabethæ, pensionem lætissimam. Verùm cùm expectans expectaret Dominam, nec attenderet sibi, tandem se sentiens desertum à Gallo, elusum ab Anglo, in Scotia non bene habitum, se dedidit totum mœrori, & ægritudine paulatim tabescens, pœnam violatæ Maiestatis, diuinæ & humanæ, dependit Deo perpetua insania.

ANGLI DEINDE QVID in Scotia.

Angli postquam cœperant Arranium vel ludere amantem, vel amentem contemnere, figunt mentem & spem in Iacobo Stuarto fratre spurio Reginæ. Hunc vt occupet totum,

totum, iubent sua opera sperare summum Imperium Scotiæ, si prudentiæ quibusdam quasi gradibus eò surrepat potius, quàm vi inuolet. Opus esse hîc consilio, auxilio, illud in Iacobo debere esse, & ex Iacobo, hoc in se fore, & ex se Iacobus viderat, spem ex Angla, quæ promittebat, ex se, qui poterat gratia; ex regina sua, quæ aberat; ex hæresi, quæ quærebat ducem imbecillitati sustinendæ. Vnde hâc potiundi imperij spem acerrim adolescés, non prius dimiserat, quàm vitam Interea moritur temporis interiectu non magno in Gallia Franciscus maritus, in Scotia Maria Lotharinga, mater Mariæ Stuartæ hæredis Scotiæ. Cogitat igitur hæc Scotiam hæreditatem suam multas ob causas, maximè, ne meritò videretur orba marito, si patriam relinqueret orbam capite. Verùm quia periculũ erat ab hoste domestico, Cardinalis Lotharingus, reliquique Guisiani, consentiente concilio regio, statuunt mittendam cùm milite Gallo.

Anno Christi 1560.

FVCO RES AGITVR.

Iacobus Spurius veritus bonæ spei malum exitum, si miles Gallus iterum appelleret, omniaque imperio teneret & consilio, mox in Galliam transmisit. Adit Cardinalem Lotharingum, multaq; inijcit excludẽdo consilio de milite: frustra poni tantum sumptum, stultè rem tantillam tanto moli-

Anno Christi

mine agi, præsentia Reginæ, id quicquid erat turbarum, tanquam solis obiectu caliginem, iri dissipatum, huic rei se polliceri fidem manum, bonum exitum. Creditur, vel quia facilè solet vbi parcitur sumptibus, vel quia fato quodam principes volunt esse creduli in malum suum. Ad naues vniuersi, regina, spurius, comites, milites. Inscensio est timida propter Anglorum insidias, descensio fœlix. Nam nobilitas multò frequentissima descendenti reginæ præsto adest. Varia officia, amantium vera, hostium simulata, & munera plura, vt minus videantur simulata Nam vt quisque odit maximè, ita maximè fingit se amare, dando, adulando, seruiendo, obsequendo omnia. Nocentior fraus qui tectior, nisi periculosius fortasse feriat cornu taurus, quàm cauda Scorpio.

Iacobus spurius tantam hîc & postea speciem boni viri præ se tulit, vt Regina se putet iniusti ingratique animi deuinctam criminibus, nisi remuneretur fidem seruientis, amantis candorem. Fidem? odium. Candorem? fraudem, sed fraudem & odium velo tam subdolè obtenta, vt viderētur amor & fides etiam ijs, qui nouerant consilium, & certè timuerant in tam pulchra specie non animum illum, quem volebant.

Regina pendens officiorum momenta fronte,

fronte, eum dixit Comitem Murrauium, cē Anno Christi
ſuque ornat annuō librarum ſcoticarum vicies & ſexies millium. Ambitum regni non incidit ſpurio beneficentia reginæ, auget magis nouus honor. Nam ingrato quicquid feceris, contra te feceris.

Hæretici mox confluunt, gratulantur nouum honorem, nouam ſpem, nouam cōmoditatem profitendæ religionis nouæ, acceſsionem honoris eſſe ex Deo, vt proferat fines Euangelij, niſi proferat, vindictam fore à Deo.

Is audire, non quod curet religionem, ſed quod in religionis nomine & velo videat expeditiorem viam ad id, quicquid conceperat animo, proficiundum. At quid tandem concepit animo? quicquid Scotia coercebat complexu, diadema, reginæ mortem, religionis antiquationem, aut certè labem. Nihil hoc.

ELIZABETHAM AMBIT IACOBUS MURRAUIUS.

Vaſtior ſpurio animus, quàm cui Scotia ſatis erat, vorat etiam ſpe Angliam, quaſi hæres poſt Elizabetham, vel quaſi maritus conregnator cum Elizabetha. Hanc ſpem putant quidam iniectam ab Anglis. Probabile hoc vt iuueni ſcilicet elato facerent grandiores animos ſpe nuptiarum & duplicis regni. Matrem habuit ex

Anno Christi

nobilissima & honoratissima Askinorum familia vxorem nobilis Klamij, patrem Iacobum V. regem Scotiæ. Et regio quod putatur, semine, regius quidem spiritus & grandis: sed ex matre omnium sermone venefica, animus veneficij & maleficij plenus.

Pater timens mali oui malum pullum, videnſque pessimam matrem in filio apparere, crescere, matureſcere, timeri, odio haberi, eum monasterij, non bonæ mentis septis inclusum dixit Priorem Sanctandreopolitanum.

Mittitur in Galliam imbuendus, aut potius inficiendus à Ramo. Post mortem patris redit, contemptor religionis, vt valdè timeretur Caluini filius, maledicus in omnes, vt facilè videretur Rami discipulus. Nihil propius quàm Caluinum & Ramum duas sanè duarum maximarum rerum maculas, illum religionis, hunc scientiæ, in virum illum spurium fuisse inclusos.

Post reditum exuit personam monachi, induit regij filij: vbiq; enim se ostentare, gerere pro regis filio, tueri tàmen dignitatem censu monasterij, quærere occasiones augendæ rei, omnia polliceri omnibus, hæreticis Caluinum, Catholicis Ecclesiam, potentibus gratiam, misellis fortunam. Luxuriam etiam, auaritiam, ambitionem obstructione & velo parietum, frontis, verbi tam commodè tege-

dè tegebat, vt hac labe nihil videretur inuidius. Denique simulando, dissimulando effecit vt putaretur dignus regno, foris Brutus, intus Catilina. Monstrum peccati, ex adulterio patris, veneficio matris, prauitate Caluini, maledicentia Rami, omnium denique simulatione & auaritia mistus & concretus, ad regni, religionis, seminis regij internecionem, aut certè contagionem. Hac fortunæ illecebra, & naturæ peruersitate aggreditur ad rem. Anno Christi

REGNVM SCOTIAE AMBIT Murrauius.

Primùm author est reginæ, ne cogitet secundas nuptias, plenas periculi, plenas suspicionis, plenas molestiarum. Liberum lectum nullaque lege vinctum haberi dulciorem. Esse reginam, esse summam, esse solam cuius nutu omnia regerentur. Notam ferè animi minuti & depressi in terram, cùm possit dominari, velle subesse, cùm debeat regere posse, alterius se nutui permittere. Ad regnum regijque seminis propagationem, enixè, importunè rogare, vt diadema sibi alijsq; perpetua serie Stuartis addicat.

Rem loquor non solùm notam nobilitati, sed tritissimam etiam vulgi sermone. In reliquos Stuardos certo rectoque lecto natos (huius enim nominis regnum est hæreditarium) etsi facile itum fuisset à tota nobili-

Anno Christi

tate, tamen de Iacobo filio eius matris, quæ lecti genialis labem cumulauerat veneficio, multaq; grauissimorum scelerum infamia, videbatur fore labes regni & gẽtis perpetua. Facilè negaretur à Caluinianis Iacobũ hunc spurium adiecisse oculum ad regnum, nisi spurius hic voce sua, quam plerique Scotiæ nobiles audierant, & detestati sunt, confirmasset Caluianianos hac parte velle potius, quàm posse mentiri.

Regina nec suspicata dolum, nec mota precibus Iacobi, confert cogitationes cum eo de marito, quasi solo modo sopiẽdarum aut potius excludendarũ litium, quæ de regno futuræ videbantur. Quantus aculeus huius vocis? fert tamen & probat. Illa non tam intenta ad nuptias, quàm in nuptias regno & religioni salutares, ex omnibus vnum seponit Darlæum Baronem.

Darlæus iste fuit magni spiritus, & corporis ea conformatione, habituque, vt hac Penelope videretur dignus ille Vlysses. Fuit quidem ille infra fortunã reginę, verùm regina cogitauit, non quantus ille, sed in illo quantum momenti erat ad Reipub. pacem. Fuit hic iuuenis, Baro dignitate, sanguine princeps ex Angliæ regia stirpe tam prope fluens, vt Mariæ Stuartæ cum eo post Elizabetham videretur futura contentio, aut certè disceptatio de Regno Anglicano.

Series

Series sanguinis hoc fonte & cõtinuatione est. Elizabethæ Maria Stuarta, Margaretha mater Darlæi, matri Darlæus debebat succedere. Adde, Darlæo Stuarto fuisse cognomẽ ex Scoto semine regium, ad sopiẽdam litem voluit Regina riualem, etiam infra suam dignitatem, ad tuendum cognominis Regij honorem voluit Stuartum, etiam pauperculum. Laudatur Reginæ ibi pietas, quæ Rempublicam non se, hic prudentia, quæ se, non fumum spectabat, & fortunam.

Iacobus Spurius frendens his nuptijs excludi spem summi in Scotia Imperij (videbatur certè fore ex tam vegeta stirpe flos) suscepit cogitationem de Darlæis, patre & filio, extinguendis, atque ipsa regina in lacus Leuini arcem, tanquam carcerem, condenda. Quid non cogis sacra Regni fames? Spurius purgando sceleri adhibet artificium frontis & verbi, tam callidè, tam tectè, vt credatur non cogitasse, quod iurauit facere. Quare vt sit nec timor, nec timoris caussa, mentitur nouus Catilina amorem, fidem, animum bonum erga Darlæum, & mentitur non fronte tantùm, sed etiam verbo structo affabrè.

PRI-

Anno Christi

PRIMVM OBSTACVLVM AMOVE-re studet Murrauius per mortem Dauidis.

Iam diu esse, cùm illius causa cuperet ad insignem amoris notam aliquid, non commune illud & leuiculũ positum in verbo, in nutu, in manu, sed diadema, Scotiam, nomẽ regium, omnia summa. Hoc deberi virtuti, personæ, cognomini, indoli, communione lecti, qua reginæ iungitur. Tam insignem iniuriam tantis vel mentis, vel officijs factam non posse, non debere ferri. Prudentiam reliquis Scotiæ nobilibus insculpsisse eam mẽtem, vt velut fortunam reliquisse: eam facultatem, vt possint eum hoc regis nomine & honore ornare, ipse se si exciret, aut verius ipse se si non deprimat. Esse fractioris animi potius sequi nutum, & quasi caudam fœminæ, quàm mentem & lacertos viri. Sumat ipse animos, facilè virum præferri fœminæ, extra rem p. Amazonum, apud Scotos maximè, qui à iactis regni fundamentis Principem suum voluerunt vocari non Scotiæ, quasi agri, sed Scotorum, quasi virorum regem: facilè permitti Scotiam reginæ, Scotos velle regem, & Darleium regem: Reginam nec bene facere, nec prudenter cogitare, quæ quem asciuit in societatem lecti, eum non ornet regis nomine. Mirari se, Darleium, qui in reliquis rebus animi maximi, & cœleste

quid

quid spirantis edat signa, hic abiectè & angustè sinere se contemni à fœmina. Esse regi nam mollius ferendam, sed reginam contemptricem non semper ferendam. Quid? quod inferat regina iniuriam, non sua voluntate, sed consilio Dauidis Itali? non concoquendam facilè iniuriam ab hoc homulo, qui tã impotenter fert fortunam prosperi fluentẽ, vt & nobiles contemnat, & infra omnes nobiles reginæ maritum abijciat. Anno Christi

Dauid iste sabaudus fuit, non magnæ familiæ, sed multi iudicij vir, hoc nomine charissimus reginæ, quod dignus videretur, qui esset charissimus omnibus, prudens, sagax, vafer in omnem partem, & vsu iam factus gnarus Reip. vt quàm facilè videret conatus malorum, & eluderet, tam libenter laudaret consilia bonorũ, & iuuaret. Id in isto inerat vitij, quod viris videbatur fœmina, cantillãs scilicet mollius, quàm decebat virum, sæpius, quàm cõsiliarium reginæ. Malè profectò perstringunt reginam, quòd hunc aurium animorumque artificem asciuerit in societatem secretiorum consiliorum, multisque honoribus auxerit: vnus enim omnia, musicus honestam voluptatem, sanum cõsilium prudentissimus attulerat. Hoc solùm nomine infœlix, quod in aliena terra erat nimium fœlix. Nam odium erat in eum omnium, hæreticorum vt Catholicum: Catholi-

Anno Christi tholicorum vt potentem, coniuratorum vt fidum, fauentium vt superbum Reip. gubernatorem, & sua voluntate solùm. Hæreticis non satis erat odisse Catholicum, nisi etiam tẽdant insidias capiti, quod habebat vt oculos videndis, sic mentem excludendis illorum machinationibus. Omni itaq; dimicatione contendunt, vt hos oculos, hanc mentem eruant Reip. Huic rei seritur lis inter Dauidem & Darlæum. Astutè. Hac face posse deleri & à Darlæo Dauidem, & Darlæum à regina, & reginã à seditiosis, idq; solo periculo eorũ, quos solos spurius voluit deleri. Hinc est cur Darlæus audiuit aliquãdo sales, aliquando fœuitia spurij in Dauidẽ tanquam riualem hostemque Regij nominis. Reprehendebant alij Italum. *Cùm spurius nomen Dauidis omni sermone vsurpet ad conuitium Darlæi, nec quicquam proficiat (Darlæus enim hactenus viderat, quẽ regina habebat cordi, sibi non debere esse odio) frendere vehementius, quàm vt iram possit tenere intra septa pectoris.* Propè enim esse, vt excidat omni spe regni, si communio illa lecti inter Darlæũ & reginã diu maneret integra. Ex tam pulchra stirpe pulchrã fore prolem. In prole quę spes reliqua? communionem illam, cùm non possit arte dissui, vi disrumpendam. Coit societatem consiliorum cum suis. Itur in sententiam capiendi

capiendi arma, specie vindicandæ nobilitatis ab iniurijs reginę, totum incumbentis in partes pontificias. Anno Christi

NOBILES SIBI DEVINCIT

Murrauius.

Res Scotiæ id temporis hoc statu erant. Nobiles hæretici, diu erat, cùm Ecclesias expilassent & monasteria, quodque eratvel opimi agri, vel lautę suppellectilis, rapuissẽt, addixissent sibi, quantũ poterant, sua quisque vi. Illi etiam qui regni, & tenellam reginæ ætatem regebant, plurimum thesaurum regium vel domum suam deuouerant, vel alijs Cerberis, tanquam bellum obstruendo ori obiecerant. Legeram, & de perfidia Caluiniana certè credideram, rei regiæ & Ecclesiasticæ in tres partes diuisæ, duas regno & Ecclesiæ perceptas perfidia Caluinianorum cessisse nobilitati.

Regina non fert hanc regni labem & imminutionẽ, sed primo quoq; tẽpore refigit, id quicquid donationis, dicti, capitis in illa suæ ætatulæ infirmitate cõtra ius fasq; ædiți, nõ solij & diadematis traduxerat aliò, iustè, spectes si rẽ Reip. nefariè occupatã, siue aciem defigas in regni leges, quæ regi 25. aut quintum ętatis annum agenti faciunt potestatem liberã rescindendi, quicquid ab alijs in suæ ætatis infirmitate dictum, factum cõtra Maiestatem.

Vide-

Anno Christi

Viderant maiores viri à natura & rerum vsu præclarè informati, hac salutari lege tãquam freno cohibitum iri illam auaritiæ sordem, qua plurimi regiæ ætatulę administratores, & vsi sunt, & vsuri videbantur in reso lij domum suam seuocanda.

Spurius vt faceret reginæ inuidiam, spargit, quicquid nobiles occuparant Ecclesiastici fundi & suppellectilis, id reginam ex illorum domibus & familijs in Ecclesias iterum & monasteria auersuram. Rationẽ hanc excogitari extremam per cuniculos, vt nobilitatis subruendæ, sic Papismi excitandi, incepisse in re regia, desituram in Ecclesiastica. Timebãt omnes, quorum intererat, vel quod rem regiam viderant restitutam, vel quod spurius constantissimè confirmarat.

De re regia erat susurrus, at de re Ecclesiastica apertæ erant querelæ omnium, se quidlibet potius & prius admissuros quàm papismum. Reginam posse ferri papismi fautricem & fotricem, at Papistarum actricem & auctricem debere aut eijci, aut in ordinẽ cogi. Ex querelis nata sunt arma. Huc affluit quasi ad sentinam, quicquid erat sordium Caluinianarum in Scotia (erat aũt plurimũ) vt defendentium nobilitatem & Caluinum.

ANGLAM SIBI, DEVINCIT Murrauius.

Iacobus Spurius, author, dux belli. Verũ incepit

incepit maiori animo, quàm euétu. Nam eodem ferè tempore increpuit belli & concepti & confecti fama. Hæretici quidem se aggregabant Iacobo plures & instructiores. Catholici tamen, Deo & Reginæ nixi, accisis hæreticorum viribus, spurium compulerũt in latebras, & latebris fœdiorem fugam. Quippe in Scotia cùm intelligeret vulpes, nullam sibi latebram fore tam tutam, & inclusam, quã hi Dei venatores odore quodã vestigij non persentiscerent, correptauit in Angliam, seq; abdidit in gremiũ reginę, quæ bonos Scotos & Reip. fauentes euertebat bonis, omnibusque iniurijs vexabat, pessimos verò, maximè qui perduellionis & hæreseos fraude deuincti erant, omni amore & officio complectebatur. Anno Christi

Persuadetur bonis Scotis, qui à regina erant, nullam Elizabethæ cum perduellibus Scotis communionem esse & societatem cõsilij, vel fraudis: publicè nunquam illa spurio fecit copiam oris aut auris, quin potius conuitium fecit, vt ingrato, vt perduelli, vt indigno luce communi. Frustra dissimulat Elizabetha. Scoti nec tam cæci sunt, vt non videant, nec tam stulti, vt non intelligant, quam telam intexit in illorum perniciem. Notant priuatas sibi cum spurio congressiones, notant quo duce, notant cui rei pecuniam subiectam, consilia inita, fraudem

Anno Christi

conceptam. Has Angliæ tenebras spurius nõ patitur sibi fluere sine fructu.

Artificio enim suo, & precibus quorundam Anglorum, animum Reginæ Scotæ facilem flexibilemq; ad omnem mititatis speciem expugnat, atque reditum exorat ad patriam, ad honorem, ad gratiam. Verùm cùm probè sciret, Dauide Italo viuo, nunquam se domi inuenturum aut locum mendacio, aut insidijs velum, in id operam dat sedulò, vt iste suorum consiliorum obex summus & solus prius moueatur, quàm ipse Scotiam vestigio insistat. Datum ergo per literas hoc negõtium paucis suæ sordis hominibus, præscripta ratio, prælata spes fortunæ, si seriò agant.

Agunt seriò. Siquidem regem inducunt eò, vt quæ ante spurius seuerat suspicionum semina, illa iam ille credat esse vera, à Dauide scilicet se contemni, lectum genialem violari, dissipari rem solij, nobilitatem neglectui haberi, denique vnum omnia & posse, & facere tanta superbia, vt quàm sit illud priuatim regi minutum ad vilitatem animi, tam regno esset publicè fœdum ad infamiam.

Rex pro impetu illo, quo adolescentes feruent, vindicandæ infamiæ, cum his proditoribus coit societatem interimendi Dauidis. Huius facinoris vix est, vt statuam maio-

maiorem ne fraudem in consilio, an audaciã in facto, an barbariem in modo, an contemptionem reginæ in tempore. Est enim in palatio regio locus, angustè inclusus, sed, vt sepositus à turbis, per commodus mensæ. Regina cùm vellet se subducere turbis pompæ, & obtutibus reliqui populi, qui frequens sæpè in mensam irruperat, secedebat in has angustias, paucosque adhibebat vel mensæ socios, vel sermonis testes. Asciti plerumque Dauid & Comitis Argatheliæ vxor, participes, illè secretæ cogitationis, hæc honestæ voluptatis. Nocte, quæ Dauidis fuit vltima, soli illi duo cũ Regina cœnabãt. Dauid, vel quod inaudierat susurrum, vel quod diuinarat (diuinat enim mens in mortis articulo, & cœlesti instinctione videt malum proximè appetens) Reginæ narrat de insidijs, & inhorrescens narrat, quasi pugionibus iam in suo pulmone hærentibus. Anno Christi

Regina iubet, bono esse animo. Non aliquid periculi esse ab insidijs, quæ foris tenduntur, nec quenquam esse tam proiecta audacia, qui illum recessum violet. Insidiæ eò minus timentur, quò certius sibi persuadet regina, regem maritum esse ab illa labe integrum.

Anno Christi

INTIMVS REGINAE CONSILIARIVS occiditur.

Nam aditus in illum receſſum fuit ex regis ſolùm cubiculo, quod infra reginam erat, locus ſanè commodus ad inſidias. Ex cubiculo regis, ſcalæ erant vt anguſtijs & tenebris impeditæ, ſic ſinu & anfractu inciſæ. In ſupremo gradu oſtium erat ad reginæ cubiculum, ad cellam, ad omnia adita, peruiú ſoli regi. Rex qua opportunitate vti debuit ad honorem & voluptatem, ea abutitur in fraudem reginæque extremam pænè miſeriam.

Ex hoc oſtio tectè ſe inſinuat in locum cœnæ Patritius Ruuenus, ſax & ſex ſicariorum, aperiente & prœeunte rege. Irruptio ipſa per ſe, etſi ſatis fuerat terrere hominem omni parte infractũ, tamen illa animi vis fuit reginæ iniecta è cœlo, vt moueretur ſpecie non tam irruptionis, quàm huius hominis, armati, globo ſicariorum ſtipati, & macie cutiſque ſquallore, quem inualitudo longa induxerat, monſtrosè fœdi.

Regina, qua eſt magnitudine animi, potius pallida impetu ire, quàm pauida timoris ignauia, hominem inſpicit & deſpicit molientem res nouas, in loci illius receſſu, qui nequiſsimis quibuſq; hactenus ſolebat eſſe inlibatus & ſacroſanctus. Ruuenus tamẽ Reginæ nec veritus vocem, nec reueritus

Maie-

Maiestatem, maiori concepto spiritu, Dauidem adit, iubet que cedere locum, in quo sedebat, summum scilicet summis viris. Illum verò terræ filium, & ex hara domestica non ita pridem extractum, stultæ fœminæ gratia nec posse nec debere sustinere hûc loci splẽdorem. Noctuam illum esse, & stultè noctuã quæ se putat Aquilam, quod Maiestatem Principis, tanquam solis lucem, summissionis quadam & suauitatis nube tectam intueatur fictis potius quàm fixis oculis. Hãc stultitiam non esse ferendam illis, qui recta tuẽtur, facileq; secernunt & noctuam ab aquila, & solem à nube. Quare prodeat in malam rem, seque dedat ijs, qui hãc siue superbiam, siue stultitiam possunt, solent, debent perdere. Anno Christi

Regina contempto hoc monstro, dum conatur oppositu corporis Dauidem vindicare à nece, audit, sentit, quæ in nulla barbarie aut à viro grauida, aut à subdito regina. Quis crederet? Sicarius alter Andreas Karreus ira odioque inflammatus, Reginæ iam proximę partui obijcit sclopum, cum minis nisi se teneat, sinatque Dauidem, feriendum hunc etiam per corpus eius: scopuli sanè infausti, ad quos vno tempore 4. orbis gemmæ penè naufragium fecerant, Anglia, Scotia, Maria optimæ mentis regina, Iacobus optimæ spei Rex.

Anno Christi

Murtonius ille id hoc tempore egerat, vt non solum Dauidem matri, sed omnibus qui trium regnorum continentur complexione filium, patrem & matrem vnà auferret, & in illis spem Catholici seminis. Omnibus coniectura est, & plerisque etiam certa scientia, illum Karræum habuisse à spurio has partes impositas, vt Reginam matrem, si per tumultum posset, traijceret: si non posset, timore iniecto, abortum crearet filij partus. Conspiratio fuit vt apertè susceptа contra Dauidem, sic occultè inita ad illos tres auferendos, prolem luci, matrem marito, maritũ regno. Deus gratia, non humanæ prudentiæ vis valuit. Nam maritus nisi manu mouisset sclopum, corporisque obiectu, caderent omnes, filius, pater, mater, spes solę regni, religionis, Dei apud Scotos.

Satis mali fuit regno, perijsse Dauidem, carum sanè hominem, mirumque artificem hæreticæ fraudis, elidendæ si pugnaret, excludendæ, si obstaret. Non alia profectò causa huius necandi, quicquid boni veli inducunt mali homines.

Post necem Dauidis Regina frustra clamans & fremens se indignius haberi, quàm pro dignitate, conditur sola in cubiculi interiorem recessum, in lachrymis, in precibus, in dolore defixa, dum se, suumque partum commẽdat Deo: sentit è cœlo opem, ope-

operam optatam potius, quàm speratam. Id Anno
póderis erat in sanctis eius lachrymis & pre- Christi
cibus, vt marito Deus bonam mentem instil
laret, suasque cogitationes segregaret à com
munione eorum, qui pessimas mentes opti-
morum verborum tegumentis inuoluebãt.
Nam maritus, quas manus attulerat ad faci-
nus indignum tanta persona, eos recenti
sanguine calentes tendit iam supplices ad
Reginam de venia. Peccasse se quidem, sed
errore, non odio, non mente mala, sed alie-
næ fraudis instinctione.

Deus inter medios sicariorum enses non
minus seruauit hanc Reginam, quàm à iudi-
cum iniquitate Susannam. Regina non tam
mœrebat de malo facto, quàm de bona iam
mente mariti gaudet. Quare iubet eum spe-
rare, contra quã meritus est, optima ab vxo-
re, maxima à Regina: si hanc viam, quam ve-
stigio presit, constanter insistat. Amor est
vtrinque lachrymis sancitus, eò firmius,
quò viderant iam clarius, Regina maritum
fuisse callidè circumuentum: Rex vxorem
iniquè violatam.

POST CAEDEM MVRRANVS ab Elizabetha Angla redit in Scotiam.

POSTRIDIE cædis Dauidicæ in
Angliam qui fugerant coniurati, & in
his

Anno Christi

his Princeps Iacobus ſpurius redeunt auxilio & conſilio ſicarijs, tanta reliqui negotij nectendi oportunitate, quantam è cœlo ſanctiſsimus quiſque vix ſperaret: vt videas iſtis perduellibus occaſiones quæſitas, non obiectas.

Res in Anglia hoc ordine eſt nexa, vt prius Dauid extinguatur, quàm ſpurius redeat: redeat tamen ſpurius ipſo articulo, qui cædem excipit, oportunè ſicarijs, ne hi ſcilicet prius ſceleris luant pœnas capite, quàm ſpurius præſto poſsit eſſe conſilio. Res vt nexa, ſic cõfecta, tam infœliciter bonis, quàm malis commodè. Nam proximo poſt cædẽ die, vt dixi, ſpurius cum ſuis ex Anglia in aulam affert fictam mentem regibus, certam peſtẽ regno. Sicarij quia ſciebant aulã plenam tumultu, nec in tanto tumultu poſſe exerceri iudicium, eunt prius ad prętorium, quàm diuerſorium. Cùm non eſſet, qui ad tribunal ſederet, partim cauſati, diem hanc dictam, qua vadarentur, partim queſti tribunal vacuum iudice ad ſtatam diem, pœnam deprecantur à ſe, ac culpam totam deriuant tectè in Dauidem, alioſque reginæ amicos, quaſi quorum maleficio excitæ turbæ, deſerta fora, iuſtitia negata, Reſpubl. ſeditionibus & turbis permiſta. Malitiosè ſiue diem adferãt ſiue cauſam. Nam nec dies vlla vadimonio dicta, nec cauſa fori deſerti ex iudicum ignauia

nauia, sed ex reorum malitia. Id enim egerũt omni dimicatione per suos, ne in tumultu & pauore omnium posit esse forum, nedum lex fori. Deinde quid petunt forum & tribunal? ridiculè sanè ad tegumentum potius sceleris, quàm deprecationem. Appellabant inde ex Anglia, non ad suæ causę iustitiam, sed ad reginæ clementiam. Notum enim publicè erat, eos contra Reginam arma cæpisse fraude, posuisse vi, metu pœnę fugisse in Angliam, ac tandem, interpositu Anglæ, sceleris veniam orasse & exorasse, vt hinc pateat hos in foro verius fucum malæ, quàm bonæ causæ iustitiam quæsisse. Anno Christi

REGINAM SCOTIAE REVERSVS ex Anglia Murrauus adit.

Eodem die, quo hic fucus erat foro publicè factus spurius adit reginam, salutat, offert operam, præfert fidem, & stata fronte, quasi à recẽtis cædis conscientia integellus, petit veniã scelerib. præteritis, & futuris honoribus spẽ. Regina, profectò naturæ supra fœminas beneficæ, omnia facit, quibus suadeat & persuadeat, in suo iã animo de fratris (fratris nomine spuriũ ornabat) aut malo facto, aut mala mente ne tenuissimam quidem suspicionem residere. Tumultuatur interim aula, & partim suspicionibus, partim rumoribus plena amat, odit, desperat, sperat, quęrit quod non inuenit, quod non quærit, timet, in-

Anno Christi

met, insidiatur, cogitat asyla, quidlibet agit, nec quicquam agit, vt qui Cæsares legerit in teremptos, Brutos aliquos timeat in aula, verbo dulcî mentem perfidam velantes.

Regina (qua est acie & intelligentia rerũ) ex apertis iudicijs odorata occultas insidias, illasque illa nocte exituras in neruum, confert caput cum marito de modo præsentis periculi declinandi. In nansione inquit esse mortem, in fuga aperta apertum discrimen. Maritus videns & tangens non idagi, vt extincto Dauide, ipsẽ solus regnaret (id enim obtendebatur) sed vt regina nudata consilio magni oculatique viri, via fiat alijs cædibus, sibi timens & vxori, consentit in fugam.

FVCVS MVRRANI DETEGITVR.

Aggrediuntur ad rem, quàm possunt tectissimè. Nam proditio tam est oculata, vt contra debeas te aut non mouere, aut mouere occultè. Quare mentiti alienas personas Rex & Regina, nocte ela psi per posticũ occultè primùm cum nobili vno in Setonias ædes, apertè post, regio comitatu in Dunbarrum castrum concedunt. Reipub. seditionibus permistæ neruos nihil est, quod facilius incidat, quàm impunitas scelerum. Regina ergò, vt viam obstruat sceleribus & cædibus, quæ ad communem perniciem videbãtur paulò post erupturę, in hoc recessu, collectis animis & viribus, nihil habet prius

aut an-

aut antiquius, quàm vt authores Dauidicæ cædis laqueo legum irretitos vindicet. Anno Christi

Conquisiti fontes, multati, vnus laqueo, pecunia alter, exilio hic, ille agro, alia pœna ali' prout quēq; maxima aut minima sceleris cō tagio infecit. Murtonius, quo nihil habuit Scotia tectius ad fraudē, ingeniosius ad scelus, se cōtulit in latebras, vt qui cęd is author & princeps, præter cæteros erat. Meritò. Nā Dauid tū erat in omnē Reip. partē intentus, vt quamcunq; fraudē conciperet Murtonius, ipsi illa, Dauidis astu & arte, effluueret tan quam anguilla inter medios digitos. Etiam adempta huic muneris publica procuratio, & collata Dauidi. Ex duplici ergo capite erat, cur Murtonius Dauidi mortem cuperet & crearet, vt fautori publicè, vt priuatim æmulo. Finis est quæstioni, principium clementiæ. Non debuit alli impunitate improbitas. Statuit ergo Regina exemplum in percussores. At cū plurimi, qui erant hac sceleris flamma non tacti solùm, sed ambusti, facilè niterētur excusatione absentiæ, spurius scilicet frater, & Comes Argatholiæ, principes illi quidem viri, & beneficio Reginæ in rep. magni: eā regina noluit suo iudicio facere iniuriam, vt quos paulò ante posuit in numero, eos mox omni dignitate exueret.

Aggressa ergò homines malos bona arte, dicit se, & quod cogitarunt agnoscere, &, quod

Anno Christi

quod fecerunt, ignoscere. Mentem esse & semper fuisse sanandi, non perdendi, satis iustitiæ, è reipub. quasi corpore executisse strumas, clementiæ se lumen ostensuram illis, gauisuramq; intimis sensibus, si quos magnos fecerit munere, eos clementia posit facere bonos. Promittunt largè, & ex larga promissione larga spes, quàm pro te, & hoc mentiũ habitu. In ipsa temporis progressione Regina vt omnibus euoluat inspiciendam & perficiendam mentem sinceram, omnisque tegumenti expertem, spurium fratrem non solùm in gratiam recipit pœnitentem, sed tanquam sanguinis communione astrictum ascisit in secretiorum consiliorum societatẽ, honore ornat, siue consulat priuatim, siue apertè appellet. Etiam maritum suum, quẽ antea pro merito de cæde in suis oculis contra Maiestatem patrata, paulò asperius habuit, denuò excipit oculo, osculo, lecto, sinu.

Ex hac Reginæ clementia ingens fuit materies timoris, spurio à Rege, Regi à spurio. Nam vnum diu multumque in gratia posse esse, altero viuo aut non excluso, timebant vterq;, victi sua mala conscientia, nõ Reginę natura, quæ tam solebat esse in tuẽdo amore constãs, quã in imbibẽdo clemens. Ex suspicione sunt insidiæ. Spurius timet, ne Rex aperiret Reginæ, quis Basiliscus vel illa oua posuerat, vel pullos illos excluserat ad necẽ

Daui-

Dauidis, infamiam Reginę, periculum Reip. Hactenus se suspectũ, iam reginæ notũ fore authorem istarum turbarũ, facileq; excluſu rũ iri loco graduq;, vt apertè perduellionis reũ. Regi .n. alijſq;, qui à rege erãt faces præferebat ipſe ad iſta, quę erãt: ad illaquæ timebãtur fore, ſi malis conſilijs, hac cõciliatæ amicitiæ luce, locus nõ fuiſſet obſtructus. Anno Christi

REX MVRRANO OFFENSVS.

Nunquam ſanè ſpurius ſperabat, fore regi à tanta petulantia reditionem in gratiam. Contra rex ægrè ferre, honorem illum habitum ſpurio: hac Rep. hac gratia, hac luce honoris, in qua verſabatur hoſtis omniũ bonorũ certiſsimus, ſe diu nõ poſſe ſtare, aut certè difficulter poſſe: periculo & difficultati ponẽdũ eſſe obicem, ipſo veſtigio, niſi velit aut certè mori, aut perpetuò viuere in cura. Ad curã timoremq; augendũ illud pondus erat, quod rex cognouerat ingeniũ ſpurij inquietum, inſidioſum, verſatile. Regina in hac cõſiliorum communione cum ſpurio & frequẽter, & familiariter inita, ſi exprobraret malas inſidias, mala conſilia contra Maieſtatem, imò ſi leuiſsimo ſigno oſtenderet ſe cognoſſe, ex qua sẽtina illæ labes fluerẽt: ſciebat rex ſe capite, aut certè capitis inſidijs luiturum ſilentij violati pœnam: ſe viuo, ſpurium non eſſe tam nulla aut firma fronte, vt audeat negare, anteuertẽdas inſidias, niſi velit inſidijs vt cer-

Anno Christi

vt certò peti, sic citò perdi. Hæ curæ vtrunque ita coquebant, vt nihil propius esset in dies, quàm vtrique, ab vtroque certa nex. Rex prope est vt moriatur præ timore, cura, ira. Adit ergo Reginam, narrat periculum, quod sibi, illi, solio, patriæ impendet ab isto perduello, nisi auferatur. Non credendum fronti, antea fallaci, non menti, antea insidiosæ, non linguæ, antea mendaci, nō sanguini, antea proditori. Si putet fortasse fratrem, spurium timeat labem hominum, insidiantium benè natæ soboli, vtpote cum cuius honore illorum dedecus comparatum sordescit magis. Se nosse illius ingenium, præ timore, præ odio, præ ambitione non prius velle, non prius posse quiescere, quàm diadema reginę capiti detractum sibi imposuerit. Spurij, semper ius potius quàm animos defuisse ad imperia, non quod omnes spurij mali sed quod tot miracula quot boni reperiantur in natura, vel ex inferni fece, vel ex cœli face omnes, insigniter scilicet bonos, aut insigniter malos.

Deinde hunc speciatim spurium, quantum libarit generosi ex patre rege, tantum hausisse insidiosi & ficti ex matre saga, totam vitam dedita pessimis artibus. Se statuisse eius mortem, per vitam suam, per maiestatem regni, per religionis sanctitatem, per omnia bona, quæ sunt, eruntq; Reginæ, rogare,

rogare, ne quid dicat, pugnet contra. Regina ægrè ferre hanc mariti mentem, eumque acrius castigare vt sicarium, qui necè Dauidis nece fratris, quasi scelus scelere, conatur cumulare. Si quid litis, lege, non insidijs, dirimendum, si quid suspicionis, humanitate, non sica euellendum. Addere tamen minas, si pergat. Sperabat enim optimæ mentis Regina, se negotium prius composituram, quàm eruperit in apertam vim. Interim vtrunque amare, illum vt maritum, hunc, vt fratrem. Anno Christi

Rex ira, metu, iuuentute præseruidus, modò calere, modò fluere [illegible]gidiusculo sudore, semper calumniari in[illegible]as, fraudem, malitiam spurij. Vt in quemque proximè incidit, ita in eius pectus maximè effundere, quicquid odium, ira, timor dictarunt contra spurium, minari mortem, moliri morte, adprecari sibi adiutores quoslibet, omnia promiscuè, vt inconsideratus, impotenter, vtiratus, imprudenter, vt iuuenis. Illi qui promiserant manum & operam, vel timentes reginam optimè iam animatam in fratrē, vel ex fide prodita aucupantes bonam gratiam, aperiunt spurio, quid Rex aut minatur, aut molitur.

MVR-

Anno Christi

MVRRANVS REGIS IRAM dissimulat.

Sat dictum prudenti. Timet, sed tacet. Didicit enim vsu, nunquam cogitationes exituras in mysteria aulæ, si euulgétur ante tempus, ante opportunitatem, vt ex seminibus terræ sinu cohibitis frugem & messem. Sic ex cogitationibus occultis, artisque velo obductis exire illa magna aulæ miracula. Cogitationes enim expressæ produnt authorem, suppressæ perdunt hostem. Spurius ergo agere, quasi nihil vellet agere, fronte & vultu sustinere simulationem amicitiæ aduersus regem magnæ. Quò tectius, eò securius. Verùm ipse, cùm plus adferret mētis ad consilium, quàm animi ad factum, neque crederet nisi corculis suis, quos habebat malarum artium authores: arte astuque vicit à regina, vt Mortonio, alijsque (qui cōscij necis Dauidicæ, & pœnæ, si manssissent, prescij condiderant se in latebras) pateret reditio non solùm in aulam, sed etiam in gratiam.

Nouerat spurius, quanti refert in cædibus habere Murtonios præsentes. Erat Murtonius iste (vt vno verbo complicem vniuersam notionem) audacissimorum insidiosissimus, insidiosissimorum superbissimus, superbissimorum auarissimus, auarissimorum libidinosissimus. Quale monstrum? ex quibus

quibus vitijs, & inter se quàm diuersis conflatum, alios cohibet aut auaritia à libidine, aut superbia ab auaritia, aut insidiæ à superbia, aut audacia ab insidijs. At iste ita aptus est & mistus ex omnibus, vt æquè stupeas cõfusa vitia omnia in vnum, atq; vnum ex tã diuersis factum & conflatum. Anno Christi

Nam quàm spurius in inueniendo catus, tam in aggrediendo scelere audax Murtonius. Murtonij ergò vicariã operam supponit spurius, vt in nece Dauidis antea, sic hoc tempore in regis insidijs, securus ille animi, & meditans potius quàm moliens regi suo mortẽ. Comes Murtonius toto animo & cogitatione intẽtissima defixus in regis necem, alios vocat in societatem sceleris, magnos illos, qui audeant subire, multos, qui possint concoquere inuidiam sceleris.

BOTHVELLIVS A MVRRANO AC Murtonio in necem Regis subornatus.

IN his Princeps Bothuellius. Cùm hoc agunt, vt solus agat omnia, præmium necis regiæ promittunt Reginam ipsam. De vxore, quã habuit Bothuellius, facilè extortum iri libellum repudij. Reginam nihil moretur. Si resistat, cogendam huc minis, si annuat, colẽdam omni officio, vt pulcherrimam orbis. Bothuellius nihil habet prius, quàm vt prædam hanc, opimam, optimam regni, conse-

Anno Christi

quatur. Etiã omnia quasi in eius fœlicitatem conspirarent, fluunt ad voluntatem, locus, tempus, oportunitas, ministri sceleris. Illud enim tempus dictum erat conuentui Edimburgi habendo. Huc confluxerat multa nobilitas, vt in multitudine quà amantium, quà odientium, putaretur cædis suspicio posse facilè deriuari aliò.

Deinde Rex extra vrbis mœnia, morbidus scilicet ad salubrioris aëris commodam placidamq; captationem, hæsit. Bothuellus cũ percussoribus nocte è castello surreptat ad regis diuersorium, puluerem tormentarium spargit subtus ędibus regijs, artem certam conuellendis subruendisque fundamentis. Rumor est, mentem & spem excidisse primùm Bothuello. Volebat enim vi pulueris subrutas ædes obterere regem, sed regem, animaduersis insidijs cum puero *correptas*se in locum subterraneum. Bothuellum autem canis & vestigij indicio inuentos & erutos strangulasse. Certior fama, irruisse prius sicarios in cubiculum regium, occupatumque, & interpressis faucibus, extinctum exposuisse cum puero in citimum agrum, quasi vi puluueris iactum in aëra.

Quicquid est de modo, ædes subrutæ, rex interemptus, turbatum in aula. Varius sermo, horum illum, illorum hunc suspicantiũ authorem sceleris. Spurius sibi cauit à sceleris, si

ris, si non suspicione, certè flamma. Nam, si mulato vxoris graui morbo, diem anteceſſe rat aula, quàm rex ſenſerat vim. Hæc ſpurij ereptatio, obtenta velo vxorij morbi, bonis præbuit materiam ſuſpicandi malè de illo. Quò enim magis conabatur pedem exuere laqueo, eò collũ induebat magis. Quicquid alij ſuſpicantur & obganniunt, ipſe in ſinu gaudet, ereptum iam è rebus, qui res illi fecit turbidiores, reliqua ſperabat fore proniora, ſiquidem reginam, vt fœminam, vt meticuloſam, & impotem conſilij in tantis turbis facilè poſſe induci in laqueum. Huc enim intenta acies, vt regina ſublata, aut in ordinem redacta, ſpurius ſolium aſcendat, & diadema hæredi intercipiat. Obex illi à Regina viua, & ſolus obex, vel remouendus arte, vel diſcindendus vi. Arte incepit, vi finijt. Anno Christi

Erat Bothuellus vir maximorum ſpirituum, quos ambitionis flamma perpetim alebat. Huic flammæ ſubijciebat ſpurius materiem bene magnam, ex ſpe potiundæ Reginæ. Perſuadet nihil impedimenti in vxore eſſe, facilè diuortium impetrari, Reginam coactum iri, ſi repugnet, irretitum iri, ſi propendeat: ſe ſuoſque omnes adfore manu, conſilio, virtute, & ad rem ſanctius confirmãdam, fidem quemque ſuam teſtari, & obſtringere iuramento,

Anno Christi

syngrapha, sigillo. Bothuellius gratulatus è cœlo obiectam sibi prædam opimam, optimam orbis, & reputans secum potius quid vani decoris, quàm quid verè dedecoris, sudat, alget, vt in amore reginæ, vt de re regia, nec prius posuit modum furori & flagitio, quàm se & reginam *suspicionum* & legum pedicis implicitos penitus *perdiderat*. Prensat per se, per suos: sed per suos obtinet, nó per se.

Spurius enim mentem reginæ pertentat omni arte, quoad expugnarat. Esse turbas, solam non posse compescere, esse insidias, fœminam non posse excludere, esse molem regni, iuuenculam non posse sustinere, deinde res turbatas, sine Athlantis alicuius humeris fore perditas. Quare nisi velit pati extrema omnia, in societatem lecti, periculi, consilij esse asciscendum, qui possit, qui velit, qui audeat opponere frontem. Huius notæ esse Bothuellium, tam heroëm virtute, quàm specie hominẽ: huius virtuti nihil inuium, huius viribus nihil obuiũ. Si pergat esse strepera, nec sanis cõsilijs acquiescat, solam fore, & planè perituram, quia solam quanquam perituram non solam, sed cum rep. miserrimè.

CAE-

CAEDEM REGIS IN REGINAM deriuat Murranus. Anno Christi

Regina mouetur facilè Reip. nomine, & permouetur in Bothuellij nuptias. Verùm cùm fuerit ille ambustus flamma suspicionis de Regis nece, prius se cohibituram assensum quã tribunal, pro more gentis veteri, eũ declarat purum illius sceleris. Spurius vrget rem, in qua momentum suæ spei. Dicta dies iudicio. Obit vadimoniũ Bothuellus. Murtonius comes cerebrum manusque spurij, alijque huius sordis clientes agũt causam Bothuellij, quasi suam, imò maiori contentione, quàm suam. Nam quod ipsi suo nomine vix ausi fuerant tentare, vt publica opinione damnatus publicè pro foro absoluatur, & à regis cæde integer declaretur, id Bothuellij causa perstant & præstant. Regina credẽs iudicium esse sincerum, nulloque fraudis tegumẽto implicitum, quas nuptias cum Bothuello pacisci cogebatur, eas vt publicè salutares (hanc ei mentem impresit spurius) potius quàm sibi gratas maxima regiaq; põpa celebrauit.

Hîc habet, cur seriò triumphet Spurius. Laqueum enim, quem multos annos nectebat Reginæ perdendæ, eius iam pedi & pene collo induxit. Siquidem has, quæ pactæ, factæ erant, nuptias, spargit non esse veras nuptias, sed feralem nuptiarum pollutionẽ,

Anno Christi totique regno fatalem futuram, nisi vindicetur. Reginam calumniatur tetendisse machinationem capiti regis, claro indicio, quod Bothuello strauerit lectum, non solùm perçussori mariti, sed marito etiam alterius vxoris. Hac specie sceleris fecit, quemadmodum Reginæ & Bothuello inuidiam, sic fucũ nobilitati & populo, qui reginæ partes, quicquid conabatur spurius, nunquam videbatur deserturus, nisi sceleris aperto indicio, & iudicio

MVRRANVS IN GALLIA EXIstens, suos habet in Scotia contra Reginam.

Dunkelij fiunt à Comitibus Murtonio, Atholio, Tillebornio, alijsq; harum partiũ çoitiones frequentes, & insidiosæ contra Reginam, nempe vt condatur illa in carcerem, capite diminuatur, & ordine Regis moueatur. Spurius vt facti non inuidiam solùm, sed suspicionem etiam domi declinaret (turpe enim esset illi, quas nuptias suasit, & persuasit, eas damnare) mentitur momenta negotiorum in Gallia. Proficiscens, omnia sua voluit esse Reginæ & Bothuellij in tutela & potestate. Hac amicitiæ simulatione statuit pulchrè sublitum iri os Reginæ nihil scilicet suspicaturæ doli ab amico tam affabre ficto, aut potius ab inimico tam pulchrè tecto. Huic monstro, tanquam alteri

teri Domitiano, nihil est perdere, nisi possit prodere. Anno Christi

Post discessum spurij architecti fraudis & sceleris, illi qui Bothuellium paulò ante purgarunt, purumq; cædis pronunciarunt, indignum clamãt facinus, Bothuellium vti, abuti regina, specie nuptiarum, hominem maximè perlitum regis mariti sanguine, perpetuam infamiam hæsuram in nomine Scotico, nisi publicum scelus publica pœna pietur.

Sumunt arma, specie comprehendendi Bothuelli, re vera, vt Regina petatur & perdatur. Nam Bothuellio occultè authores sunt, sese subtrahat periculo, non tam quod cupiant bene amico, quàm quod timeant secreta aulæ exitura in populum, si comprehendatur, si tentetur, si prematur. Satis illis (huc enim omnis cura) Reginam credi ream.

REGINA TANDEM CAPITVR, FRAtriq; Murrani committitur custodienda.

Non curatur, quàm sit innocens, sed vt credatur nocens id agitur. Mysterium est aulæ, si non possis scelus, inducere suspicionem. facilè hoc viris magnis, qui splendore authoritatis nixi facilè persuadent populo, non quod verè verum, sed quod specie verum. Nihil mirare. Aula aut nihil

Anno Christi

est, aut species est. Fugit Bothuellus, Regina capitur, & in lacum Leuinum, tanquam carcerem, conditur. Multæ hic calamitates Reginæ, nulla grauior, quàm matrem spurij videre, audire, timere violatricẽ cœli, scilicet sagam, contemptricem terræ, scilicet meretricem, insigniter vtramque, scilicet impudentem. Nam tantum abest, vt regij nominis aut numinis habeat rationem, vt se glorietur fuisse Iacobi V. veram vxorem, & ex lecto lege recta vincto susceptum suum spurium. Quæ impudentia? vnius meretricis duos veros maritos, Regem, & Dominum Lacus Leuini? quasi ignotum esset toti Scotiæ, Porterfeldium ex triuio nescio quem, huic spurio fuisse patrem. Facilè patior sagam, vt regem mẽtiatur sui spurij patrem, si reliquus orbis Porterfeldium irrideat patrem.

Crux tamen Reginæ, crux sanè longè maxima, hanc timere sagam, & audire sanè gloriosulam. Multi timebant Reginæ à poculo, alijsque tectis rationibus, quarum hæc saga erat artifex. Verùm Deus malitiam anteuertit misericordia. Nam expectatur inde è Gallia spurius, facti, infecti iudex. Etsi illi harũ fraudum in Scotia architecti omni dimicatione apud spuriũ laborarint, vt redeat, nec pulchras oportunitates absentia aut mora sua corrumpat: is tamen timens capiti suo, à quo omnia illa in Reginam mala deriuata sunt,

sunt, significauit apertè, nisi Regina extincta, se Scotiam vestigio non impressurum. Iterum atque iterum vrgetur tempore, occasione, Reginę custodia, potentia amicorum, hostium infirmitate. Acres hinc viro bono stimuli, acriores inde, quod signis nō obscuris ostenditur, hæc omnia peritura punctulo, nisi redeat, & qui potest stare solus, casurum eum multis. Anno Christi

MVRRANVS EX GALLIA IN SCOtiam rediens, Gallo aureos montes promittit.

Post hunc nuncium, res illę omnes promptæ, expeditæque ad iter. In ipso procinctu, Gallo Regi sanctè promittit omnia, Reginę causa. Primùm se nihil omissurum, quod ad Reginæ honorem spectat. Deinde perduelles quicquid contra Principem, patriam, leges peccarant, se vindicaturū, Principis authoritate, patriæ voce, legis vi. Pulchrè dictū. Credo quia ad fraudem. Indicium fraudis, quod omnia facit contraria, sed eo obtētu iustitiæ, vt putes hunc Catilinam esse Solonem. Quare vt colligat apud populum iustitiæ bonæque mentis rumusculum, omnes primùm, quos afflarat suspicionis mala aura de Regis morte, citat, capit, condemnat, vindicat laqueo. Scilicet interest Reipub. vt hic tyrannus censeatur, iustus, & cædis regiæ suspicio, quę in nomine spurij altè insederat

Anno Christi

paucorum minutorum hominũ sãguine eluatur. Post paululum ponit vestigiũ in scelere, quod summum cogitarat. Nam Reginã, quasi ream cædis partim illicit arte, partim cogit vi, vt regnum omneque ius suum cædat filio infanti.

Mater itaq; Maria sic ab hæreticis capta, regno sese abdicare, & puero Iacobo VI. regi rectores nominare cogitur 2 5. Iul. an. 1567. eodem, quo Regem Darlæũ frater Reginæ Mariæ nothus ille Murranus, spe regnãdi, curabat inter confœderatorũ suorũ manus 10. Feb. suffocari, siue è feneſtra lapsũ, siue in ædibus puluere tormẽtario in aere sublatũ. Fit que Murranus ita prorex, caput alias & Dux hæreticorũ, & Aug. 25. die, in Comitijs publicis, proregis authoritas illi cõfirmatur. Reginã quia Catholica, in custodia publica detinendã esse, decretũ est, nec legatis, vel Gallorũ vel Anglorũ ad eam aditus permissus.

Hæc principum Catholicorũ auxilio postea carceres euadens 2. Maij die Hameltonũ venit anno 1568. Qui Marię Reginæ partibus studebãt, collecto exercitu 13. die eiusdẽ mensis, cum rebellibus pugnant, sed Regina inferior, & victa Angliam versus, blandis literis & promissionibus Elizabethæ cognatæ reginæ inuitata iter intẽdit. Vbi, postquam 4. die Decembris anno 1586. eadem Elizabetha regina Angliæ, in arce Richemontana, senten-

sententiam capitis in cognatam suã publicẽ edicens, eã securi feriri mandasset, tandẽ 18. Februarij insequentis anni 1587. Maria Scotiæ Regina, pro Dei fideiq; Catholicę gloria, cum inuicta animi constantia, coram Deo & hominibus protestata, se insidiarum sibi impositarum consciam non esse, corpus postea inclinans, collum trunco imposuit, clamãsque voce magna, ex Psal. 30. (In manus tuas Domine commendo spiritum meum) expirauit. Anno Christi

IVSTIFICATIO ELIZABETHAE REginæ Angliæ quoad sententiam mortis contra Mariam Scotiæ reginam latæ.

Elizabetha regina Angliæ, licet Mariam Gallia literis ad se eliceret, nec deerant etiã in Scotia qui ei omnia promitterẽt regia etiam apud Hispanum: illa tamen Angla, Mariam Scotam, blanditijs aptè compositis, & artis quasi emblemate vermiculatis, per viciniam, per sexũ, per sceptri communionẽ, per sanguinem rogat, vt ad se in Angliam diuertat, nihil tutius in tanta vicinia: nihil liberius apud sororem: In Galliam traiectum impeditũ, in Hispaniam incertũ. Si veniret, promittere auxilium, si non veniret interpretari contumeliam, interesse enim Principum, vt hæc perfidia subditorum vindicetur. Cæterum non multo post quam venisset in Angliã, fretaque innocentia mallet sequi blandu-

Anno Christi

blandula cognatæ, quàm aut Hispani regia, aut Galli amica, missa fuit in carcerē, in quo 19. annos tot pertulit insidias, tot minas, tot perfidias, tot seruitutes, quot certè posteritas vix credat, aut fœminæ à fœmina, aut reginæ illatas à regina, adeò vt Elizabetha tot annorum spacio coram colloqui Mariam Scotiæ reginam, nunquā passa sit. Misit quidem Angla Eboracum ciuitatem intimam finibus Scotiæ, quosdam ex prima sua nobilitate, qui Scotos perfidos accusantes, & fidos excusantes auderent. Verùm qui missi erant, ita rumoribus & suspicionibus inuoluti & corrupti erant, vt anticipatam ad Iudicium, de sceleribus Reginæ Scotię præten sis, adferrent sententiam.

Adeò vt per edictum obsignatum magno Angliæ sigillo, Elizabetha per sententiā declarare ac promulgare ausa fuerit. Sibi certa fide non ita pridem relatum fuisse, machinationes, insidias & coniurationes initas fuisse, & comparatas, quæ directè non solùm regiam suam personam appetebant, sed etiā status sui euersionem tam per externorum Principum inuasiones, quàm per domestico rum rebelliones minabantur, quæ à Regina Scotiæ in regno Angliæ sub sua protectione commorante, alijsque sceleratis hominibus, eiusdem Reginæ administris, & coniurationis socijs susceptæ fuerunt, quemadmodum ex con-

ex confessione coniuratorum (qui propter- Anno
ea supplicijs huiuscemodi facinorib⁹ dignis Christi
iuxta patrias leges essent affecti) notum &
manifestum esse inquit.

Tametsi verò prima fronte non fuerit leuiter commota, atq; offensa, cùm audiret, & diligentius secum cõsideraret, immanem atrocitatem facinorum, quæ molita esset illa Princeps sui sexus & sanguinis cuiusque vitam, illa Elizabetha non semel tutata fuisset, atque conseruassет: nihilominus verisima, inquit, esse, quæ ad se deferebantur, non potuit non credere, vbi audiuerit & viderit causæ processum, eaque quæ tum ab ipsa regina, tum à cæteris suis coniuratis, sponte & liberè, nemine cogente, crimina sua confitentibus dicta sunt, & in medium producta, quæ sanè huiusmodi fuerunt, vt ex illis planè constaret, perduelles & coniuratos reginæ Scotiæ auspicijs personæ suæ scilicet Elizabethæ, & regno ruinam intentasse.

Quapropter cùm causæ ratio ex se indicaret periculum graue esse, nec vlla ratione dissimulandum, sed potius quam primùm declinandũ, ac pœnas debitas cõiuratis infligẽdas. Visum fuisset nonnullis proceribus, nobilibus alijsq; subditis suis charissimis, eã serius admonẽdam esse, vt sine dilatione de huiusmodi machinationibus ac periculosissimis coniurationibus Reginæ Scotiæ cõtra perso-

Anno Christi

personam suam Elizabethæ scilicet & Regũ institutis inquireret, ijsque medijs quàm citissimè vteretur, quæ primò sese offerrẽt ad præcauenda pericula imminentia, & ad mandandum executioni ea quæ decreta sunt.

Dicit tamen se ægrè admodum induci potuisse, vt Reginæ Scotiæ actionem intenderet, partim ob prosapiæ splendorem, partim etiã ob personæ eius dignitatẽ, quamuis iuxta communes leges regni Angliæ per fas id licuerit. Ac proinde rem diligenter perpendens, huiusmodi processum prætermisisset, quia hoc parum decebat statum eius, & personam suam: ac grauiori vtens consilio, statuisset eo modo, qui ex regni legibus iudicatur honestissimus ad criminis cognitionem procedere, secundum stylum ac normam parlamenti factam 24. Nouembr. anni regni sui 27.

1586.

Dedisset ergò commissionem, in scriptis obsignatam maiori suo sigillo, & subsignatam in castro suo VVindesorienſi comitatus sui Barckschire 6. Octobris præterlapsi, secundum formam statuti iam dicti, designatis quibusdam proceribus, Comitibus, Baronibus, & alijs clarissimis viris, non solũ consilij sui priuati, sed etiam parlamenti, vnà cum primarijs aliquot iudicibus curiæ suæ VVestmonasterienſis, vt hi omnes numero 47. examinarent, & diligenter inquirerent,

rerent, de designatis & conceptis machinationibus tum Reginæ Scotiæ Mariæ nomine, filiæ & hæredi Iacobi V. Regis olim Scotorum, (quæ vulgò Regina Scotiæ & Franciæ vidua appellatur) tum aliorum eiusdem coniuratorum, secundum tenorem prædicti Decreti parlamenti, & sententiam secundum causæ naturam ferrent, quemadmodum ex ipsa cõmissione clarius liceret prospicere. Anno Christi 1586.

Postea verò maior pars procerum, Nobilium, Consiliariorum, & Iudicum in commissione sua ab ipsa Regina designatorum, scilicet 26. pro tribunali sedentes in loco publico castri Foderinghaiensis, diuersis diebus & temporibus examinassent omnia argumenta, delicta, crimina, & cætera ad eas pectantia, prout in sua ipsius Angliæ Reginæ commissione relata erant, de quibus Regina Scotiæ accusabatur. Et præterea, cùm cõmuni fauore & clementia audiuissent, quæ prædicta Scotię Regina vel fecit, vel pro sui defensione adferre potuit.

Deinde his omnibus peractis 21. die Oct. tum proximè præterlapsi, prędicti commissarij, & Iudices delegati vno assensu, & consensu post maturam deliberationem SENTENTIAM pronunciassent, & prædictam Reginam Scotiæ in formam sequentem iudicassent,

SEN-

Anno Christi 1586.

SENTENTIA CONTRA MAriam Reginam Scotiæ in Angliæ lata.

Quòd scilicet post primum diem Iunij anni 27. regni Reginæ Angliæ, & ante datã ipsius commissionẽ, Antonius Babigtonius, & alij eiusdem generis agitauerint, & susceperint, varios machinationes & coniurationes, quibus regalẽ suam scilicet Reginæ Angliæ personã interimere voluerunt, quodq; horum omniũ dicta Maria ius obtinẽs ad coronam regni Angliæ conscia fuerit. Similiter quod post primum diem Iunij præfati, & antè datam commissionem, prædicta Maria, ius ad eandem coronam obtendens excogitauerit, & varia in Angliæ regno machinata sit ad noxiam, & euersionem regalis Elizabethæ ipsius personæ, cõtra tenorem antedicti decreti.

Hanc itaque sentẽtiam, & hoc Iudicium suum prædicti commissarij vnanimi cõsensu curassent scriptis mandari, ijsq; diligẽter examinatis, & cum instrumentis cæteris processus collatis proprijs suis manibus subscripsissent, sicut Elizabethæ expositum est, & copiosius ex ipsis instrumentis pateret. Deinde verò Proceres & cæteri ordines ac status regni Angliæ in Parlamento more solito congregati, audientes & considerantes circum-

circumstantias, vim & euidentiam argumen Anno
torum, quibus prædicta commissariorum Christi
sententia innitebatur, & videntes magna &
euidentia pericula, quæ non solùm personæ
ipsius Elizabethæ Reginæ, sed totius etiam
regni saluti immínerent, si illa sentẽtia EX-
ECVTIONI non mandaretur, ad Regi-
nam ipsam scilicet Elizabetham adijssent, &
nixi genibus humiliter & obnixè petijssent,
institissent, & quasi vim attulissent, vt sen-
tentia quam commissarij Anglici pronun-
ciassent, & ordines Regni in parlamento cõ-
firmassent & approbassẽt, per Elizabethę ip-
sius Edictum maiori sigillo munitum publi
caretur, & euulgaretur, ac deinde executioni
mãdaretur. Cęterum ordines & status Parla-
menti, quamuis vidissent Elizabethæ perso-
nã, exillorum instanti petitione, & ex imma-
niũ facinorum indignitate vehemẽter offen
sam, pro nimia tamẽ sua clemẽtia Elizabetha
contra communes ordinum preces differre
sententiæ executionem, aliamque rationem
inquirere per ordines parlamenti, quà pos-
sent citra necem Reginæ Scotiæ illa infœli-
cia, & peruersa consilia in Reginam Elizabe-
tham, in regnum ipsius, & subditos suos cõn
cepta auerti, tamen post multa colloquia &
diuersas cõsultationes communibus suffra-
gijs, ac vnanimi consensu certis temporibus
ad Reginam Elizabetham redijssent, varijs

Anno Christi argumentis declarassent, & contestati essent, nullam aliam superesse rationem conseruãdi & ab iniurijs defendendi personam Elizabethæ regiam, posteros suos, & Rempub. nisi per publicationem & executionem sententiæ latæ in Reginam Scotiæ.

Quamobrem Angliæ regina, petentium curam & sollicitudinẽ conseruandæ Reip. & personæ suæ, eorumque iudicia pluris faciens, quàm cæterorum, quorum nihil interesset, Intelligens etiã sententiam (vt inquit) honorabiliter, legitimè & iustè latam esse, secundum leges regni sui: tandem cessit illorũ voluntati, & iuxta statutum prædictum Suo edicto maiori sigillo regni munito Regina Angliæ Elizabetha, declarauit, notum fecit, & denunciauit omnibus suis subditis, & personis quibuscũmq; quod prædicta sententia capitalis lata sit in Reginam Scotiæ ad modum, quem antea dixerat.

Cuius sententiæ cognitionem, & certam scientiam per suum hoc decretum cupiuit omnibus innotescere. Voluit etiam idipsum decretum ad curiã Cancellariæ suæ referri, atq; cum omni celeritate tempore & loco debito executioni mandari sine vlla exceptione: Mandauitque in huius testimonium, huius sui edicti publica fieri Instrumenta, eaq; subsignari, & maiori suo sigillo muniri. Datũ in castro suo Richemont, 4. Decem. anno 1586.

1586. eodem die, quo ante annos 25. maritus Reginæ Scotiæ Rex Galliæ è vita decessit, coniugemq; post se viduam reliquit. Anno Christi 1586.

EXECVTIO SENTENTIAE AB Angliæ Regina Elizabetha publicatæ contra Reginam Scotiæ Mariam Stuartam.

POsteaquam Elizabetha Regina Angliæ, de Regina Scotiæ vltimo supplicio afficienda mandatum expediuisset, atque sententiam dedisset, subscripsissetq; ex virtute cõmissionis & mandati eiusdẽ Isabellæ Reginę per secretarium delati, iussi sunt Comites de Schrasburij & de Kendt, tanquã tunc tẽporis viciniores castello Foderinghaye, & alij Domini, Equites, Nobiles, & satrapę Prouinciæ ibi præsentes apud Dominum Amiam Paulet, & Drue Druyrij, quibus custodia arcis commissa erat, sententiam exequi, qui postridie (hoc est die Martis decimaseptima Februarij) voluntatem Reginæ Scotiæ captæ denunciarunt: quæ respondit, paratam se esse, idque diu expectasse, quærens quando statuissent exequi, qui se id in eius arbitrio relinquere responderunt, modò commissioni ipsius datæ satisfiat: & melius fore, si postridie fieret, die scilicet Mercurij (hoc est feria 4. quatuor temporum post Cineres)

Anno Christi

ſtylo Gregoriano nouo: Inde Deum orare ad ſuam ipſius gratiam impertiendam, &c. multas excuſationes proferre, & ſummã neceſsitatem proponere, quæ Reginam & totũ regnum Angliæ ad hanc reſolutionem impellerent, ſimulque orare, vt Scotiæ Regina patienter ferret, pluresque ibi aliæ rationes, monitiones & quæſtiones tractabantur.

Poſtera itaque die, quæ 18. fuit Februarij manè hora ſeptima, conuenêre ad dictum caſtellum prædicti Domini, Comites, Equites, Nobiles: ex Equitibus ſingulis cõceſſum fuit, vt duos alios ſecum introducerent, reliquis vnum tantùm, vt circiter octoginta vel centum homines, exceptis qui erant è familia & cuſtodia arcis, præſentes iſthic eſſent. In maiori aula extructum erat Theatrum, latũ pedes 12. altum 2. cinctum ſepimento altitudinis pedum duorum, omnia tecta panno nigro, in medio ſedes vna, & puluinaria.

His ita præparatis, congregati ſunt Domini, intra octauam horam & nonam, miſeruntque ad Reginam, qui indicaret ſe conueniſſe, vt præcedenti die ei denunciatum fuit, cupereque ſcire, quando parata foret: Is nuncius cubiculum eius omni familia incluſa obſeratum inuenit. Quod vt Domini intellexerunt, paulò poſt ſecundò miſerunt cum mandato, ſi nondum oſtiũ pateret pulſandi, &, quod iuſſus erat, indicandi: ſed is ia

nuam

nuam apertam inueniens, per quendam ex eius famulis, quod in mandatis habebat aperuit vt Domini eius voluntatem cognoscerent; qui responsum retulit, nondum esse paratam. Post mediam horam miserunt tertiò, qui eam post mediam horam fore paratam nunciauit. Anno Christi

Paulò post, quidam ex satrapis ascendit ad Reginam, quam cum suis pedissequis & famulis genibus flexis orantem inuenit, dicens, tempus appropinquare: quo audito, surrexit, & respondit, se paratam esse. Sic ducta à duobus viris familiæ arcis è cubiculo ad anteriorem cameram, quam vocant præsentiæ, inuenit ibidem omnes domesticos stantes & flentes, quos omnes, vt Deum timerent, suis superioribus obedirent, & similibus verbis hortata est, inde singulis valedixit, fœminas osculando manum exosculandam viris præbendo, orans vniuersos, ne cõtristarentur, sed gauderent potius, & pro se orarent.

Hinc ad gradus deducta, Dominos isthic ex aula venientes obuios habuit. Comes Schrasburij accedentem sic alloquebatur: Adsumus Domina, vt exhibeamus Regiæ Maiestatis commissionem & mandatum, vt expediatur, quod tibi denuntiamus: (quam Commissionem, Mandatum, seu Sentẽtiam, Comes à Kendt in manu habebat maiori

Anno Christi

Angliæ sigillo munitam) cui id responsi dedit, Malle se mori, quam viuere.

Conuertens autem se, suum primarium ministrum Meluin vidit, cui ait: Fidelis serue Meluin, licet te esse putem de Protestantibus vnum, ego verò Catholica sim, vnusque tantùm Christus sit, & ego Regina nata & Regina vncta, ex Regis Henrici VII. sanguine, mando tibi, vt quemadmodum coram Deo rationem reddere voles, verè meo filio dilectissimo nunties, quæ tibi dicam: videlicet, Me eum orare, vt Deo seruiat, Catholicam Ecclesiam manu teneat, suum in pace regnum gubernet, nec se cuiuis alteri (quod & ego semper feci) subijciat, licet cum hac Insula ipsius vnire Regnum desiderarem, sed nunc id ei liberum relinquo, vt & ipse sic seruet, nec prudentiæ mundanæ nimium confidat: neque enim id semper commodum erit, verùm in Deo spē suam ponat, diligenterque aduertat, ne malè suspicandi occasionem Reginæ Angliæ præbeat, tunc Deus benedicet illi. Et tu Meluin, mihi testis esto, me mori fidelem Scotam, fidelem Francam, fidelem Catholicā, vti sēper professa sum: & eiusmodi plura.

Ad quæ Meluin. Veneranda & suprema Princeps mea, sicut me fidelem tuę Maiest. hactenus semper seruum præbui, sic etiam nūc per Dei gratiam, hæc Tuæ Maiestatis verba & man-

& mandata, verè ac fideliter Regi filio tuo perferam Anno Christi

Conuersa inde ad Dominos rogabat, vt liceret sacerdoti suo sibi in theatro adesse, quod ei Domini negarunt. Deinde, vt & suos domesticos omnes præsentes habere posset, quò Regi Franciæ, & alijs testari possent, se catholicè defunctam esse. Aliter constitutũ esse responderunt Domini, ne illi sua impatientia & lamẽtationibus, ànimũ eius inquietarent aut turbarent, illis adhibitis superstitionibus. Postremò è famulis 5. cũ 2. pedisequis ei concessi sunt. Quandoquidem querebatur aliàs malè sibi seruiri, & maiorem comitatum pedisequarum suæ dignitatis respectu petebat, spondens futurum, vt nec earum lachrymis, nec clamoribus impediretur. Orabat adhæc, omnibus ministris ac domesticis suis vtriusque sexus, ad suos in patriam liberè redeundi vt potestas fieret, comitatu qui securos deduceret, addito &c. vt singuli absq; vllo impedimento vel arresto seruare possent, quæ ipsis donasset: Secũdò dicés hæc verba: Domini mei per Deum adiuro vos, vt ita fiat.

Posthac deducta est ad theatrum, à duob⁹ ministris gubernatoris arcis, in quo, quia consistere commodè non poterat, in sede resedit, Comite vtroq; etiam in Theatro considente, vbi tum Secretarius Baleale, literas

Anno Christi

mandatæ executionis clara voce legit. Reginæ vestitus idem erat, in quo etiam ante cõparuerat coram Dominis & officialibus Regni, ex nigro nimirum & pretioso holoserico, vna manu ferebat crucem ligneam vel osseam, cum effigie Christi ex ea dependentis, altera librum: eiusdẽ è collo aurea crux pendebat, de cingulo verò Rosarium.

Proximus ei quidam Doctor astabat Decanus Petrus Boruingus, qui eam de dominorum mandato hortaretur, vt Christo fideret, & Christianè moreretur, quem exhortari incipientem ipsa impediuit, clara voce petens, & mandans vt taceret, ad mortem se satis paratam asserens: Eo verò respondẽte, se aliud nil dicturum, quàm quod sibi mandatum esset, & veritati conforme. Plura in hanc sententiam dum proferret, iterum ipsa exclamauit, *Sile Magister Decane, nolo te audire, nihil mihi tecum negocij est, turbas me*: illam itaque ne perturbaret, indictum ei silentium est.

Porrò Comes à Kendt dixit, vicem tuam Domina doleo, eo etiam nomine, quod inania hæc & superstitiosa in manibus tuis videam: Cui respondit: Crucifixi Christi effigiem, vt præ oculis haberet decere se, quo illius recordaretur: Subiecit ille, oportere eã Christum in corde ferre, addẽs (ipsa licet recusante audire) se pro ea oraturum, etiam si ab al-

ab altissimo oblatam gratiã nolit recipere, Anno
vt Dominus ipsi peccata condonet, eam mq; Christi
in regnum recipiat. Ad quæ illa, ora tu, & ego quoque orabo. Pronunciabatq; Regina clariori voce, propriam suam orationem latinam, prædictam crucifixi Christi imaginẽ manibus tenẽs, flexisque genibus dicens, sperare se per Christi mortem eiusque effusum sanguinem, cõsecuturam salutem æternam, seq; prostratam pedibus eius, quem illa crucifixi imago repræsentabat, sponte lubentique animo, suum quoque sanguinem profundere.

Orabat præterea pro fœlici statu Reginæ Angliæ, optans ei vt multo tempore bene & pacificè regnum suum gubernaret, Deoque fideliter seruiret, pro totius etiã Insulæ prosperitate, & afflictissima Christi Ecclesia rogans. Pro filio deinde suo Rege orans iustam & pacificam sui regni administrationem, in vero Dei cultu, & conuersionem ad Catholicam Romanam Ecclesiam precabatur. Postremò sanctorum omnium eo die pro se intercessionem petebat, exoptans, vt Deus per suam immẽsam misericordiam dignaretur auertere flagella sua ab infœlici hac Insula, peccatorum sibi omnium remissionem concederet, animamq; corpore solutam per Angelicas manus in cœlum reciperet.

Quibus peractis ab oratione surgens, ad

Anno Christi excipiendam mortem se præparare cœpit, depositis ornamentis, & tunicam exuës, adiuuantibus eam duabus pediſſequis ſuis: demiſit autem exteriorem veſtem ad medium vſq;: interioris tunicæ pars ſuperior ſic excisa erat profundè circa collum, vt vndiq; illud nudum exhiberet, in dorſo verò ligula conſuta, multum in omnibus iſtis abſoluendis feſtinans, pediſſequis oſculum præbens, valedixit, quarum altera magna voce lachrymante, ſile, ait, noli plorare, nonne ego pro vobis ſpopondi, vos nullum clamorem edituras, quin eſtote hilares, eiſque manu benedicens, mandauit illis, è Theatro vt deſcenderent.

Sic verò iam præparata, conuerſa ad miniſtros, qui in vicino loco flexis erant genibus, ſigno crucis manu formato, eis benedixit, iubens eoſdem teſtes eſſe, quod Catholicè moreretur, rogans, vt pro ſe orarent, & ſubitò in genua procidit, magno & intrepido animo, abſque omni coloris mutatione, nullo mortis timoris ſigno edito. Altera deinde pediſſequa accedens, linteo ipſius oculos velauit, ſicque flexis genibus clara voce orabat pſalmum triceſimum, quem etiam Chriſtus in cruce ad patrem dixit: In te Domine ſperaui, non confundar in æternum & cæt. quo pſalmo ſic dicto conſtanter corpus inclinans, collum trunco imponens, voce magna

magna clamauit: In manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens, vitam cum morte commutauit, dum illi bis feriendo securi caput præciderentur. Anno Christi

Dum prædicta sic fieret executio, clausa mansit arx, nec vlli licuit ante egredi, quàm Magister Henricus Talbot filius Comitis Schrasburij missus esset ad aulam. Postridie morte Reginę Scotiæ Londini nunciata, ciues Leonis Belgici à nobis Topographicè atque historicè descripti caudam inhabitãtes, passim in plateis ignes excitarunt, & in lætitiæ signum campanas pulsarunt: Gaudentes se ab imminẽti periculo, cui scilicet eius causa expositi fuissent, liberatos, nihilq; minus timuerunt quàm ne fortè veniãt fortissimi Romanorum æmuli INAPSIH, & eorũ locum tollant, ad imitationem Iudæorũ, quibus olim idẽ contigit eandẽ fere ob causam, quod fortasse præuidens sagacissima Regina Elizabetha, vel sola magnum animi doloré se concepisse ostendit, quemadmodum datę ex Anglia literæ 18. die Martij Anno 1587. testantur.

QVAE-

Anno Christi

QVAE NAM BENEFICIA Isabella Regina Angliæ in Mariam Scotiæ Reginam contuliſſe ſcribitur.

I.

Primùm Scotiæ proceres eiuſdem ſecum Religionis Caluinianæ incitaſſe perhibetur ad Catholicæ religionis mutationem, vt in Anglia, ſic & in Scotia, vnde templorum & monaſteriorum ſecuta eſt euerſio, adeò, vt vix Reginæ ſuæ ſacrum vt audiret in ſacello ſecreto permitterent.

II.

Deinde Gallos omnes præſidiarios, in quibus vnica ſpes erat conſeruandæ Catholicæ Religionis & Authoritatis regiæ, ex Scotia expuliſſe, & per ſuum exercitum, quẽ in Scotiam miſerat, omnia flammis & ferro vaſtaſſe.

III.

Tertiò conatos eſſe eiuſdem Reginæ aſſeclas Illuſtriſsimo iuueni Henrico Stuarto (quem, vt ante dictum eſt, Regina Scotiæ Maria in maritum aſciuerat) perſuadere illã cum Secretario ſuo Dauide Italo ſiue Sabaudo vitam duxiſſe impuram, quem Dauidem hominem ſenem & grauem multis vulneribus confoſſum trucidarunt, reginam ipſam graui-

grauidam simul cum spe partus tollere de medio tentantes. Anno Christi

IIII.

Quartò, Henricum Regem postea ipsum, quia Catholicæ religioni addictissimus, crudelissimè occidisse, ac deinde rumorem sparsisse Reginã cum Archiepiscopo S. Andreę, fuisse Principem & machinatricẽ huius nephandi criminis.

V.

Quintò, varijs hæreticorum fraudibus circumuẽtam, & infinitis ferè calumnijs oppressam, regiaque dignitate spoliatam, coegisse proceres Caluinianos, miseram & infamem traducere in vinculis vitam, regnante interim, & vices regis agente fratre Reginæ Mariæ Iacobo spurio, de quo ante diximus, qui, & alij Scotiæ proceres huius farinæ, in omnibus suis difficultatibus, ad aulam Anglicam, velut ad asylum confugerunt, & inde militem, pecuniam, ac cæterum apparatũ bellicum contra Principem suam Mariam Reginam semper habuerunt.

VI.

Sextò, quod ex vinculis liberata eadem Maria Regina Scotiæ in Angliam suauissimis literis sororis suauissimę inuitata, in vincula coniecta, in quibus 19. continuis annis egit vsq; ad mortem.

VII. Sep-

Anno Christi

VII.

Septimò, grauissimis criminibus adulterij & homicidij denuò à suis proprijs subditis petita, nec permittebatur ad principes exteros Christianos appellare, nec vt subditi, qui eam accusabant, & in aula Anglicana triumphabant, vinculis perinde vt ipsa concluderentur, donec crimina obiecta probarēt, impetrare potuit.

VIII.

Octauò, iudicio Principum Angliæ, quibus causa eius fuit ab Elizabetha commissa examinanda, declarata innocens, & immunis ab omni scelere obiecto, necdū potuit à vinculis liberari, aut, vt in Franciam se conferret, facultatē à Regina Angliæ impetrare.

IX.

Nonò, in vinculis detenta non permittebatur ad suam & suorū consolationē liberū habere vsum & exercitium Catho. Relig.

X.

Decimò, In ijsdem vinculis priuata fuit omni communicatione cum Principibus externis, & sanguine sibi iunctis.

XI.

Vltimò, quod coniurationis de nouo accusata, fuerit crudelissimè occisa, etiamsi crimen sibi obiectum constantissimè negaret.

Hæc & similia beneficia Reginæ Scotiæ ab Isabella Anglica collata, satis declarant, non

non defuisse optimæ Principi Mariæ iustam occasionem, cogitandi de libertate acquirenda, & de ingratitudine & inhumanitate Anglorum conquerendi. Anno Christi

PRIMA IVSTIFICATIO CAVsa siue innocentiæ Mariæ, contra Scotos subditos suos rebelles.

MAria Scotiæ Regina Catholica, sæpius à Parlamẽto seu Stratibus regni sui Scotiæ rebellantibus, dum à non Catholica Regina Angliæ Isabella, in carcere detineretur, ad supplicium fuit reuocata & repetita, ob necem Henrici Darlæi mariti, quem vt ipsi dicebant, Regina coniux Maria prius strangulari, domumq; puluere tormentario incendi & euerti iusserat, in gratiam cuiusdam Bothuellij Comitis, quem iampridem summo, vt ijdem ipsi rebelles asserebant, amore deperibat, eundem quoque Comitem postmodum in maritum suscipiebat. Hancque ob causam in Scotia captã, sed prẽfractis carceribus exercitum instruens, re infœliciter gesta in Angliam tãdem aufugisse. Sed quàm iniustè huic Reginæ, tam enorme crimen ab alijs perpetratum, impegerint rebelles ex ijs quæ supra retulimus, satis apparuit, tamẽvt omnibus certius de innocẽtia

reginæ

Anno Christi

reginę constaret, hæc quæsequuntur, breuiter subiungere, scrupulumq; ex animis eorũ eximere volui, qui libellis quibusdã, ab hæreticis, contra Catholicam hanc reginam, editis, propositionem parlamenti siue Statuũ Scotiæ, quos dixi rebellium, veram esse libẽter hominibus persuadere conarentur, sed sine fundamento, & absque omni ratione probabili illos id facere, sex capitibus his apertissimè constat.

I.

Principiò enim certissimum est, Iacobũ Reginæ Marię fratrem spurium, per Mortonium necem Dauidis, de quo supra, & per Bothuellium deinde mortem quoq; Henrici Darlæi regis procurasse, tantumque per literas propria manu scriptas, oreque factas persuasiones apud sororem Reginam postea effecisse, vt percussorem mariti Maria maritum acciperet Bothuellium, minis potius ad hoc impulsa, quam libera voluntate in matrimonium consentiens, adeò, vt tandẽ Regina optima in eundem Bothuellium propẽderit, quod Iacobus suaserat, & quod probabile suaserat, & quod omnibus penè cõsentientibus suaserat, sed has nuptias ipse postea in odium & inuidiam vocabat Reginæ, vix enim ijs erat implicita nuptijs, ecce rumores ecce clamores, ecce arma contra Reginam, quasi ream cædis mariti, cùm tamen nihil

minus

minus vnquam cogitauerit, nec vnquam Bothuellio nupsisset, nisi frater spurius illi tantoperè suasisset, vrgés esse periculum nisi nubat Bothuellio, si nubat, esse pacem ab insidijs, pacem à turbis, literisque eam rogasset, quarum Regina Maria per suos Eboraci coram Anglæ Reginæ mandatarijs exemplar ostendi iusserat, defensione suæ innocentiæ. Anno Christi

II.

Deinde certum est etiam, Harrisium Baronem virum rectissimi ingenij in Anglia coram ijsdem mandatarijs (cum periculo vitæ) quos Angla collocarat Eboraci Iudices totius causę & vindices, obiecisse spurio, alterique Comiti, accusatoribus, eos cædis Darleanæ præscios, conscios, affines fuisse, eundemque Harrisium sanctè confirmasse, Reginam ita esse integram ab huius sceleris labe, vt nunquam vocata fuerit in societatē consilij. Istud se scire, participem scilicet omnium consiliorum, quæ hac de re in Cragmillero castro inita erant. Ad veritatis momenta vocare & prouocare spurium, aut quemcunque illius factionis principem, ad singulare certamen. Hanc veritatem se non solùm dicere corā Angliæ mandatarijs, sed sanguine etiam & periculo capitis, tanquam sigillo consignaturum.

Anno Christi

III.

Tertiò, fuit Iohannes Hepburinus Bothuellij familiaris & sceleris minister, in illo spiritu quem vltimò edidit, vltimum hau sit, Deum implorãs, vt sceleris mollissimum iudicem, sic vocis illius iustissimum testem, coram concione tota quinque plus minus mille hominum, apertè confirmabat Reginam de cæde mariti esse extra noxam, spuriú verò eiusque socios huius sceleris nexu implicabat, suam quemque fidem manu singraphaque obstrinxisse, vt quisque in Darlæum Principem, proximè & commodissimè incideret, ita se eum certissimè trucidaturum. Hanc se syngraphàm sæpe vidisse apud dominum suum. Postea verò consilio communi itum esse in eam sententiam, vt cædes, cædisque præmium Regina esset penes Bothuellum.

IIII.

Quartò, Iohãnes Haius Tallovvensis, Poureius, Dugglisius, & Paris sceleris omnes ministri dixerunt in eandem Sententiam, eodem mortis articulo, Deo Iudice & teste eadem ratione vocato, & inuocato, concione tota stupente ijsdem denique omnibus clarissimis circumstantijs.

V.

Quintò, syngraphę illius, qua astricti perduelles coierãt societatem sceleris, vna pars octo-

octopartita, quę octopartitæ respõderat, vè nit postea in potestatem Reginæ, & Mãdata rijs Anglæ Eboraci, cùm sederent aduersus reginã Scotã accusantibus perduellibus obijciebatur tãto pudore & Anglorũ qui sederant Iudices, & perduelliũ qui steterãt testes, vt quicquid postea diceretur, eo nihil videretur esse fortius. Hęc pars spurij & cõiuratorum præferebat fidem, manum, sigillum, omnia tã exquisitè, vt nisi cũ fronte excusissent simul conscietiam Caluiniani, nunquã cõtra aut posse aut velle hiscere. Altera pars octopartita incurrens in manus Regis filij, qui iam sedet ad clauum Scotiæ anno 1582. creauit Mortonio Comiti necem. Is enim alter à spurio tam aperto iudicio agnoscens peccatum, cùm sceleris culpam non potuit negare apertam, nec deprecari crudelem, eius meritissimã pœnam Deo & Reipubl. pependit. Anno Christi

V I.

Bothuellum etiam in mortis articulo, rex Daniæ aggressus per Dei paulò post futuri Iudicis obtestationem, petijt vt liberam iam vocem emitteret, indicem innocentiæ, aut sceleris Reginæ Mariæ futuram, post multũ variumq; sermonẽ de multa variaq; re, quẽ cum Rege habuit, libera altaq; voce, ita sibi Deum propitium precabatur, vt regina cædis Darleanæ nec conscia, nec præscia:

Anno Christi

Regi de percussore quęrẽti pergere, Murranus Spurius, inquit, orsus est, Murtonius duxit, ego cædis huius telam pertexui. Literas reliquit scriptas, medium præscriptum, locum notatum, coniuratorum numerum, fidem datam, alias res indices cædis & authorem. Moritur Bothuellius, vixit Danus.

Iacobus ille Murranus frater reginæ Mariæ spurius, vix insederat solium suę Principis, & ecce tibi hominem cadentem sclopo à suæ religionis homine, inter suos eò maximè tempore, quo hic flos à Caluinianis vi debatur nunquam posse cadere. Matthæus Lenoxij Comes subuectus in huius locum, à sclopo quoque mox transuerberatus, id tã tùm reliquit posteritati, vt de illo dicant, REGNASSE. Comes Marriæ maluit perire, quàm non regnare, quia secutus est regnare: assecutus est perire, & perire non *insidijs*, sed è cœlo repentina morte. Murtonius quartus regij solij Tyrannus, cùm ipse sibi visus fuerat superasse omnem aleam, positusq; potius contra fortunam, quàm extra fortunam, ostendit AVLIS, fortunam posse contemni, nó posse vinci. Nam filius Rex Murtonium perdidit, quod patrem Regem Murtonius prodidit, quem Bothuellus rebellium instinctu occidit.

ALTE-

ALTERA IVSTIFICATIO CAVsæ siue innocentiæ Mariæ etiam contra Anglos hostes suos.

Anno Christi

EAdem Maria Scotiæ Regina Catholica, sæpius etiam à Parlamento seu Statibus Angliæ, apud Elizabetham nõ Catholicam Reginam delata fuit, interea dum in carceribus strictis detineretur, quasi minimè quieuisset, sed omne studium ad libertatem recuperandam, etiam per mortem Elizabethæ adhibuisset, addentes, quod ad hoc perficiẽdum illa Scotiæ Regina ex nobilitate nonnullos, vt Ducem Nortfolciæ, alioſque Comites & Nobiles instigasset. Ac postremò elapsa æstate anni 1586. quæsiuisset modum & rationem, qua Regina Elizabetha in propria aula occideretur, regnum ab extraneis inuaderetur, ipsa libertati restituta, ad vtriusq; regni & Scotiæ & Anglię eueheretur, & Catholica religio tandem vtrobique instauraretur. in hunc enim finem (inquiunt) Antonius Babingtonius, & alij eiusdem generis agitauerint, & susceperint varias machinationes & coniurationes, quibus Reginam ipsam Elizabethã interimere voluissent, quorum omnium dicta Maria ius obtendens ad coronam regni Angliæ conscia variaq; prętera & ipsamet ad noxiam & euersionem regalis personæ Elizabethæ fuisset machinata. Hæc ferè sunt quæ proceres Angliæ Cal-

Anno Christi uiniani ad Catholicam Reginam Mariam hostiliter perimẽdam, accusationis ergò coram Elizabetha sua regina causabantur, Comes Liceſtrius, frater eius Comes VVarwicenus, Cicilius Thesaurarius, Cancellarius VValsingamus, alijque Lyceſtriæ addicti, vt Franciscus Knoles, Iacobus Crafft, Christophorus Hattonus, Midelmannus, Sadlerus, & Puckingerus cum Puritanis, & multis Reginæ Scotię hostibus atque inimicis alijs, quorum consilio Regina Isabella Mariam vita priuari iusſit, vt antea diximus, sed quã iustè breuibus quoq; referemus, idque 6. capitibus annotabimus, Reginam scilicet Mariam, Elizabethæ Anglię Reginę mortem atque exitium nequaquam intentaſſe, vel intentandam procuraſſe, quemadmodum id factum esſe coram Angla, Senatus Populusque Anglicanus, vt ipſi ſe nominant, conqueſti propterea à sua Regina petierunt, vt de eadẽ Maria Scotiæ Regina vltimo supplicio afficienda, mandatum expediat. Hanc enim vnicum semper extitiſſe atq; etiamnum esſe adminiculum siue fulcimẽtum, quo periculoſiſsimæ homini facinoroſorum machinationes nitantur, quas contra Maieſtatẽ Regiam, contra procerum salutem, & contra ipsam Christi religionem instituunt, adeò, vt nisi regali authoritate ſtatuatur, ad quod vniuerſi ordines illi genibus suæ Maieſtatis aduolu-

aduoluti precibus quàm posſint infimis obteſtãtur, fore, vt ſyncera ijs veraque religio, quam à multis retrò annis, & profeſsi ſunt, & vſu corroborauerunt, eripiatur, regnumque nobiliſsimũ Anglię in miſerrimam Romani Pontificis tyrannidem redigatur. Anno Christi

His precibus Regina Iſabella, primùm ob ſuæ perſonæ ſecuritatem, deinde ob diuini cultus & Religionis ſuæ conſeruationem, ac tandem ob procerum ac ſubditorum, & vniuerſæ poſteritatis incolumitatem, annuit Iſabella, Mariamq́; crudeliter occidi mandauit, innocentiſsimam ſanè vel propter has quæ ſequuntur rationes.

I. NON VOLVIT SCOTA *contra Anglam.*

Primùm enim conſtat, Mariam Catholicam Scotiæ Reginam Angliæ Reginę nunquam, niſi bene voluiſſe, vnde cùm Elizabetha eam ex Scotia vocaſſet, eidemque poſtea promiſiſſet, non ſolùm liberare è carceribus, verùm eandem in Scotiæ regnũ reſtituere. his omnibus firmiter credens in annũ vſq; decimum nonum, à ſpe, qua regina Iſabella eam couſque lactauerat, dimouerinon potuit, adeò, vt etiã in articulo mortis, pro fœlici ſtatu reginæ Angliæ orauerit, optans ei, vt multo tempore bene ac pacificè regnum ſuum gubernaret, Deoque fideliter

Anno Christi seruiret: pro totius etiam Insulæ Anglicæ prosperitate, & afflictissima Christi Ecclesia rogans. Filioq; seriò mandauit, vt in Deo spem suam ponat, diligenterq; aduertat, ne malè suspicandi occasionem Reginæ eidem Isabellæ prębeat, & hæc quidem in articulo mortis prolata satis ostendunt qualis in vita semper erga Reginam Anglię, patiens, fidęsque nimirum cognata fuerit.

Licet enim inter cætera Anglicus ille Senatus ac populus reginæ Scotiæ offensissimus dixerit, quod, quemadmodũ Lydi dixerunt olim vnum regem agnoscunt Lydi, duos aũt tolerare nõ possũt: sic Senat. ille ac Po. Ang. vnicã Reginam Elizabetham agnoscerent, duas autẽ tolerare non possunt. certum tamen est, Reginam Scotię non semel testatam esse, se nequaquam prętendere Ius adregnum Angliæ, viuente Elizabetha.

Verùm Ioannes Knoxius rebellium Scotorum & Anglorum conspirantium nouus Apostolus in libello Geneuæ impresso, quẽ vocat Appellationem ad Nobilitatem & populum Scoticum. Illud, inquit, audacter affirmarim, debuisse Nobiles, Populumque Anglicanum, non modò resistere & repugnare Mariæ illi IEZABELI, (quam vocat Reginam suam Knodrolcius ille Scotus) verùm etiam de ea & sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt,

mortis

mortis supplicium sumere, vt primùm cœ- Anno
perunt apertè Christi Euangelium suppri- Christi
mere. Hactenus Annas Knoxius Scotus, se-
quitur Caiphas Goodmannus Anglus.

Hic in libro Geneuæ etiam edito, qui inscribitur, Quemadmodum summo Magistratui obediendum sit. Quamdiu, inquit, Principes & Magistratus, etiamsi coram Deo impij sunt scelesti & reprobi, exterius tamen curant Dei leges custodiri, & obseruari ab alijs, tamdiu debemus illis obedientiam: si verò audacter & ipsi Dei leges transgrediãtur (putat Caluinismum non amplectantur) & alijs idipsum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem & obedientiam, quam aliâs subditi eis præstare tenebantur. Neque deinceps habendi sunt pro Magistratibus, sed puniẽdi tanquã priuati homines. Hæc sacra si Deo placet, doctrina Caiphę & Annę illius, hausta ex pectore magni illius Caluini, ferè dixerim Luciani, noui isti Apostoli Scotiæ atq; Angliæ, in Britanniam inuexerũt, ac secundùm illam, Mariam Scotiæ Reginã (quia Catholica erat) Scoti de sede deturbarũt, & Angli postea trucidarunt, licet Anglę reginę nunquam mala voluerit, nec regnum Anglię, ante obitũ ipsius vnquam affectauerit.

Quod autem regina nata, Scotię regnum sibi per vim ereptum recuperare, & pia mater, innocentem filiolum suum ex hostium

Anno Christi

tam animæ quàm corporis manibus liberare optauerit, sanè capitale non est: præsertim cùm anno 1587. Iacobus sextus filius Mariæ, ad libertatem aspirans, Sterlingę in manus hostium suorum, qui hactenus eius nomine abusi erant, sese dedere coactus sit: quorum adhuc imperio, Rege indigno paret: Neque etiam capitale censeri posset, si Maria Regina omne studium ad libertatem recuperandam adhibuisset, modò id citra mortem Reginæ Anglię factum fuisset, quam quidem mortem nunquam vel per se, vel per alios meditata est, quicquid Senatus Populusque Anglicus à Scotis incitatus fortè comminiscentur.

Religio enim Catholica, vnicum crimen est, si omnes Reginę hostes tam Scoti quàm Angli, verum fateri velint, quod Reginæ Mariæ obijcere possent hæretici. Reliqua omnia de morte Anglæ intentanda, de regno affectando, & si quę sunt alia, commẽta sunt, & populo suggesta, vt sub specie & prætextu magnorum scelerum, ipsa redderetur omnibus inuisa, vt securius in illam sæuiendi haberent oportunitatem.

NON POTVIT SCOTA CONtra Anglam.

Deinde, etiam si Maria quid simile in Reginæ Angliæ personam (vt hostes fingunt) intentare voluisset, quia tamen non potuisset, eo-

set, eodem nequaquam somno fuit occupata, vtpote vinculis onerata, arctaque custodia pressa. Valde etenim est improbabile, mulierem vinculis constrictam, & frequenti exploratorum multitudine septam, potuisse multa moliri, aut machinari in Reginam præsertim Anglię. Sed, inquiunt Accusatores, quod ab eo tempore, quo Maria primùm in Angliam appulit, suis blandicijs & lenocinijs, plures nobiles Anglos, eorumque familias, cum maiore etiam plebis multitudine perdiderit, quàm feciſſet, si aut in coronæ suæ possessione mansisset, aut Anglis arma intulisset: nec desinet quoad viuet, simili vastationi perpetuas subministrare faces, cum ingenti interim damno & periculo status. Quapropter (inquiunt) in hoc Angliæ regnum, neque potest, neque debet eam tolerare. Anno Christi 1586.

Sed respondetur: nõ potuisse Reginam Scotiæ suis blanditijs & lenocinijs ad partes suas attrahere, cùm sic inclusa fuerit, totque septa & circumdata exploratoribus vt inscijs custodibus, vix potuerit quemquam conuenire. Nihilominus tamen, si innocentia eius, & dotes regiæ tales fuerint, vt vel tygrides ad commiserationem flectere potuerit, cur hoc illi potius, quàm Deo, tantorũ donorũ largitori imputetur, quod subditis Angliæ chara fuerit? Sed quid præterea

potuit

Anno Christi potuit machinari mulier arctißimis vinculis conſtricta? ſanè nihil. Hinc ipſamet Angliæ Regina, de ijs loquens, qui varios libellos infamiæ, & contumeliarum plenos in eã, regnum & ſtatum vniuerſum conſcripſerũt. Quid, inquit, iſti modò non effutient, cum in publicum ſpargetur, Reginam puellam, vt vitæ ſuæ conſulat ſecuritati, effudiſſe ſanguinem cognatæ propriæ?

III. RECTE FECISSET, SI VOluiſſet ac potuiſſet Scota in Angliam.

Tertiò, Nemo ignorat, Regnum Angliæ iam à tempore ſummorum Pontificum Romanorum Pij ſcilicet V. & Sixti V. per Angliæ Reginæ excommunicationem vacaſſe, quid mirum igitur, ſi Regina Maria, tanquã hæres proxima ſi potuiſſet, etiã voluiſſet occupare, nõ, vt Angliæ reginæ propterea mortem velit procurare, quemadmodum hoſtes ſiue aduerſarij Mariæ Reginæ commentantur, quaſi verò Babingthonius, & alij ſimiles iuramento ſe obſtrinxiſſent, vt Elizabetham Anglam è medio tollerent, atque huic coniurationi ipſam Scotiæ Reginam impensè fauiſſet. Sed vnde quæſo hoc docetur? Cur nõ emittunt in lucem coniurationis acta, cauſæ totius fundamenta, delationes, teſtes, ipſamque confeſsionem? Negat factum Regina Scotiæ, & ad tribunal Chriſti omnes accuſatores

ſatores immani & barbara crudelitate præfe roces vocat Senatum & Populum, Catholicam Reginam deferentem ad Elizabetham Reginam à Romanis Pontificibus excommunicatam: quæ, quando inquit ſceptrum Angliæ regni primùm ſuſcepi, nõ ita me amplisſimus honor extulit, vt eius à quo id acceperam obliuiſcerer (non puto per hoc illam intelligere Philippum Hiſpaniarum regem Catholicum & alios, quibus ſuam vitã acceptam ferre debet). Quare eam quoque (puta Caluinianam, non Catholicam) religionem, in qua me natam, & enutritam haud ignorabam, & qua vitam me fruiturã ſpero, ſtatim, vt par erat, ab ipſis regni in cunabulis firmandam & ſtabiliendam duxi: Et quãuis ne id quidem me fugeret, quanta pericula mihi hęc tam inſignis rerũ conuerſio creare poſſet, quàm multi etiam & potentes religionis aduerſæ principes, omni ſtudio, hiſce conatibus meis obſiſterent, quàm graues denique in me omnium inimicitias concitarem: hęc tamen vniuerſa non tanti ęſtimaui, probè ſciens, illum, cuius gratia hęc omnia facerem, & poſſe, & velle me defendere. Hæc vna cauſa eſt, quod iam inde à regni initio me perſecuti ſint, & tot inſidijs caput hoc appetierint, vt potius adhuc in viuis eſſe me obſtupeſcerem, quàm non mortuam admirarer, niſi manus præpotẽtis Dei,

Anno Chriſti

præter

Anno Christi

præter hominum & opinionem & expectationem, hactenus me conseruasset.

NON PROBANT ANGLI QVICQVAM eorum, quæ contra Scotiæ Reginam proponunt.

Quartò, Senatus Populusque Anglicus, timentes, ne, si Regina Catholica ad coronã peruenisset, eorum Caluinianam religionẽ eliminasset coram sua Regina, constanter asserebant, se multo iam tempore, intolerabili quodam sensu doloris percepisse, Reginam scilicet Scotiæ varijs quibusdam ac multiplicibus machinationibus, vltimum intentasse Elizabethæ reginæ suæ exitium, atque hinc illam non id modò agere, vt synceram ijs (si his placet) veramque religionem eripiat, sed etiam vt regnum in suam potestatem per Reginæ Elizabethæ mortem redigat. Sed Principes sacerdotum & omne concilium, quærentes testimonium aduersus Mariam vt eam morti traderent, non inueniebant, inuenta autem quorundam testimonia, conuenientia non erant, quantumuis duo nouissimè surrexissent testes, qui testimonium ferebant, sed falsum, vt infra dicetur. Exist Imat, inquiunt, Regina Scotiæ non solum fas licitumq;, sed etiam præmio & honore sempiterno dignum, si Maiestatẽ vestram (putant Angliæ Reginam) spoliare vita, vt, quam Sanctissimi patris sui anathe-

mate

mate confossam, simul etiam Regni corona priuatam autumat, omnibusque modis conatur, vt Maiestatem vestrã tollat è medio. Hæc quidem dicuntur, sed ab illis optimæ Principi sine vlla probatione obijciuntur. Adhæc, inquiunt, ingens dolor & vulnus quasi insanabile infligetur cordibus fidelium vestrorum subditorum, si videbunt coniurationem tam immanem iusta pœna nõ esse vindicatam. Anno Christi

Frequenter quidem coniurationem nominari ab ipsis auditur, sed nulla interim eiusmodi comperta videtur, quæ iure possit, vel vilissimum Angliæ mancipium, in vitæ discrimen adducere, multò minus Reginam Scotię, quam in ipsa mortis hora inficiantem & ad Dei tribunal prouocantẽ, Senat. Populusque Anglicus audiant, & statim, quia nihil adierunt, nihil probãt, experiantur sibi necandi nullã fuisse potestatẽ. Vnde Regina Elizabetha, valdè de veritate iudicũ dubitans, illisq; diffidẽs quodãmodo, quasi per inuidiam potius atque odium, quàm ex rei veritate, contra Scotiæ Reginam, coram illa procederetur. Possem, inquit, secũdum antiquas leges iustè eã reã peragere, si tamen (quod Deus auertat) vos Iudices, nullã mihi fraudem feciſtis, & quos mihi obtuliſtis libelli calumniarum atque omnis mali sint

expertes,

Anno Christi

expertes, proinde curandum sedulò nobis est, vt rationes iustę sint atq; honestæ.

Quod autem nulla sit contra reginã probabilis ratio inuenta, ex his Reginæ verbis satis apparet, quibus de Regina Scotiæ loquens: Etenim iam, inquit, loquacem esse non piget, quod arcanas ad eam literas dederim, quibus significaui, si literis suis secretis ad me datis, crimen vellet agnoscere, seque ream fateri, nunquam futurum, vt publicè causa tractaretur, aut veniret in disquisitionem. Vnde notandum est, quod Regina Scotię ab Angla rogatur vt crimen agnoscat, quod probari nõ poterat: Dicit paulò post: Reginam Scotiæ in tanto dignitatis esse fastigio collocatã, & sanguine sibi propinquã, vt eius mors in causa foret, cur Anglica natio tam turpi apud omnes perfidię nota inureretur. Ac proinde in negotio hoc summi momenti, necessarium, ait, esse iudico, vt id agamus & decernamus, quod maximoperè inseruire possit Ecclesiæ suę confirmationi, & ordinum totius Regni conseruationi, & Reipublicę dein sibi commissę prosperitati.

Ordines autem vtriusq; confessus definiunt tanquam Iudices & actores simul contra reginam Scotię, hunc in modum: Vitam scilicet reginę Elizabethę, item diuinam religionem (sic suum appellãt Caluinismum) & vniuersę Reip. statum aliter seruari non posse,

posse, quàm morte eiusdem Reginæ Scotiæ, & latione sententiæ, quemadmodum in prima supplicatione significassent, & obnixè obtestati fuissēt. Nam si Regina ipsa Anglię, inquiunt, nulli vel infimo ex subditis speciatim ius flagitāti negare possit, multò profectò minus, omnibus in vniuersum infima & ardēti supplicatione id postulātibus negari posse. Sed, Grauis est nobis Regina Scotię ad videdū, quoniā dissimilis est alijs vita illius, tanquā nugaces æstimati sumus ab illa & abstinet se à vijs nostris, tanquā ab immūdicijs, morte igitur turpissima condēnemus eā, &c. Consensit Angliæ Regina, & Scotiæ Reginā tradidit voluntati eorū, quodsi Pilatus olim nō feciſſet, amicus nō fuisset Cæsaris. Sed videamus quæso duo quæ proferunt testimonia, quibus causam suā contra innocentissimā Scotiæ Reginam adferre conantur, vt eā morti tradant: diximus enim hactenus Reginam hanc neq; voluisse, neq; potuisse, sed si potuisset rectè id ipsum feciſſe, quod illi, sed absque probatione obijcitur.

V. PRIMVM CONTRA REGINAM Scotiæ ab Aduersarijs testimonium.

Quintò, duo proferunt testimonia contra Reginam Scotiæ, quorum primum ex parte Ducis Nortfolciæ, alterū ex parte Babingto-

Anno Christi

bingthonij cuiusdam Comitis deducitur. Quod ad Ducem Nortfolcium attinet, notum est, illum vnum fuisse ex commissarijs, quos Regina Angliæ miserat Eboracum, vt ibidem rebelles Scotos accusantes naturalé suam ac propriam Reginã, crimine pessimo, quasi maritũ suum Hericum Darlæum Stuartum, dũadhuc esset in suo regno, iussisset occidi, audiret, simul etiã, *quid pro* defensione Reginæ in medium afferretur intelligeret. Hic Nortfolciæ Dux, vt & alij commissarij, Scotos Dominam suam iniustè accusasse, Reginamque Scotiæ veluti innocentissimam absoluendam esse iudicarunt, idque ad Reginam Angliæ retulerunt, à qua missi erant, adeò, vt tum sine omni obstaculo, Scota, si Angliæ Regina promissis stare voluisset per literas factas, in Scotiam scriptas è carceribus liberari, atq; in regnum Scotiæ remitti potuisset. Cæterùm Scoti verentes, ne eos in ordinem redigeret, Catholicam religionem collapsam iterum restauraret, extirpatoque ibidem Caluinismo, omnia pacificè regnaret, apud Anglos, qui eiusdem Caluini fermẽto erant consperſi, hoc effecerũt, vt vel in perpetuis carceribus maneret, vel etiam quacunque fieri posset commodiori via, morti traderetur. Quẽadmodum autẽ à prima impetitione Scotorum, quoad interfectum maritum, innocens declarata est: sic etiam,

etiam, ab altera hac iniusta accusatione Anglorum absolui meritò debuisset, tanquam nullius omninò criminis particeps, nisi Leicestrius Comes primùm suasisset Duci Nortfolcio, vt eandem Reginam coniugem assumeret, idque ob multas & varias rationes, quas Duci proponebat, adeò vt tandem cõsentiret, Angliæque Reginam, cuius erat vasallus, sui cõsensus & intentionis fecerit participem. Cæterùm, prẽueniens Comes Leicestrius, scribitur Reginæ suasisse, vt eũdem Ducem carcere manciparet, illum etenim ambire non solùm Reginam Scotiæ, verùm etiam Angliæ regnum, quod sine magno periculo vitæ suæ, scilicet Angliæ Reginæ, fieri requaquam posset: hinc factum est, vt idem Dux tandem vita priuaretur, & Scotiæ Regina de vita tum periclitaretur, quasi Elizabetham Angliæ Reginam extinctam cupiuisset, regnumque cum Duce Nortfolcio ambiuisset, atq; hoc est vnum testimonium cõtra Scotiæ Reginam: quod tamen funda mẽto care, similes enim persuasiones etiam per Iacobum Mariæ Reginæ spurium, in Scotia cum Bothuellio factæ sunt, quibus matrimonio inuolueretur misera, sed tamen, omni crimine vacua, Regina Scotiæ, quæ in carceribus detenta, cum Nortfolcio Duce, nihil omninò voluisse contra

Anno Christi

Anno Christi

Reginam Angliæ moliri, manifestissimum esse prudentes iudicant. Cessat igitur primũ testimonium fraudibus ac dolis aduersariorum reginæ contextum.

ALTERVM CONTRA REGINAM Scotiæ ab Aduersarijs testimonium.

Dicunt Angli, Scotiæ Reginæ ob Catholicam religionem infensi, illam in malitia duratam, susceptis olim machinationibus, finem modumque necdũ statuisse. Id quod nuper ex nepharijs quibusdam Antonij Babingtonij, aliorumque deploratæ sortis hominum coniurationibus patuerit, qui fœdere quodam consociati, sacramentis atq; immani iureiurando sese astrinxerint, Maiestatem Reginæ Anglię vt è medio tollerent.

Sed hoc tam verum esse quidam scribũt, quàm fuerit altera fabula sparsa per varias literas, in aulis Principum externorum, scilicet, Ducem Guisianum tũc temporis cum 30. nauibus, & aliquot millibus Gallorum visum fuisse in mari Britannico, vt Angliam inuaderet, dum hæc coniuratio esset executioni mandanda.

Qua in coniuratione, Reginam Scotiæ non modò consilio improbis præsto fuisse, sed in perficiendis ceptis direxisse, confirmasse, atque adeò precibus & prẹmijs incitasse.

tasse. Babingtonium hic nominant, literas more suo fictas proferunt, quas sola possunt authoritate sua confirmare. De institutione quoque dicunt, quam Regina Scotiæ ad Babingtonium dederit, eum admonens, verbis licet obscuris & tectis, vt, quicquid demum de eius persona, vitaque futurum esset, destinatam ipse catastropham finiret. Anno Christi

Hinc Regina Angliæ nó multum fluxisse temporis ad ordines suos in consilio refert, ex quo oculis ipsa suis scriptum legisset, nonnullos intra paucos dies, iuramento fidem suam astrinxisse, quod intra mensem, aut vita illam essent spoliaturi, aut suam ipsi suspendio finituri. Sed non cernit Regina secreta consilia procerum suorum: alias videret, illos non pluris facere vitam suam, quã vitam Reginæ Scotiæ, si vel in minimo se illis opponeret, quod hactenus non fecit, sed cũ Mariæ Reginę Scotię vitæ periculo illis etiã nuper consensit, quantumuis vt Pilatus ille manus lauit, ita hæc Dauidsonẽ quẽdam secretarium suum in carcerem coniecit, atq; ex eo tempore vestem nigram ac lugubrem assumpsit, quasi ea inuita præuenta fuisset, cum sententia die 18. Feb. 1587. executioni mandaretur. Pacata tamẽ est, his verbis prolocutoris cuiusdã Puckingeri, qui de Regina Scotiæ hoc adfert, quod hortata ipsa fuerit Babingtonium, vt, si in eius liberatione

Anno Christi aberraret, persequeretur alterum, id est (vt ille interpretatur) Maiestatem Angliæ Regiam è medio tolli laboraret, eundemque Babingtonium confessum, inquit, statuisse, se Reginam Scotiæ denuntiare Angliæ Reginam, nec quicquam de felici negotij successu fuisse anxium. Sed quæ bonus ille vir Puckingerus, de literis hîc Reginæ Scotiæ & confessione Babingtonij addit, firmioribus fuissent probanda argumentis, quàm nuda assertione. Norunt enim omnes viri cordati, à Caluinianis non esse alienum, & literas fingere, & confessiones edere, & crimina publicare, quæ ne per somnium quidem ijs venere in mentem, quos iniquis accusationibus appetunt.

Exemplum etiam id satis testari potest literarum, quas Scoti rebelles contra Reginam suam finxerunt. scriptas scilicet ad Bothuellium à Regina Maria, vt rem suam faceret, hoc est, quod illi tum interpretabãtur, Regem suum maritum interficeret: Bucananus vnas vno loco, binas altero scribit: Beza 8. alij 6. atque ita de vna eademque voce inter se conuenientes, quemadmodum senes illi duo contra Susannam, nullas reuera à Regina Scotiæ literas scriptas, sed ab hæreticis fictas duntaxat fuisse, ipsimet arguunt, seq; metipsos planè confundunt. Verùm hæc de duobus falsis testimonijs hactenus.

VI. QVOD

Anno Christi

VI. QVOD SCOTIAE REGINA crimen illi ab Aduersarijs sine probatione obiectum ad mortem vsque negauerit.

Sextò & vltimò narrat Elizabetha Regina Angliæ: Tametsi prima fronte non fuerit leuiter commota atque offensa, cùm audiret & diligentius secum consideraret immanem atrocitatem facinorum, quæ molita esset illa Princeps sui sexus & sanguinis, nihilominus verisima esse, quæ ad se deferebantur, non potuisset non credere, vbi audiuerit & viderit causæ processum, eaque, quæ tum ab ipsa Regina, tum à cæteris suis coniuratis, sponte & liberè, nemine cogente, crimina sua confitentibus, dicta sunt, & in medium producta, quę sanè huiusmodi fuisse, ait, vt ex illis planè constaret, perduelles & coniuratos Reginæ Scotię auspicijs, personę suę, hoc est Elizabethę, & regno ruinam intentasse.

Sed Isabella seipsam hęc dicendo confundit, quę, vt antea diximus, fassa est, priuatis se literis Reginam Scotię adhortatam, vt ea quę explorata haberet, fateri vellet: quod tamen illa non fecerit, & nihilominus hîc sua sponte, nemine cogente,

Anno Christi

crimina sua cõfessam asserit Regina Angliæ. Quam reginam etiam confundit prolocutor ille Puckingerus, qui velut argumentũ id impœnitentiæ adduxit, quod Regina Scotiæ crimen fateri nollet.

Ergo, cùm probationes desint, cumque Scotiæ regina nec testibus conuicta, nec imposita crimina confessa, etiam ab aduersarijs referatur, insuper & Regina Angliæ, dum ab illa Parlamentum executionem postulauit, prius ab exteris, nominatim verò à Franciæ & Scotiæ Regibus consilium postulasset; Hi Reginæ condolentes, considerata tanta personæ eius dignitate, & exempli raritate, non solùm studiosè interceserũt, sed etiam mortis sententiam ad Francos missam, *Galliæ Iurisperiti*, vt nullo iuri subnixã reprobarunt, cur ergo huiusmodi sententia in Reginam Scotiæ innocentissimã à *Regina Angliæ*, nõ iudice & à Senatu *populoque Anglico*, cõmissarijs item ac Parlamẽto tanquã partibus ne dicam hostibus, iniquè lata tam crudeliter fuit executioni mandata?

Nonne hi Iudices ausi iudicare fuerunt eam, quæ nec illis, nec Reginæ Angliæ fuerat subiecta? cùm Regina Scotiæ non minor, imò maior illa, & melius nata, æqualis potestate, & dignitate par fuerit? An nõ Angliæ Regina pro Iudice se gessit suprema, cùm tamen actrix esset in causa iniustissima? Nõne,

vt dictum

vt dictũ est, illi Iudices quos Angla cõstituit, vitæ ac necis Reginæ Scotiæ iurati hostes semper fuerunt? eiusque necem, apud Parlamentarios illos proceres Anglicos, vnicè sol licitarunt? Si libera facta fuisset potestas Reginæ Scotiæ se purgandi, suamque innocentiam defendendi, cur non permiserunt, ad Principes reliquos Christianos appellãtem, causæ suæ cognitionem referre? non video. Sed omnis eorum inquisitio, & procedendi ratio, secundum literas Isabellę Reginæ fuit instituenda. Adeò, vt Mariam reginam Scotiæ, principem nobilissimam vsque ad mortem hanc, quæ illi ab Anglis obijciebatur, coniurationem constantissimè inficiantem, nullisque testibus editis conuictam, contra omnes leges, iura omnia trucidarint? Clamãtes cum Iudæis: (si non verbis, saltem facto) Sãguis eius super nos, & super filios nostros, dicentesque: Hæc est hæres, venite occidamus eam, & habebimus hæreditatem eius. Nam Scoti apprehensam Reginam eiecerũt extra vineam, & Angli eandem occiderunt. Videant autem, ne his nationibus id eueniat quod Iudæis olim euenturum prædictum fuit. Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs, id est, Catholicis agricolis, qui reddent ei fructum sub Rege Catholico tẽporibus suis: Dicantque Scoti & Angli, quid fecimus? Ecce venient Romani & tollent

Anno Christi

Anno Christi

nostrum locum & gentem: potens est enim Deus nouos excitare Titos & Vespasianos, siue Romanos alios, qui excisa ciuitate, vltimum gẽti exitium parare possent, & scrutari Ierusalem in lucernis, & visitare super viros, defixos in fecibus suis, quoniam interfecerunt sanctum Domini: Verùm hæc de Genealogia Anglica, sequuntur Belgarum quorundam procerum siue Principum Genealogiæ.

GENEALOGIÆ DVCVM, PRINCIPVM, COMITVM, ATQVE BARONum Belgij decem.

CVM magna sit cognatio Belgis & Anglis, eosque solùm strictus maris à se inuicem separet, rectè videbor post Anglicá Belgicas etiam tractare Genealogias, priusquàm ad Bohemicam Genealogiam perueniam, atque ita Secundæ partis Thesauri Principum hac ætate in Europa viuentium absoluam Paralipomena. Ex Belgicis autem Proceribus non omnium sed præcipuorum duntaxat contexendas genealogias proposui, idque tantò breuius, quantò latius de ijs in Topographica atque Historica Leonis

nis Belgici descriptione nostra egimus. Sit igitur ex decem illis Belgarum Genealogijs prima. Anno Christi

GENEALOGIA PHILIPPI VVilhelmi Buræ Comitis ex linea materna.

i. FRIDERICVS.

ABAVVS maternus Philippi Guilielmi fuit Fridericus primus Buræ Comes, cuius vxor fuit Adelheyda Culembergica: pater verò Guilielmus Egmundæ dominus, qui obijt anno 1483. Auus Arnoldus Egmundanus Isselsteinij Dominus: Proauus Iohannes, cuius vxor fuit Guida soror Arnoldi alterius, qui sine liberis obijt, ex parte huius Guidæ Dominium Egmond Ioanni obuenit. 1483.

Fridericus autem, de quo hîc agimus, duxit quam antea nominauimus Adelheidam filiam Gerardi Culemburgij Domini, quæ ditionem Buranam ei in dotem attulit, & Martendik, peperitq; Friderico filium nomine Florentium.

ij. FLORENTIVS.

PROAVVS Philippi VVilhelmi fuit Florentius, Lerdami Dominus eques aurei velleris, qui duxit Margaretham Berganam filiam Cornelij Domini Senenbergij, cum qua genuit filium Maximilianum.

iij. MA-

Anno Christi

iij. MAXIMILIANVS.

AVVS Philippi eiusdem fuit Maximilianus etiam Eques aurei velleris, qui duxit Franciscam Lanoiam, cum qua genuit Annam, de qua paulò post. SORORES Maximiliani fuerunt prima Anna Ioscphi Momeranij primùm, deinde Comitis Hornani coniux. Secunda verò nupsit Arebergij regulo: gratissimus fuit hic Maximilianus Carolo V. Imperatori, vtpote cum quo non tantùm in Hispaniam profectus, verùm etiam resistentibus Carolo eidem Saxone Duce, Friderico & Landgrauio Philippo, adducto instructissimo exercitu in Germania contra hostes suos acceptissimam operam præstitit.

iiij. ANNA.

MATER Philippi VVilhelmi, iamin Hispania existentis, fuit Anna Egmundana domina Isselsteinij, Leidanij, S. Mardickij, Buriæ Comitissa, quę vnica Maximiliani filia & hæres nupsit Guilielmo principi Auriaco, eidemque peperit eũdem Philippum, qui sequitur.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Guilielmi Principis Auriaci, & Annæ Buræ comitissæ, est Philippus Vvilhelmus binomius propter Philippum Hispaniarum Regem, qui, quod eum ex sacro

fonte

fonte susceperat, eius pater spiritualis, & propter VVilhelmum Principem Auriacum, qui quod eum ex Anna genuerat, pater eius carnalis dicitur. Cæterùm, quæ de hoc Principe Auriaco eiusque filijs ac fratribus scitu digna videbantur, ea in Topographica atq; historica Leonis Belgici nostra descriptione ordine suo annotauimus, præsertim in vltima eiusdem descriptionis editione pagina 121. 123. 126. 127. 128. 130. 131. 158. 161. 164. 165. 252. 254. 266. 268. 287. 351. 383. 395. & 397. quo lectorem hinc remittimus. Anno Christi

GENEALOGIA PHILIPPI Comitis Egmondani.

1. GVILIELMVS.

ABAVVS Philippi 4. Comitis Egmũdani fuit Guilielmus Egmondæ Dominus, Isselsteinij quoq; Burę regulus, de quo paulo ante diximus, obijt anno 1483. FRATER eius legitimus fuit Arnoldus Geldriæ Dux primus, ex cuius familia Carolus nepos postremus. Nothus verò frater fuit eiusdem nominis Arnoldus. SORORES, sed nothæ etiã Catharina & Iola. Arnoldus legitimus genuit Guilielmum natu minimum, qui duxit Annam

Anno Christi

Annam Henminam filiam Ioſephi Boſſui Domini, viduam Iacobi Borſelij, ſed ſine liberis obijt, vnico tantũ relicto filio Notho. Fuit huius Guilielmi pater Iohannes, qui obijt anno 1451. patruus Guilielmus Iſſelſteinij regulus, Auus Arnoldus Egmundæ Dominus, cuius fratres fuerunt Gerardus, Guilielmus, Otto, Albertus: & ſeptem ſorores. Proauus Iohannes Mereſteinus, qui obijt anno 1370. Abauus Gualterus, cuius fratres Guilielmus Egmundæ Dominus, Nicolaus, qui obijt 1301. & Iohannes, qui obijt anno 1319. Attauus Gerardus, qui ante patrem obijt ſuſceptis liberis. Tritauus Guilielmus, qui obijt 1304. cuius ſoror Sophia nupſit Iacobo VVerdami VVarmontiorum regulo, ſed quæ & ipſa obijt anno 1309. Maiores fuerunt Gerardus, cuius nepos VVilhelmus ille maritus Sophiæ, pronepos verò Guilielmi decimitertij Egmundæ Domini, cuius ſoror Halevvina vxor Henrici Cucani, atque ita retro quidem computant proſapiam Egmundanam à dicto Guilielmo 13. vſque ad Radvvoldum filium natu minorem Adgillis Regis Friſiæ inferioris, per generationes: volunt enim Radboldum iſtum, antequam primus Egmondæ regulus obiret anno 792. genuiſſe Gerbrandum, qui obijt 845. hic genuit VVollebrandum, qui obijt 868. hic Rabol-

Raboldum quartum, qui obijt 920. hic Dodonem qui obijt 977. hic VVolgerum 1036. Dodonem 1074. Bervvoltum, qui obijt 1114. Bervvoltum filium 1155. Araldum 1168. Gualterum, qui obijt 1208. hic genuit Guilielmum illum 13. Egmundæ Dominum 1234, cuius frater Arnoldus in Syria obijt anno 1217. sed ad Guilielmum abauum Philippi 4. Comitis Egmondani reuertamur, antiquas illas leuiter prętereuntes, & nouas Genealogias potius describentes. Hic Guilielmus genuit Iohannem. Anno Christi

ij. IOHANNES 1.

PROAVVS Philippi Comitis Egmõdani hac ætate nostra viuentis, fuit Iohannes: cuius FRATRES duo legitimi Fridericus, de quo supra diximus, primo Burię Comite, & vxore eius Adelhaide, & VVilhelmus: Nothus vnus vnde Niburgiorum familiæ initium. SORORES quatuor. Genuit autem Iohannes primus filium nomine Iohannem 2.

iij. IOHANNES 2.

AVVS Philippi Comitis Egmondani & fratrum eius fuit Iohannes 2. qui obijt die 29. mensis Aprilis anno à Christo nato 1528. Mediolani. FRATRES habuit quatuor, & SORORES quinque Genuit autem Ioannes 2. filium nomine Lamoralum.

iiij. LA-

Anno Christi

iiij. LAMORAL.

PATER Philippi Comitis Egmundani fuit Lamoralus, qui non solum Comes Egmundanus, sed etiam Princeps fuit Gaueræ, & eques aurei velleris. FRATREM habuit Carolum, qui in Italia obijt, cùm sequeretur Carolum V. ad Argeiram in Africâ proficiscentem cum exercitu. SOROREM Margaretham vxorem Nicolai Comitis Vaudemontij, cui peperit inter alias Ludouicam, Henrici 3. Frâcorum regis nuper interfecti, vltima ex prosapia Valesiorum vxorem, etiamnum adhuc viduam. Coniux huius Lamorali fuit Sabina Palatina, Iohannis Palatini Ducis Hundsruckij filia, quæ peperit eidem filium Philippum.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Lamorali Comitis Egmundani (qui 5. die Iunij anno 1568. vnà cum Philippo Hornij Comite capite plectitur Bruxellæ) filius vxorem duxit Mariam Hornanâ filiam Baronis Gasbeckij. FRATRES huius sunt duo, Lamoralius vnus, & alter Carolus. SORORES nouem: Leonoram, quam duxit Georgius Hornanus comes Hanteker kij, obijt ipsa ante decennium, hoc est anno 1582. Mariam, Franciscam, Magdalenam, Christinam, quæ nupsit domino Capperfij, Annam, Sabinam, Iohannam & Philippam, quibus

1568.

1582.

quibus omnibus & singulis insignem se dotem cõstituturũ promisit rex Hispaniarum Philippus Comiti eorum patri, cùm à proceribus Belgij in Hispanias ablegaretur, si in retinenda Catholica fide in Belgio, præsertim autem in duobus sibi commissis Comitatibus Flandriæ & Artheſiæ, suam authoritatem, quę magna fuit apud Belgas, interponere voluisset: verùm rediens ab Auriaco & eius assecl is seductus, in crimẽ læsę Maiestatis incidit cum cæteris. De hoc quid præterea lectu dignum videbatur, Topographicę atque Historicæ Leonis Belgici Descriptioni nostræ inserui, ad quam lectorem hinc remittere potius, quàm hic pluribus agere volui: videat igitur paginã posterioris editionis 120. 184. 211. 215. 239. 274. 285. 286. 403. & 416. Anno Christi

AMPLIOR PROGENITORVM Philippi ac fratrum Egmundani Comitum designatio.

PHilippus fuit filius Lamorali Comitis Egmondæ, qui Princeps Gueræ, Duxque mirtiæ fuit Caroli V. Imperatoris, eiusque filij Philippi Regis Hispaniarum aduersus Gallos præcipuus, & aliquot insignibus victorijs celebris, eques aurei velleris. Philippus idem fuit nepos Ioannis 2. equitis etiam aurei velleris, cuius vxor Frãciſca Lux-

Anno Christi

emburgica Gueræ principissa & Fieuæ Domina. FRATRES Ioannis fuerunt Maximilianus, Guilielmus, Iorianus vel Georgius Egmundanus Antistes Vltraiectinus, Philippus Barę Dominus, qui obijt in Italia

1529. 1529. SORORES Iodoca, vxor Ioannis Domini à VVassenaræ: VValburga, vxor VVilhelmi Nassouij, adhuc alia soror, quæ Losdiniæ monialis, Catharina iuncta Georgio Schenckio Tautenburgæ regulo, gubernatori Frisiæ Occidentalis ac ditionis transisselanæ, & vltima soror, quæ coniux fuit Francisci Borselij Cartegenæ Domini Philippus præterea fuit pronepos Ioānis 1. eius nom. Egmondæ Com. gubernatoris Hollandiæ, Zelandiæ & Phrisię, aurei velleris equitis, qui inuestitus à Maximiliano Imp. 1492. in Hollandiæ gubernatione succesit Iodoco Lackano, in obsidione Vltraiectensi occiso, oppidum cum ditione à VValthassaro Vvolckensteinio, cui eam Imp. dono dederat, confiscatā, à Montfortij Domino emit. Vxor Ioānis huius 1. fuit Magdalena filia Georgij Comitis VVardenburgij. Fuit tandem Philippus, quem dixi, Abnepos Guilielmi Egmundæ Domini Isselsteinij, Burę & Lerdami, Dominus in Egmondę ditione per resignationem fratris in Isselsteiniā patruo

1483. succesit: obijt an. 1483. sepultus Gueræ. reliqua de huius Philippi progenitoribus

ex præ-

ex præcedentibus manifesta sunt: quare ad Genealogiam Bossuiorum veniamus. Anno Christi

GENEALOGIA PHILIPPI patris primi Comitis Bussui.

1. IOHANNES 1.

ABAVVS Philippi patris primi Comitis Bussuij fuit Iohannes, filius Gualteri, qui obijt 1319. & habuit fratres tres, Baldwinum, Iohannem & Nicolaum, & vnicam sororem. Fuit Iohannes idem nepos Ioannis Bossui ac Cuuilteri Domini, cuius vxor Maria Henrici reguli Blangiorum, qui obijt 1300. relictis fratribus Baldwino, Alberto, AEtiuo, Elia, & Gualtero, & sororibus Elizabetha, Basilia, Huga, Canonica apud S. Vandroum obijt anno 1284. Fuit Iohannes hic & pronepos Baldwini 2. Domini Henninij, Quinchij, ac Seburgij sine fratribus & sororibus, solus. Fuit præterea Ioannes Abnepos Baldwini primi eius nominis in hac familia, cuius vxor Elizabetha Henrici Philippi Henninij, reguli Seburgij, Hennini & Quinchij. Hic primus reliquisse scribitur Alsatij cognomen, & Henniniorum sumpsit, seruatis tamen Alsaciorum insignijs. 1319. 1284.

Anno Christi

Ioannes etiam fuit Atnepos Simonis, cuius vxor Margaretha filia ac hæres vnica reguli Henninij ac Lictarti, cuius frater Theodoricus Alsatus comes Flandrię. Fuit Iohannes idem trinepos Theodorici, cuius vxor Gertrudis filia natu minima Roberti primi, Comitis Flandriæ, vidua Henrici Brabantiæ Ducis, habuit duos fratres Simonem Comitem Alsatiæ, & Hermannum Kiburgi Comitem. Pater horum fuit Simon Comes Alsatiæ & Kiburgi, qui duxit Rosillam Bauarā, & genuit ex filia Ducis Sueuorum hæredem vnicam filiam Heluidiam matrem Rudolphi ex Alberto: adeò vt antiquissima videatur hæc Bossuiorum esse familia, sed ad recentia reuertamur, nempe filium Iohannis.

ij. GVALTERVS.

PROAVVS Philippi patris primi Comitis Bossuiorum fuit Gualterus, qui FRATRES habuit duos, Theodoricū & Aegidium. SORORES itidem duas, Ioannam & Elizabetham. Genuit autem Gualterus hic Iohannem 2.

iij. IOHANNES 2.

AVVS Philippi parentis Bossuiorum primi Comitis fuit Iohannes secundus in ordine, qui habuit FRATRES quinque, Iacobum scilicet, Gualterum, Baldwinum, Gerardū, Baldwinum & Theodoricum. SOROREM vnicam

vnicam Annam. Genuit autem Iohānes hic Petrum filium. Anno Christi

iiij. PETRVS.

PATER Philippi primi Comitis Bossuiorum fuit Petrus, proauus Maximiliani secundi Comitis eiusdem familiæ, de quo paulò post dicemus, qui quidem Petrus habuit FRATREM vnum nomine Gualterum, & SORORES tres, Margaretham, Elizabetham & Annam. Genuit itaque Petrus Philippum auum Maximiliani secūdi Comitis huius familiæ.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Petri fuit Philippus, qui habuit FRATRES duos Iacobum & Gerardum, præterea & SORORES quatuor Guilielmā, Elizabetham, Gabrielam & Franciscam. Genuit Philippus hic Ioannem 3. qui creatus ab Imperatore Carolo V. primus Bossui Comes, habuit tres Sorores, Philippam, quæ cū alia Sorore infans obijt, & Iolam vxorem Franciſci Merodij Moriamezij Domini. vulgò Mormulmee: habuitque filium Maximilianum, cuius vxor Carola VVerchina Caroli fratris vidua, è qua suscepit filium Petrum. FRATRES dicti Maximiliani Comitis Bossui fuerunt 4. Carolus, qui equo decidens perijt, nulla è Carola Seneschalli relicta sobole. Philippus, qui in cunis obijt. Antonius Præpositus Vltraiectinus, & Iacobus,

Anno Christi 1578. qui duxit Mariam filiam Domini Lickerkij vxorem. Moritur tandem & ipse Maximilianus Comes Bossui Antuerpiæ mense Decembrianno 1578. vbi tum & ego literis gratiosis à Sereniſsimo Principe Matthia Archiduce Auſtriæ receptus hærebam. Quæ autem ab hoc Comite Maximiliano tam in Hollandia, vbi præfectus erat in mari contra regios hoſtes, quàm in Brabantia, præſertim autem Bruxellæ, in regia Philippi Hiſpaniarum potentiſsimi regis vrbe, cui ſimiliter præficiebatur, vtraque ex parte ſunt acta, narrantur etiam in Topographica atque Hiſtorica Leonis Belgici noſtra deſcriptione pagina 121. 144. 151. 244. 247. 251. 262. eò breuitatis ergò lectorem quoquere mittimus.

GENEALOGIA PHILIPPI Ducis Arſcotani, patris Caroli Principis Chymay.

1. ANTONIVS.

ABAVVS Philippi huius Ducis *fuit* Antonius Guineſij Comes primus, cuius vxor fuit Iohanna filia Iohannis Rubaixij Harzellæ Domini, quæ filiam vnicam peperit Margaretham. FRATRES habuit Philippum, Guilielmum, Michaelem & Iohãnem I. Chymay Comitem. SORORES autem Iacobam

cobam, Guilielmam, Antoniam, Iohannam maiorem & minorem, Agnetem, Ludouicam, Carolam, Margaretham, Annam & Elizabetham siue Isabellam. Maiores huius Antonij dicuntur fuisse Andreas Huganes, qui cum vxore Sibylla Cumea genuisse scribitur Marcum Vngarum, cui filia atque hæres vnica Baronis Araini ac Croyaci peperit Iohannem Baronem Aranicum, huic sine liberis decedenti, successit Gulielmus Baro Croyacus prędicti Antonij Tritauus, Ioannes Ciriacus attauus, Antonius Abauus, Iacobus proauus, Gulielmus auus, & Ioannes auus eiusdem Antonij, de quo supra dixi: perijt hic Ioannes Baro Croiacus cum duobus filijs maximis natu Arcembaldo, & Ioanne prælio Azincourtano commisso anno 1415. postquam generasset ex legitima vxore liberos 18. ex concubina verò filium vnicum nomine Butherum. Anno Christi 1415.

v. PHILIPPVS.

PROAVVS Philippi Ducis Arscotani fuit Philippus eiusdem nominis, cuius FRATER Iohannes Reussij regulus: SORORES verò Iohanna 1. 2. 3. Margaretha vxor nata Henrici Montfortiorum, apud Vltraiectenses Domini, Maria Iacoba, & Isabella.

Anno Christi

iij. HENRICVS.

AVVS Philippi Ducis Arscotani fuit Henricus, filius Philippi, de quo iam dixi, proaui scilicet. FRATRES habuit duos Antonium, & Guilielmum. Genuit autem Henricus Philippum.

iiij. PHILIPPVS.

PATER Philippi Ducis Arscotani, fuit Philippus omnium fratrum maximus. Hic fuit primus Arscoti Dux, cuius FRATRES erant quattuor, Guilielmus, Robertus, Carolus, & Carolus alter, qui fuit Comes Portianus. SORORES duæ, Helena & Anna. Genuit primus hic Dux Philippus alterum Philippum Ducem Arscotanum.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Philippi fuit Philippus Dux Arscotanus, quem in aula Ferdinandi Imperatoris laudatissimæ memoriæ Marchesium (cùm adhuc iuuenis essem) in eadem aula, id est, Marchionem appellari etiamnum adhuc memini; postea verò Duce Arscotano prædecessore ipsius defuncto, Dux Arscotiæ vocari cœpit. FRATRES habuit etiam quatuor, Carolum, Guilhelmum Marchionem Rentiacum, Ludouicum & Carolum Philippum Marchionem Haureum: genuit autem Philippus Annam & Margaretham duas filias, & Carolum Chymay Principem, qui in inferiori Germania Brugis, Gãdaui, alijs-

alijsque in locis, nuper verò etiam ante Archiepiscopalem ciuitatem Bonnam, præfectus regij exercitus, insignia Philippo 2. Hispaniarū Regi grata seruitia præstitit, de quibus in Relationibus meis historicis germanicè ampliorem feci mentionem, in Topographica autem & historica Leonis Belgici descriptione, de patre ac patruis ipsius, latinè diuersis in locis etiam mentio crebra facta est, præsertim in postrema editione pagina 167. 184. 203. 209. 210. 214. 215. 217. 229. 233. 236. 237. 238. 239. 244. 245. 262. 268. 283. 284. 295. 297. 345. 367. 386. quò lectorem breuitatis ergò remittendum existimauimus. Anno Christi

GENEALOGIA PHILIPPI Comitis Lalainij.

i. SIMON.

ABAVVS Philippi Comitis de Lalaing, fuit Simon, quem dicebant Montignij Dominum, qui duxit Ioannam Gauerensem, obijtque anno 1478. 10. Martij: Philippum Bonum Burgundiæ Ducem omnibus secutus bellis. FRATRES habuit duos, Guilielmum præfectum Hannoniæ ac Hollandiæ, cuius pronepos fuit Pontus Lalainius Bignicourti regulus, qui obijt, nullis à Leonora

Mome-

Anno Christi

Momeranciana, filia Ioſephi ac Annæ Egmondanæ, ſuſceptis liberis, & Senſenni alterum fratrem: qui tres fuerunt Abnepotes Ottonis Domini Lalainij reguli ex Iſabella Sartebruſſa: pronepotes Simonis Lalainij reguli ex Maſuta Aſpremontia, Nepotes Nicolai ex Maria Montegniaca, cuius Nicolai frater erat Simon Cheuraini regulus, & filij Ottonis præfecti Hannoniæ ex Iola Barbaſonia, qui vixit annos 108. & obijt anno Christi 1441.

1441.

ij. IODOCVS.

PROAVVS Philippi Lalainij Comitis fuit Iodocus Lalainij ac Montignij regulus, quod ditionem Lalainam emiſſet à patruele ſuo Ioanne Lalaino Guilielmi filio, fuit Hollandiæ præfectus, perijt pridie Nonas Auguſti anno poſt Chriſtum natum 1483. in obſidione vrbis Vltraiectenſis, vxor Bona Viuilla. Iodocus hic nec fratrem nec ſororem habuit, ſed filium Carolum, de quo conſequenter dicemus.

1483.

iij. CAROLVS.

AVVS Philippi Comitis Lalainij fuit Carolus primus Lalainij Comes factus ab Imperatore Carolo Quinto, duxit vxorem Iacobam Lucemburgicam. FRATREM vnum habuit Antonium Montignij Dominum, qui factus eſt ab eodé Carolo Quinto pri-

to primus Hochstrade Comes, duxit Elizabetham filiam natu maximam Iaspari Culẽburgij Reguli, à qua Hochstratam obtinuit. Cumq; sine liberis obiret, hæredem testamento instituit Philippum Lalanium nepotem ex fratre, qui quidem Philippus duxit Annam Comitis Rennebergij filiam. Genuit autem Carolus, Carolum filium, qui sequitur. Anno Christi

iiij. CAROLVS.

PATER Philippi Comitis Lalanij fuit Carolus, qui duxit primò Margarethã Croyacam, quæ peperit ei Philippum: secundò duxit Mariá Momerãtiam sororem Leonoræ, de qua supra mentionẽ fecimus, & Comitis Philippi Hornani. FRATER huius Caroli fuit vnus Philippus Lalainus, cuius filij Antonius Lalainus Hochstratæ Comes, qui viduam Bignicourtij, de quo supra, duxit vxorem, & alter Georgius Rennebergij ac Vilæ Dominus, qui, vt antea Princeps Carolus Chymainus in Flandria, ita hic in Frisia Philip. 2. Hispan. Regi grata præstitit contra inimicos suos seruitia, obijt Groningę ann 25- 1581. 81. de his in Relationibus amplius tractauimus germanicè.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Caroli Lalaini, fuit Philippus Lalaini Comes, præfectus, quem vulgò Balliuum appellant, Hannoniæ, cùm Loua-

Anno Christi 1582. Louanij ſtuderet apud Thomam van den Dycke ſimul commenſales ferè ſeſquiannum commorabamur, ille ſub Leonhardo, ego verò ſub Iohāne Ramo præceptoribus. Duxit filiam Iohannis Lignij Arembergæ Comitis, obijt anno 1582. poſtquam Alanzonius Dux Henrici 3. Regis Galliæ frater ab eo in Hannonia familiariter receptus eſſet: de quo quidem Comite Lalainio plura ſcripſimus in Topographica atque Hiſtorica Leonis Belgici latina deſcriptione, poſterioris potiſsimum editionis, pagina 215.240. 242.249.252.261.262.264.269.288. quò breuitatis cauſa lector hinc remittitur.

GENEALOGIA PHILIPPI Comitis Lignij.

1. HENRICVS.

ABAVVS maternus Philippi Comitis Lignij & Vvaſſenariæ reguli fuit Henricus, cuius Maior fuit Philippus Dominus Vvaſſenaræ, Duwenvordij, Polanæ, Vorburgij, Catwici, Gronenualdij, Zanthorſtij: Tritauus verò Theodorus. Attauus Philippus, Abauus Henricus Burgrauius Leyde, proauus Philippus, cuius filia Hedwigis vxor fuit Guilielmi Notha Duwenuordij & Breda Domini. Auus Theodorus, pater verò Philippus poſtremus Leidę Burgrauius, cuius

vxor

vxor Maria fuit Egmondana, quę peperit Henricum, qui ex Catharina Gruthusia vxore genuit Iohannem. FRATRES habuit 2, Iohannem & Theodorum prefectos Vltraiecti. Anno Christi

ij. IOHANNES 1.

PROAVVS maternus Philippi Comitis Lignij & VVassenarę fuit Ioannes primus, qui duxit Catharinam Craninam vxorem: Deinde Ioannam Halevvinā, ipse obijt anno 1496. prima vxor moritur an. 1477. altera anno 1529. FRATRES habuit duos, Philippum, qui obijt 1474. & Iacobum, qui mortuus an. 1451. SORORES habuit itidē duas Agnetem, quę obijt anno 1444. & Elizabetham, quæ virgo moritur anno 1469. Genuit autem Iohannes primus filium Iohannem 2.

iij. IOHANNES 2.

AVVS maternus Philippi Comitis de Lignij & VVassenaræ fuit Ioannes 2. Eques aurei velleris, cuius vxor Iosina Egmundana primi Comitis filia. FRATRES quatuor ex Catharina quam dixi, qui infantes obierunt, & SORORES duas, Barbaram & Catharinam. Fratrem vnum ex Iohanna matre sua Iodocum, & Sororem vnam Catharinam vxorem Iodoci Cruungij. Ioānes autem hic genuit Mariam filiam.

iiij. MA-

Anno Christi

iiij. MARIA.

PATER Philippi Comitis VVassenaræ, fuit Iacobus Comes Lignius ac Fauckenbergius, qui duxit Mariam Ioannis prædicti filiam, dono Imperatoris Caroli V. Dominam VVassenaræ, Valkenburgij & Vorburgij, cuius Mariæ frater Andreas Nothus: Soror autẽ Margaretha vxor Ioannis Marcani Lumay & Seraniæ Domini, de quo paulò post plura dicturi sumus: peperit autem Maria Philippo filium Philippum.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Philippi & Mariæ fuit Philippus Lignius Comes, VVassenaræ regulus, qui duxit Margaretham Lalaniam, & factus est Gandaui ante discessum Philippi secundi Regis è Belgio in Hispanias anno 1559. inter cæteros proceres, Eques aurei velleris, vbi solemniter omnia peragebantur magna cum pompa & Maiestate, quam tum ibidẽ exerceri videbam.

1559.

Cum hoc Philippo eiusque fratre Domino de Tambrouse, qui tum nobiscum Louanij literis operam dabat, magna mihi intercedebat gratia & familiaritas, cuius paternam vlteriorem lineam alibi annotatam, hîc supersedere volui.

GE-

GENEALOGIA PHILIPPI VVilhelmi Nassouij Comitis ex linea Paterna.

Anno Christi

i. IOANNES 1.

ABAVVS paternus Philippi VVilhelmi Comitis Nassouij, qui iam ab anno 1569. est in Hispanijs annos tres & viginti, fuit Iohannes fil. Engelberti. Engelbertus autē comes Nassouiensis, duxit vxorem filiam Philippi de Breda, cuius etiam hæres fuit, cum qua genuit hunc Ioannem primum, qui mortuus est anno 1470. postquam habuisset ordine consequenti duas vxores, prima fuit Elizabetha filia Ludouici Comitis VVirtembergensis & Montpelgardi. Altera Maria filia Comitis Solmensis. Genuit autem Ioannes 1. Ioannem 2. 1471.

ij. IOHANNES 2.

PROAVVS Philippi VVilhelmi fuit Ioannes 1. qui ducta Elizabetha filia Landtgrauij Hassiæ, & Annæ hæredis Comitatus Catzenelbogensis vxore anno 1478. genuit VVilhelmum primum, de quo sequitur. 1478.

iij. VVILHELMVS 1.

AVVS Philippi Comitis Nassouij fuit Guilielmus Comes Nassouiensis in Catzenelbogen, Vianen, & Dietz, cuius vxor Iuliana

Anno Christi

Iuliana filia Bothonis Comitis Stolbergici, vidua Philippi Comitis Hannauiensis ducta anno 1531. FRATER huius VVilhelmi fuit Henricus, interior Cubicularius Maximiliani 1. Imperatoris 1508. vxor huius Henrici Claudia filia Iohannis de Cabilone, ex qua Renatus vel Rene de Chalon cognominatus ab auunculo, qui adoptauit eum in Vranię Principem ex Comite Nassouiense, obijt in obsidione Landresiana anno 1544. hæredem instituens patruelem VVilhelmum, cõsentiente in hoc Carolo V. Imperatore. Genuit autem VVilhelmus 1. VVilhelmum 2. eius nominis.

1508.

iiij. VVILHELMVS 2.

PATER Philippi VVilhelmi Comitis de Nassau, fuit VVilhelmus 2. qui natus est anno Christi 1533. 14. Aprilis hora secunda pomeridiana Dillenbergæ. Adoptatus in Principem Auriacum siue Vraniæ à dicto Renato patruo, & inuestitus à Carolo V. Imperatore, in cuius aula etiam educatus est: & cùm esset annorum 21. missus eiusdem in finibus Galliæ ciuitatem ædificauit, cui Philippe ville nomen indidit, qui Carolus V. Imperator Philippo filio iam Hispan. Regi eius nominis secundo inferiorem Germaniam siue Belgium, cuius procerum Genealogias iam describimus, tradere nõ voluit, nisi in præ-

1553.

in præsentia huius Principis anno 1555. susceptus in equitem aurei velleris 24. Ianuarij anno 1556. Anno Christi

In ciuili verò bello Belgico ob religionem vt putatur susceptо, cõtra Regem Hispaniarum eundem Philippum 2. eiusq; Gubernatores ac Duces quinque, Margarethã, scilicet Austriacam, Ferdinãdum Albanum Ducem, Ludouicum Requissenum magnũ Castilię Commendatorem, D. Iohannem de Austria Philippi fratrem, & Alexandrum Farnesium Ducem Parmensem, etiamnum adhuc Belgium nomine Hispaniarum Regis Philippi gubernantem, summus militiæ Dux constitutus fuit à Statibus vel proceribus quibusdam à domino suo naturáli deficientibus in Belgio, idque ab anno 1564. vsque ad annum 1582. quo in Brabantiam adduxit Herculem vel Franciscum Alenzoniæ Ducem Henrici 3. Gallię regis fratrem, qui eodem die, quo Alenzonius natalem celebrare voluit 18. nimirum Martij, Antuerpiæ globulo per mãdibulum dextrum à Ioanne quodam Iaurine tactus, corruit quidẽ, sed vsque ad 10. diem Iulij anno 1584 superuixit, quo die in Hollãdiæ ciuitate Delft ab alio quodam globulis venenatis transfuerberatus subitò moritur. 1584.

Fratres habuit Iohannem, Adolphũ, quem anno 1558. V Vittembergenses Rectorem

Anno Christi 1568. ctorem suæ scholæ fecerunt, sed anno decimo post in conflictu cõtra Hispanos ad Groningam perijt: Ludouicum, qui ab Albano Duce prælio victus 21. Iulij 1568. cùm obsidione cinxisset Groningam Embdam fugit. Hic Montes postea Hannoniæ quidem occupat, sed deditionem facere cogitur ab Albano: frater Vvilhelmus princeps Auriacus licet magno cum exercitu secundò in Belgium properãs fratrem iuuare conatur, nihil tamen efficit, sed re infecta cum suis iterum recedere cogitur. Tãdem Ludouicus idem in Belgio prope Nouiomagum cum Christophoro palatino Rheni perit anno 1574. in Ericeto Mockerhaidt vulgò dicto. Habuit & SORORES Catharinam coniugem Guntheri Comitis Schwartzenburgici, Iulianam vxorem Comitis Swartzburgij, & duas alias, quarũ vna vxor Henrici Comitis Neuenarij, altera VVolfgangi Ernesti Comitis Insenbergij coniux fuisse scribitur: genuit autem Vvilhelmus ex Anna Comitissa Burana Philippum Vvilhelmum.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Vvilhelmi Principis Auriaci fuit Philippus Vvilhelmus, quem ei Anna filia Maximiliani Comitis Burani vnica peperit, quemq; Philippus Hispaniarum Rex è sacro fonte suscepit, ac ne in hæresim incideret,

deret, aut à patre seduceretur, iussit hunc statim post aduentum Ducis Albani in Belgiũ Philippum Louanio per Antwerpiã in Hispaniam ad se transmitti. FRATER ex Anna filia Mauritij Electoris Saxonię ducta in Augusto 1561. est Mauritius, qui iã apud Hollandos & alios Regi aduersantes subditos gubernatoris locum obtinet, & contra Hispanos se strenuum exhibet: mater huius à Principe repudiata tandẽ Dresdę moritur 1577. SOROREM ex Anna Burena habuit vnicã, cuius nomen mihi iam non occurrit. Vidi tamen hanc & fratrem Philippum tum, cùm à parente mihi charissimo ad Principem Bredam ablegarer, atque ibidem anno 1560. in arce ab vtrisq; ad mẽsam vocatus assiderem. Habuit præterea princeps Auriacus, & ex Gallijs alias duas vxores, quarum vna fuit filia Ludouici Ducis Mompensierij, altera filia Casparis Colignij vidua Tilignij, ex qua illi natus Fridericus Henricus, cuius susceptores Baptismi fuerunt Fridericus 2. Rex Daniæ, & Henricus Rex Nauarr. Verùm hęc de linea Philippi paterna, sequitur materna.

Anno Christi 1561. 1577.

Anno Christi

GENEALOGIA PHILIPPI Lanoij, Molembaisæ Domini.

i. HVGO.

ABAVVS Philippi Molembarsij Equitis Aurei velleris fuit Hugo Lanoij & Lisij Dominus, qui duxit Margaretham Mingovallæ Dominam, quæ peperit Hugoni filiũ Guilbertum, postea obierunt atque sepulti sunt Lisij prope oppidum Lanuccum.

ij. GVILBERTVS.

PROAVVS Philippi Molembarsij fuit Guilbertus Sartæ & Beaumontij Dominus, qui duxit Catharinam filiam & hæredem vnicam Ioannam à Sintiffabin Molembarsæ reguli. FRATRES huius fuêre Robertus & Hugo, qui genuit Iohannem, Iohannes Antonium, Antonius genuit Iohãnem, & hic Iohãnes genuit alterum Iohãnem, qui genuit Nicolaum, Nicolaus autem Bonam filiam, quæ nupsit Philippo S. Aldegradio Nortcariniæ Domino. Fuit etiam Nicolai supradicti frater Carolus, qui genuit Philippum, Philippus autem Carolum principem Sulmonensem Aurei velleris Dominum.

iij. BALDVINVS.

AVVS Philippi Molembarsij fuit Balduinus aurei velleris eques, qui duxit Adrianam

nam Barlemontiam Sorte castelli Dominã. Habuit FRATRES quatuor, Hugonem, Balduinum, Goselinum & Iohannem. SORO-REM vnam, scilicet Agnetem, quæ nupsit Ioanni Reubaizio Herzelle Domino, Equiti etiam aurei velleris, qui obijt 7. die Iunij anno 1449. genuit autem Balduinus hic 1. Balduinum 2. Anno Christi 1449.

iiij. BALDVINVS 2.

PATER Philippi Molembarsæ Domini aurei velleris, fuit Balduinus secundus iti dem aurei velleris eques, cuius vxor fuit Michaela de Esne: habuit Balduinus hic vnicã SOROREM, quæ nupsit Iohanni Iossę Masta ignæ Domino. Genuit autem Balduinus *Philippum* equitem aurei velleris.

v. PHILIPPVS.

FILIVS Balduini 2. fuit Philippus aurei velleris eques, qui primò duxit Margaretham Balduini Burgundi Falasij, & Somersemij domini filiam, quam ei peperit Emanuelis Leidæ Lusitani filia, de qua suo loco in tertiæ partis Thesauri huius Paralipomenis plura dicemus: ex qua quidem Margaretha prima vxore Philippus ille genuit Iohannem equitem aurei velleris, cui nupsit Ioãna Lignia. Ex altera autem vxore, quam postea superinduxit Franciscа Barbausonia genuit 1. Balduinum Lanoicum Torcoigni Dominum Aurei velleris equitem qui ex

Anno Christi

Adriana Gabricona genuit Philippum Lanoiũ Torcoigni quoq; Ducem, genuit etiã 2. Philippum, Beanaisi Dom. & 3. Ludouicũ Prothonotarium, mihi, dũ Louanij simul studeremus familiaris. FRATRES illi 3. habuerũt SORORES 3. Iodoca, cuius filia ex Iohãne Halewin Iohanna fuit vxor Philippi Ducis Arscotani, de quo supra diximus. 2. Maria, quę vxor fuit Franciſci Nœllę & Stadię Domini. 3. Catharina, quæ nupsit Gabrieli Ioſſæ Mastaignę Dom. Ioãnes aũt de quo antea memini, Mariã habuit filiam, quę nupsit Ioãni Bergensi, Bergis ad Scaldim Marchioni, qui post Ioannem Hãnoniæ præfectus, tandẽ in Hispanias à Statibus Belgicis missus, ibidẽ obijt. De cuius quidem Genealogia, post 7. illos Philippos, de quorũ prosapia à Philippo Duce Arscotano incipiens, hucusque tractauimus, ea quoque dicemus, quæ sequuntur.

GENEALOGIA IOHANNIS Marchionis Bergensis.

i. IOHANNES 1.

ABAVVS Iohannis Bergensis Hannoniæ pro Hispaniarum Rege Philippo 2. prefecti, fuit Ioãnes à Gẽnes, qui duxit Iohannã Hẽrici Bonterzenij iunioris, & matris Grut husiæ filiam, neptimque Henrici Bonterzenij senioris Bergarum ad Scaldim Domini, quæ quidem filia Iohanna maritum (qui è Iohanne filio Notho Iohannis 3. Brabantiæ Ducis

Ducis, ac Elizabetha de Getigines fuit natus) his nuptijs Bergarum ad Schaldim, Vvalhemi ac Grunbergæ Dominum fecit. FRATER huius Iohannæ fuit vnicus Henricus Botterzemius, qui sine liberis obijt, cuius patri Henrico 2. de quo dixi, Gruthusia ei in dotem attulit Baroniam Grimbergensē inter Bruxellas & Mechliniam sitam. Anno Christi

ij. IOHANNES 2.

PROAVVS Iohannis Marchionis Bergensis fuit Iohannes Bergarum Dominus, dictus Labro, cuius vxor Margaretha Sensimonia. FRATRES duo Antonius à Glinces, & Philippus Baro Grēbergæ, qui duxit Halmalā filiā Arnoldi de Eldere, Domini ac hæredis Baronis Tresignij. SOROR huius Iohannis vnica nupta Adriano Cruningio. Genuit autem Ioannes 2. filium nomine Iohannem.

iij. IOANNES 3.

AVVS Marchionis Ioannis fuit Iohannes qui duxit Annam Brimeuam filiam Guidonis Megij Comitis. Hic FRATRES habuit 5. Philippum, Hēricum, Antonium, Corneliū & Michaēlem. SORORES itidem quinque Elizabetham, Iacobam monialem Gandaui apud S. Claram, quarta & quinta soror in infantia obierunt. Genuit Iohannes 3. Antonium filium.

Anno Christi

iiij. ANTONIVS.

PATER Marchionis Bergensis Ioannis scilicet quarti eius nominis fuit Antonius, creatus ab Imperatore Carolo V. primus Bergarum ad Schaldim Marchio, cuius vx. or Iacoba Crouiaca, FRATRES habuit duos Iohannem & Philippum. SORORES itidem duas, quarum Anna vxor fuit Adolphi Burgundi, Benoiæ, ac Veræ Domini: Adriana verò nupsit Philippo Nassouio Comiti in VViſsbach. Genuit primus hic Marchio Iohannem filium Marchionem secundum.

v. IOHANNES 4.

FILIVS Antonij Marchionis Bergensis fuit Ioannes, regius præfectus Hannoniæ, ducta Maria Lanoia, vt antea dixi, obijt sine liberis in Hispania. FRATRES habuit duos Robertum Bergẽsem, Antistitem Leodiensem, qui meo tempore Louanij quoque studuit, & Ludouicũ Comitẽ de Vvalheim. SORORES habuit hic Ioãnes Bergensiũ Marchio secundus Annam, quæ nupsit Arembergio Comiti primùm: deinde Henrico Montfortio Domino in Abenbrouc, vnde ab initio septem B. Mariæ virginis dolorum miracula processerũt, de quibus alibi plura scripsimus. Maria vxor Ioãnis Merodij Baronis Perueſij, cuius filia Margaretha Merodia, quæ nupsit Ioanni VVitinero Baroni in Bon-

Bonteczen, qui his nuptijs scribitur factus Marchio Bergarum ad Zomam, quas hoc tempore Regi Hispaniarum rebelles occupant. Sequitur Lumaige ac Serraniæ Dominorũ prosapia. Anno Christi

GENEALOGIA GVILIELmi Marcani Serraniæ Reguli.

i. IOHANNES I.

ABAVVS Guilielmi Lumainge Domini, fuit Iohannes filius Euerardi, cuius fratres fuerunt duo: Iohannes Marcanus, Arembergiæ Comes, post cuius mortem Euerardus hic Arẽbergæ, Neufchastellæ, Lumainge, &c. Dominus factus, & Gerardus. Eberardi vxor prima fuit Maria Bracquimontia apud Britones, altera Agnes filia Iohannis Rochefortij. Fuit idem Ioannes nepos Euerardi senioris Arembergæ Domini, cuius vxor Maria, filia ac hæres Ludouici Lossensis Neufchastellæ apud Arduennam Domini, qui obijt anno 1387. sororem habuit Adelheidam quæ fuit vxor tum Cliuiæ Comitis. Fuit etiam Iohannes de quo agimus pronepos Engelberti qui duas habuit vxores, primam in ordine filiam VVestmalę Domini, alteram deinde filiam ac hęredem Arembergiæ Domini, Ioannes etiam Abnepos fuit

Anno Christi

Adolphi Marchiæ Comitis, atnepos Engelberti senioris, & trinepos Adolphi quoque senioris seu primi, Marchiæ Comitis, qui Elizabetham Faucquenburgicam vxorem duxit. Genuit autem Iohannes filium nomine Guilielmum.

ij. GVILIELMVS 2.

PROAVVS Guilielmi Lumaige Domini fuit Guilielmus senior Lumaige ac Vvarpię Dominus, Traiecti ad Mosam obijt an. 1481. vxorem habuit Iohānam Schonouiā, & FRATRES tres Euerdū Arbergæ Dom. Robertum Esdoniæ, & Adolphum. Genuit autem Guilielmus filium Iohannem.

1481.

iij. IOHANNES 1.

AVVS Guilielmi Lumaige Reguli fuit Iohannes Marcanus, qui duxit Margaretham Rickeliam vxorem. FRATREM vnum habuit Guilielmum Marcanum Montbosonij Dominum. SORORES duas Margaretham Lanceloti Barlaimontij Dominam, & alteram sororem, quæ nupsit Faucqmontij apud Leodios Domino. Genuit autem Iohāneshic Iohannem 2. eius nominis filium.

iiij. IOHANNES 2.

PATER Guilielmi fuit Ioannes 2. Marcanus Limaingę ac Harainge Dominus, qui duxit vxorem Margaretham Vvassenariam, cum qua genuit filium Guilielmum, de quo paulò

paulò post dicturi sumus. FRATER vnicus huius Iohannis fuit Gulielmus Canonicus & Archidiaconus Leodiensis. Anno Christi

v. GVILHELMVS 2.

FILIVS Iohannis secundi fuit Guilielmus eius nominis quoque secundus in linea recta, Marcanus Lumainge ac Serraniæ Dominus, qui anno 1562. nobiscum in inferiori Germania in Comitatu Lamoralij Comitis Egmundani ad coronationem Francfordianam profectus, tandem anno 1572. ex Anglia rediens 1. die mensis Aprilis Brielã, pro Geusijs, quos vocant Philippi Hispaniarum Regis subditos inobedientes, insignem marisciuitatem occupauit, inque eadem enormia perpetrauit facinora, postea ab Anglici canis morsu Leodij celebs perijt. FRATRES habuit duos Philippum & Georgium Marcanos: & SORORES tres quarum prima nupsit Fresini Domino. Secunda Beaufortij Domino apud Atrebates. Tertia Deo virginitatem dedicauit. 1572.

GENEALOGIA ROBERTI Brederodij.

i. VVALRAVIVS 1.

ABAVVS Roberti Brederodij ex antiquissima Hollãdiæ prosapia nati, fuit Vvalrauius filius

Anno Christi filius Reinoldi, qui obijt anno 1392. relicto fratre VValrauio & sorore Catharina: nepos Theodorici, cuius vxor fuit Beatrix VValrauij Vackenburgij filia. hic obijt an. 1377. 1377 pronepos Guilielmi, qui fratrem habuit Henricum & sororem Guttam: fuit etiam idem VValrauius Abnepos Theodori Brederodæ Domini in ordine vndecimi.

FRATRES VValrauij, de quo hic agimus, abaui scilicet Roberti fuerunt tres, Ioannes Brederodij Dominus, Theodoricus & Guilielmus. Genuit VValrauius filium Reinoldum.

ij. REINOLDVS I.

PROAVVS Roberti Brederodij (quo cũ mihi summa Louanij intercesit familiaritas) fuit Reinoldus XVII. Brederodæ Dominus, qui vnum duntaxat habuit fratrem Gisbertum, sacris initiatum, quemadmodũ & Robertus cùm literis operam daret Louanij futurus tum dicebatur Cameracensis Episcopus, sed prælatus est illi Maximilianus Bergensis familiæ Antistes, quẽ insecutus Baremontius, qui Episcopatui præesset, nisi Cameracũ intercepissent, Gallorumque contra Belgarum principem ac Dominum machinationes occupassent. Genuit Reinoldus VValrauium 2.

VVAL-

iij. VVALRAVIVS 2. Anno Christi

AVVS Roberti eiusdem fuit Vvalrauius 2. natu maximus, qui duxit primùm Margaretham (quæ à nonnullis Iohanna nominatur) filiam natu minimam Vvolfardi Borselij Veræ Reguli: Deinde Annam Neuenarij Vvilhelmi senioris filiam, vnde genuit Reinoldum eius nominis 2.

iiij. REINOLDVS 2.

PATER Roberti Brederodij fuit Reinoldus 19. Brederodæ Dominus, qui duxit Philippam Marcanam. Hic FRATREM ex Margaretha quam dixi, habuit vnũ Vvolfardum, & SORORES duas ex eadem, Franciscam & Carolam. Ex Anna verò, de qua supra habuit fratres duos. Frãciscum & Balthasarem. Sorores itidem duas, Vvalburgam, quæ nupsit Arnoldo Comiti in Benthem, & Margaretham. Peperit quidem Anna plures adhuc liberos, sed ad pubertatem non peruenerunt, in pueritia decedẽtes. Genuit Reinoldus Robertum hunc filium cuius Genealogiam hactenus breuiter descripsimus.

v. ROBERTVS.

FILIVS Reinoldi fuit Robertus Brederodius, qui sub Cornelio Valerio, & Gerardo Nodiano viris doctissimis præceptorib. in ædibus Doctoris Lãberti Louanij literis operam dans, maximè profecit: verùm

postea

Anno Christi

postea militiam secutus, ex Italia in Gallias, inde in Vngariam proficiscens, dum rediret per Germaniam in itinere obijt. FRATRES habuit tres, Philippum, qui Mediolani obijt Ludouicum, qui ad Sanctum Quintinum contra Francos occubuit, & Henricum vicesimum Brederodæ, Vianæ ac Auerdæ regulum, Burggrauium Vltraiectensem. Hic duxit Ameliam Gumperti Comitis Neuenarij & Limpurgi filiam, sed sine liberis, tandem extra patriam obijt, posteaquam turbarum Belgicarum Bruxellæ atq; alibi præcipuus author fuisset, de quo in Topographica atque Historica Leonis Belgici suo loco ac tempore latius tractauimus, quò lectorẽ hinc remittimus, Roberti præceptorũ, quos dixi, versus hîc breuibus duntaxat subijciẽtes, vt iuuenilis etiam ætatis nostræ studia tẽpori tum conuenientia nos aliquando exercuisse inter cætera constaret hominibus, qui iam magis seria, atque vt spero Reipublicæ Christianæ vtiliora, ex his atque alijs, quę literis commendauimus, percepturi sunt.

IN

IN INGENVI ATQVE NOBILIS ADOLESCENTIS MICHAELIS EYZINGERI Tabulas Musicas GERARDI Nodiani Arnhemiensis Carmen.

Anno Christi

SI cupis argutos Musarum discere cantus,
Si mirè Harmonicis flectere corda sonis,
Si Phrygios cantare modos, Lydiosq; iuuabit,
Dorion atq; illis iungere ritè melos,
Eyzingus facili quæ prodidit arte Michael,
Perlege, nam paruo tempore doctus eris.
Quæ multis alij scripsêre volumina chartis,
Eyzingi breuibus Calliopeia docet.
Hunc tibi si gratum cognouerit esse laborem,
Et Musas nondum displicuisse suas,
Carmina componet Musis & Apolline digna,
Ac dabit Orpheæ dulcia plectra chelis.
Quîs facilè Hismeniam poteris superare canendo,
Ac Methymneæ carmina docta lyræ:
Quîs summos celebrare deos, Heroica facta,
Tristitiam ex animo pellere sæpè potes.

In easdem Cornelij Valerij Vltraiectini octastichon.

QVAE multis alij libris docuêre, tabella
Et breuis & facilis dabit ista, artemq; canendi,
Mensè tibi Harmonicam (mirum) non amplius vno,
Te modò ne pigeat penitus cognoscere carmen.

Turpe

Anno Christi

Turpe tibi garrire auium non cognita ritu,
Vt plerique solent; ast arte opus esse putato,
Quam tibi perspicuam fecit facilemq; Michaël,
Concinere Harmonicum, atq; fides pulsare peritus.

In easdem Ioan. Pampelij.

Qui poterat nondum iuuenili ætate tabella
Immensam docta claudere Rhetoricen.
Nunc quoque Pierias Heliconia numina Musas
In tabulis pinxit doctior eximius,
Scilicet Austriacos qui fecerat ante disertos,
Musica nunc Belgis dogmata ferre cupit.

EPILOGVS BELGICARVM Genealogiarum.

FVerunt sanè plures in Belgio proceres, quorum, nisi breuitati studiusemus, hisque contentos fore lectores speraſſemus, genealogias describi potuissent, maximè verò inter alias etiam D. Ioannis à Dreckwert Genealogia, post Brederodios Barones, cùm Hollandus, idem quoque sit, & magnę apud Regem Hispaniæ authoritatis, ob singularem quaBrederodios honorat fidem & constantiam, quam semper hactenus Regi Domino suo naturali non solùm ipsemet exhibet, verùm etiam consanguineis suis DD. Moesenbroekijs, alijsque suæ familię viris præclaris author est & fuit, regias partes ad extremum vsque consilio atque auxilio defendendi, sartas tectasque retinēdi, ac neglectis etiam

ctis etiam quibuscunque fortunæ bonis in patria, quæq; miseris modis iam à Religionis & regis hostibus discerpitur promouēdi. Sed quia tantam in viro præclarissimo Drenckwardio modestiam esse scio, vt Genealogiam suam describi non expectat, alios verò, quorum Genealogias hîc præterimus, eius quoque discretionis fore existimo, vt quia non omnia à me, qui breuitati studeo, hîc dicuntur, ab alijs Genealogiarum scriptoribus suas exquirant. Nobis hîc decem Belgicas, & inter cæteros septem Philipporum, vt ita dicam, Genealogias in medium attulisse hucusq; sufficiat. Nunc de Philippo Belgij procerum omnium Domino, deque eiusdem quinque per absentiam in Belgio gubernatoribus pauca quidem, sed rara tamen, atque, vt puto, antea nunquam obseruata subijciamus. Anno Christi

DE PHILIPPO BELGII, EOrumq; quorum Genealogias descripsimus, domino.

PHilippū 2. eius nominis potētissimum Hispaniarum, Angliæ, & Gallię Belgicę regem præfigurabat olim Rex trium aliorū regnorum dominus Olaus scilicet nomine, qui non Daniæ & Norwegiæ solùm, sed etiam Suediæ vno eodemq; tempore præfuit: Nam eodem modo, vt ante Olaum regna illa trianō vni subiecta fuerunt, sed diuersis,

Anno Christi

sic regnum Hispaniarum, Anglia & Belgiũ ab vno eodemque non gubernabantur, sed fuerunt alij reges in Hispanijs, alij in Anglia, vtpote Henricus 8. & Eduardus, atq; alij in Belgio, vt Carolus V. Posteaquã verò Philippus factus est Hispaniarum rex, dein-

1554. de per matrimonium cum vnica Henrici 8. regis Angliæ filia legitima Maria an. 1554. contractum, etiam Angliæ regnum acquisiuit: ac tandem per patris Caroli Quinti Imperatoris resignationem, factam ann. 1550. Belgij Dominus effectus est, adeò vt meritò comparari cœperit Olao potentissimo, trium illorum septentrionalium regnorum regi, Daniæ scilicet, quod ab Aquino, Nortwegiæ, quod ab Erico, & Suediæ, quod ab Alberto quodam Megapolensi regibus recuperauit. Atque id quidem situs quoque ratione, quem regna illa tria cum tribus regnis comparata obtinẽt, sic probari potest. Cùm nemini dubium sit, Hispaniam æquè, vt Daniam regna esse cæteris duobus occidentaliora, Angliam æquè vt Norwegiam esse cæteris septentrionaliora, vnde & Nortwegia à septentrionali via nomenclaturam accepit, quæ vtrique regno Angliæ scilicet & Nortwegiæ conuenit: Belgium verò, quemadmodum respectu Hispaniæ & Angliæ orientalior est, sic etiam Suedia respectu Daniæ & Nortwegiæ æquè est orientalior: verùm hęc compa-

cõparandi ratio obiter sic in genere proposita dilucidior fiet per ea, quæ ex vtraque parte à gubernatoribus post discessum Philippi in Hispaniam, peculiariter tam in Belgio, quàm etiam in Suedia gesta sunt, videbimus enim non tãtum loca & personas, verùm etiam nomina ipsa inter se conuenire, atque optimè quadrare, differat itaque lector hic iudicium suum tantisper, donec quæ de quinque Leonis Belgij gubernatoribus, item de duobus eiusdem Belgij pseudogubernatoribus, ac tandem de tribus Belgij pseudodominis breuiter dicturi sumus. Anno Christi 1559.

i. Margaretha comparatur Margarethæ.

PRima in Belgio nomine Philippi per absentiam eius fuit Gubernatrix Margaretha, perinde vt eiusdem nominis etiã Margaretha fuit in Suedia, quæ per ætatem Olai præfuit, & quemadmodum illa Margaretha filia fuit regis Hispaniæ, ita hæc Margaretha filia fuit regis Daniæ, quã prius Hispaniæ cõtulimus, etsi res ab vtraq; Margaretha nomine duorũ regũ Philippi scilicet & Olai gestas, ex historijs perpendamus, reperiemus procul dubio, fuisse miram vtriusq; fœminę industriã, vt circumeuntes prouincias regni, omnia lustrauerint, prouiderint, pacẽ vbiq; stabiliendam fouerint, per singulas arces

Anno Christi & loca vbi expediebat veteribus missis nouos præfecerunt rerum suarum curatores, adeò vt vtriusque timerent vtrimque Margaretharum industriam mali, reuererentur verò boni: Hinc in Belgio, illinc in Suedia.

ij. Dux Albanus comparatur Duci Pomerano.

SEcundus Gubernator in Belgio Margarethæ successit Dux Albanus, vt in Suedia Margarethę senio iam confectę Dux Pomeranus, & quemadmodũ huius Ducis vxor fuit Lusitana siue ex Portugallia Hispana, ita & Ducis Albani coniunx Hispana fuit. Dux Pomeranus in administratione sua Comites ab Holstein habuit aduersarios, contra quos victoriam obtinuit, quantum Hamburgenses, Lubecenses, Luneburgenses, Rostekienses & Sundenses, & aliæ maritimæ ciuitates illis Comitibus auxilium præbuissent. Cecidit tamen in prælio vnus Comitum Henricus, altero manente superstite, postea tamen etiá victo Adolpho: Dux Albanus eodem modo contrarios habuit sibi Comites Nassouien-
1568. ses, quorum vnus, scilicet Adolphus, in conflictu interficitur: alter verò Comes frater, cui Hericus Palatinus astitit Ludouicus scilicet victus fuga tum sibi consuluit, prope Gruningam, quibus quidé Comitibus multæ Belgij ciuitates maritimæ quoque subsidia

dia præstabant. Dux Pomeranus cùm diu- Anno
rna gereret bella, & opus haberet argẽto, Christi
emunxit Suediam, adeò quòd regnicolæ im
patientiam aperta indignatione testati sunt:
Dux Albanus eadem ratione decimum de-
narium imperans, omnes prope Belgas recal
citrantes habuit: adeò vt Principi Auriaco,
ab Engelberto Nassouio ducens originem,
hinc ansa præberetur rebellium cateruam
ad se attrahendi, atque à rege Philippo defi-
ciendi, quemadmodum apud Suedos, cùm
Dux Pomeranus impatientiam regnicola-
rum summis exciperet auribus, nec ad cor
illius penetraret, Engelbertus quidam nobi
lis rebellionem in regno mouit, atque sedi-
tionem tantam, vt nisi idem Engelbertus
fuisset occisus, Suedia à Dania defeciisset. De
bebat tum in Suedia Pomerano Duci succe-
dere Dux Bauariæ Christophorus, qui tra-
ijciẽs ex Dania in Suediam naufragium pas-
sus, magnam fecit iacturam, amissis multis
millibus aureorum, quemadmodum etiam
Dux de Medina Cœli, qui ex Hispania in
Belgium nauigans, in mari damnum inæsti-
mabile perpessus est: hic nihil in Belgio in-
nouauit, sicut nec Dux Bauariæ.

In regia Bruxellæ ciuitate duo Comites
capite plexi, 18. nobiles alijq́; multi propter
rebellionem puniti perierunt: perinde vt in
regia Suedię ciuitate Stockennæ, multi con-

Anno Christi

ijciuntur in carceres, producũtur duo Episcopi Scarienſis & Strengutus, vſq; ad ſupplicij locum. Hęc erat area ante conſularem domum, vbi proſtrati in pauimentum truncãtur capite, quemadmodum & proceres, quicunq; pro patria aſſerenda ſe ſtrenuè geſsiſſe gloriabantur, cùm interim regi rebelles inueniebantur, & contra eos proſcriptionum tabulæ propoſitæ fuiſſent, verùm hæc quoad ſupplicia Belgarum rebellãtium, in Leonis Belgici Topographica atq; Hiſtorica de ſcriptione noſtra latius, hic breuiter attigiſſe ſufficiant.

iij. Ludouicus Requeſſenius comparatur Chriſtiano.

TErtius Gubernator Belgij ſuccedit Cõmendator ille magnus Caſtiliæ Ludouicus Requeſſenius: quem non ſine ratione Chriſtiano cõparamus, qui Suediæ gubernationẽ ſuſceperat, ſed infelicẽ, nã paulò poſt mouerũt rebellionẽ in eũ Suedi, quemadmodum in Requeſſeniũ Belgæ, & licet vterque contra rebelles vtrimq; cũ valida manu proceſsiſſent, nihil tamẽ contra incolas coadunatos efficere potuerunt, quantũuis iterũ atque iterũ id tentaſſent, ſemper tamen fuerunt repreſſi. Incipiebant ſub Requeſſenio inire pacẽ rebelles, quemadmodũ & ſub Chriſtiano, ſed hanc cauillãtes reiecerunt, denuò rebellantes,

lâtes, donec vterq; è viuis excederet. Requesenius anno 1576. Christianus verò 1481. Anno Christi

iiij. Iohannes comparatur Iohanni.

QVartus gubernator Belgij fuit Iohannes Hispaniarum regis, id est, Caroli V. filius, qui cum Iohanne comparatur Daniæ regis filio eiusdem nom. Hic enim ab Ibaro quodã Gotlandiã traditã accepit, cuius auxilio regnum Suediæ subiecerat, multis seditionibus implicitum, quemadmodũ Iohan. Austriacus in Galliæ cõfinibus Luxemburgũ, à Comite Mãsfeld. traditũ regis Philippi nomine ingreditur, vbi milite sibi prospiciens, tandẽ in Brabantiã progressus, semotis turbis omnib. fit quartus Belgij gubernator: Huic certas leges præscribere conabãtur Status Belgij, ne liberam omninò haberet administrandi potestatem, cui cùm huiusmodi leges minus placerent, insidiasque sibi ab ijsdẽ statibus strui animaduerteret, clãsẽ subducens Namurcum contulit in castrum, vnde non parum ordinibus siue statibus damni tum attulit, quemadmodum Iohãnes ille alter è duobus quoq; castris, quæ Danis ibidẽ remanserant, Suedos vexauit, & paulò post rebus humanis eximitur, & sicut huic Dux Sleswicensis, ita illi successit in gubernatione Dux Parmensis.

Anno Christi

V. ALEXANDER.

1578. ALexander quintus in Belgio gubernator, Dux Parmensis, dictus antea Princeps, succesſit magno Caſtiliæ Commendatori, perinde vt etiam in Suedia Dux Sleſwicensis, qui antea Comes ab Oldenburg & Delmenhorſt dicebatur, Chriſtiernus: Hic magnis animis cœpit gerere prædeceſſoris ſui bella Iohannis, atque in primis annixus fuit Suediam armis occupare: ille eodē modo Belgium ſibi armis ſubijcere tentauit, veſtigijs Ioan. Auſtriaci inſiſtēs, primū effecit, vt & Traiectū ad Moſam, & Antuerpiam ad Scaldim ſuę gubernationi cum alijs etiāciuitatibus magni momēti in ordinē redegerit, poſtea verò, vbi videt Belgas maioribus viribus concordibuſq; animis propulſare hoſtem, ad artes conuerſus, ſectionibus eos diſſociare laborauit, atque ad ſuas partes Hannonienſes & Artheſiēſes cū alijs ditionibus ac ciuitatibus attraxit, ſed maiori cum modeſtia & diſcretione, quàm Chriſtiernus, cuius crudelitatē nequaquam imitatus eſt Princeps Alexander mitiſsimus, vtpote qui ad pacem magis quàm ad belli rigorem inclinans, conditiones æquas admittit, proponentibus conuentæ pacis capita, atq; admiſſa conſeruat: Chriſtiernus autem, ſtipulantibus ſibi patrias leges inuiolabiles ſeruari, ciui-

ciuium libertatem infractam teneri, infensas omnium qui arma contra regem suscepe rant remitti, rata quidem habet capita, imponiturque religio sacramenti, adhibentur instruméta, quibus pacta & fœdera communiuntur. Cæterùm his artibus Suedos decepit, promissa non seruans: hinc factum est, vt Christianus regno pulsus, Alexander autem Dux Parmensis etiamnum adhuc gubernet, quintus in ordine post discessum Philippi regis ex Belgio in Hispanias. Anno Christi

DE ARCHIEPISCOPO Mechliniensi, cui comparetur.

FVIT interea dum in Belgio rebellare cœpissent quidam proceres, Antonius Perenottus Archiepiscopus Mechliniensis, qui regis partes in absentia strenuè defendebat, adeò, vt Princeps Auriacus, Comes Egmundanus & Hornius à rege per literas eum auocari obnixè peterent, quod cùm initiò rex facere reluctaretur, propter rationes quas illis rescripserat, habito conuentu, eum ita exautorarunt, vt nisi sub prętextu profectionis susceptæ ad matrem senio cõfectam, morboque grauatam, discessisset, de vita periclitaretur sua. Simili prorsus modo fuit antea quoque in Suedia Archiepiscopus Vpsalensis, Gostanus nomine, qui multos à defe-

Anno Christi

ctione reuocans, constituit patriam regi cõseruare. Sed fit cõuentus Procerũ Suediæ rebellantiũ, vbi decernitur quod Episcopus abstineat Vpsalen. Ecclesia, priuatusq; in patria sua viuat, seq; Suediæ rebus in posterum nequaquam immisceat: dicebãt enim eum militarem furorem æmulari, & possessiones ecclesiasticas exturbare: quemadmodũ & hoc proceribus illis Belgij de Granuellano mirum in modum displicebat, quod se Mechliniẽsem feciſſet Archiepiscopum, & alios sub se varijs in locis nouos erexiſſet Episcopatus. Quia verò Archiepiscopatus Vpsalensis non procul ab vrbe Stockenna, quæ regia & emporium est Suediæ, munita arte & natura sitaq; in paludibus instar Venetiarum, inde sortita nomen, quod sita in aquis, fundamenta sint palis stabilita, quam mare ingreditur duobus ramis tam largis aquis, vt naues onerariæ extensis velis & toto onere vehantur. Ideò non inconuenienter cum Archiepiscopatu Mechliniẽsi comparatur, quæ non nisi 4. miliaribus ab vrbe Antwerpiana, post regiam Bruxellensem, à qua itidem 4. tantùm miliaribus distat emporium est Belgij, toto orbe notissimum, vrbi Venetiarum nequaquam posthabendum, ad mare ita situm, vt naues onerariæ quàm commodissimè illic appellere merceſq; è diuersis regionibus aduehere possunt: verùm hæc de duobus Archiepis-

chiepiſcopis ratione ſtudij atq; loci vtriuſq; conuenientibus, hæc brenibus dicta ſint: ſequuntur duo pſeudogubernatores tam in Belgio quàm in Suedia. Anno Christi

De Principe Auriaco, & eius Fratre Ludouico, Comite Naſſouio.

FVerunt præterea rebellantiũ in Belgio capita duo, Ludouicus Comes Naſſou. qui primũ Friſiã armata manu violenter aggreſſus eſt an. 1568. eumq; ſecutus Princeps Auriacus frater cum ſuis equitibus: verùm contra Regis Philippi abſentis gubernatores nihil aliud effecerũt, quàm quod fruſtratis illis, quibus in Belgio vanæ libertatis ſpẽ iniecerunt, non tantùm libertatem, verùm etiam vitam amiſerũt, Ludouicus an. 1574. & frater Princeps Auriacus anno 1584. Perinde vt in Suedia Steno quidam Steur, & Elbertus, de hoc ante diximus, quod perierit rebellium anteſignanus: de Steno autẽ hæc breuibus ſubijcere volui, vt appareat, quàm ſimilis ille fuerit in Suedia, Principi Auriaco in Belgio. Hunc enim Belgæ Renartum vt vocant Brabantæ conſtituerunt, illum Suedi Mareſcalcum noſtri vocant, Galli Coneſtabulum, & Romani Magiſtrum equitum, & gubernatorem elegerunt, qui conuocandis Suediæ cœtibus, & omnia vice Principis gerendi haberet poteſtatem, ſed vterque vita priuatus, renellioni

1568. 1574. 1584.

Anno Christi

lioni finem miserabilem impoſuerunt. Hi ambo apud ſuos in tanta veneratione ſunt habiti, vt etiam parati rebelles coronam eis deferre, ſi ambijſſent. ſed alios pſeudoreges ſubſtituere laborarunt, qui & authoritate & potentia huic oneri ac dignitate maiori prę-eſſe iudicabantur, modò regem vtrinque Hiſpaniarum è Belgio, & Danorum in Suedia legitimum excludere poſſent. Atque ita nolentes cum alijs regnis communem habere, maluerunt proprium ſibi pro libitu eligere regem.

DE PSEVDOREGIBVS TRIbus, vt à Belgis, ita & à Suedis ſibi electis.

QVemadmodum Belgę regi ſuo rebellãtes naturali, Carolum 9. & Henricum 2. eius nominis reges Franciæ, eorumq; tandem fratrem Ducem Alenzonium, non tam protectores quàm Dominos conſtituerunt, ſic & Suedi Carolum quendam Canuti, poſtea Chriſtianum, atque vltimò Goſtanum Erici filium ſibi elegerunt: atque vt Carolus 9. ſe negotio Belgico immiſcere noluit, diligenter perpẽdens, quid olim ſimile tẽtantib. patri Hẽrico 2. atq; auo Franciſco 1. cõtigerit, cũ hoc nomine capti, atq; obſides in Hiſpanijs detẽti fuerunt, ita Carolus quoq; Canutus in memoriã reuocans Alberti Michelburgen.

burgen. patris, & Erici filij diuturnam captiuitatem, in quam propterea inciderãt, quod regnum Suedię ad Olaum regem legitimũ dominum pertinens ambijssent, regno Sueciæ se miscere noluit, maximè cùm Sueuorũ incõstantiam videret, qui post Carolũ Christianum solicitabant, qui Hẽrico tertio regi Christianissimo, quem se vocauit, non incõgruè comparatur, qui licet apertè Belgas fouere ausus non fuerat, veritus, ne potentissimum regem Hispaniarum Philippum contra se irritaret, effecit tamen cum Angla regina, vt frater Alenzonius, Belgij non tantum protector, verùm etiam dominus eorũ Antuerpiæ magnis solennitatibus & sumptibus Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ, & nescio quid nõ à rebellibus factus fuerit, simili modo quo Gostanus quidam Erici filius, (nam & Alenzonius Henrici 2. filius fuit, ad quem non inconueniens fit talis allusio) in Suediæ dominum, contra legitimum regem est electus & Stockennæ, quasi in altera Antuerpia solenni cum pompa fuit pro rege coronatus. Ob insignia enim, scribunt quidam, quæ inuictus ille Princeps Gostanus in patriam contulit, proceres regni, qui adhuc superauerant conuenientes, concordibus suffragijs eum sibi regem eligunt, traduntque regni gubernaculum. Quo facto omnes, scilicet, boni viri & regno bene cupientes gaudio

Anno Christi

Anno Christi

gaudio perfunduntur & pro eius Maiestate, vt diu in columis maneat, vota ad Deum faciunt, vt regi domi perpetua rerum trãquiltas, foris pax & victoria, vtroq; statu saluus principatus sit, etiam rex in omni vita, ità virtutibus omnibus præstet, vt maximorum principum exemplo, & meritò fœlicissimus optimusq́ue fausta acclamatione æternum salutetur. De Alenzonio quales acclamationes fecerunt, quas inscriptiones, quosq́; triumphos egerint, in Leonis Belgici Topographica atque Historica descriptione nostra iam denuò edita latius tractauimus, quò lectorem hinc quoque remittimus. Atque hęc quidem pro secundæ partis Thesauri Principum hac ætate in Europa existentium paralipomenis fortè sufficerẽt, nisi post Anglicas & Belgicas Genealogias, me etiam de Bohemicis dicturum antea promisissem.

DE GENEALOGIA REGVM BOHEMIAE POST OTTOCARVM IN PRAELIO cæsum, anno Imperij Rudolphi sexto.

FVit apud Bohemos Venceslaus Vniocu-lus Primislai regis Bohemiæ filius, qui maior natu sine liberis decedẽs, regnum Othocaro reliquit Marchioni Morauiæ fratri alio nomine Primislao appellato. Idem hic Otho-

Othocarus belli appetens, & magnorũ operũ effector, cui nec animus in reb. arduis, nec consilium defuit, Vlrico eo tẽpore Charinthiorum principatum tenẽti, pecuniã dedit, pro qua Charinthiam illi, Carmolam, Marchiam, Sclauoniam, & portum Naonis tradidit: Veronenſes, exinde Feltrẽſes, Tarniſini, & multi ex foro Iulij, vltimo ſeſe ei ſubmiſerunt. Bellum is Othocarus Hũgaris indixit, commiſſoq; prælio victor ingentem prædã reportauit: Stiriamque prouinciam illis ademit. In Pruſsia ſuperatis Tartaris, vrbẽ condidit, quã Montem Regium, vulgo Kunigſpergum vocãt. Ad Imperium per Principes Electores vocatus, contempſit: palam inter ſuos iactans, pluris Bohemiæ regem, quàm Romanum Imperium eſſe. Anno Chriſti

I. A RVDOLPHO I. IMPER. vſq; ad Rudolphum II. per XI. generationes.

RVdolphus itaq; Imperator ex Auſtriaca ſereniſsima domo eius nominis primus, nõ minus belli quàm domi clarus, miſſis ad Othocarũ legatis, atq; inter alios Burgrauio Norimbergẽſi in Bohemiã, AVSTRIAM, & Carinthiam, cæteraſq; prouincias, tãquã iuris Imp. repetit, quãdo nec Auſtria mulierbre (hoc eſt, vxoris illius Ottocari Margarethæ ſcilicet, quę ſoror erat Friderici ducis

Auſtria-

Anno Christi

Austriacæ sine liberis defuncti vnica fundũ esset, nec Carinthiam, iniussu Cæsaris, Vlricus ille, de quo supra, venundare potuisset. Renuit Othocarus & Imperat. Rudolpho impacato respondit animo, sed interuenientibus amicis, ea lege reconciliati sunt, vt Austria Imperatori cederet, exin datis acceptisque filiabus, affinitas vtrinque iungeretur: prouinciæ, de qubus lis esset, dotales fierent.

Adeptus Austriam Rudolphus, Othocarum regẽ Bohemiæ, in verba sua iurare, more maiorũ exposcit, id superbo regi grauius visum. Exoriuntur nouæ lites, bellum indicitur. Cumque iam duo exercitus ad mille passus alter alteri proximus conuenissent, veritus Othocarus Rudolphi potentiam, iniustamque belli causam animo voluens, legatos mittit, qui se iuraturum dicant, si modò intra tentorium Imperiale honoris sui causa fieri Rudolphus velit.

Accipit conditionem Imperator. Suggestum in tentorio sublime paratur, ibiq; aureum solium eminentiori loco erigitur: Rudolphus diademate & Imperialibus insignijs conspicuus, considentibus Electoribus Imperij, cæteris Baronibus circumstãtibus, aduenientem Regem Othocarum sedès expectat. Ille cum paucis regni sui optimatibus ingressus, conscenso suggesto, ad pedes

Impera-

Imperatoris genua flectit: proinde ex veteri consuetudine, admotis sacrosanctis, iureiurando se adegit. Anno Christi

Interea tentorium arte compositum, à summo vsque deorsum, in quatuor proscissum partes decidit: regemque, vt erat in alto loco ad Imperatoris genua supplex videndũ exercitibus præbuit. Stabant circum armatæ acies, rei exitum spectantes: sed quàm læti Teutones, glorioſum Imperatorẽ ſuum Rudolphum videntes, tam indignabundi Bohemi, quod Rex eorum humiliari magis quàm prælium expectari voluiſſet. Stupefactus ea re Othocarus, ſubticendum in præſentia cẽſuit, petitaque ab Imperatore venia, plenus irarum domum rédijt.

Vbi accerſitis regni proceribus, collectiſque nouis copijs, Rudolpho Imperatori bellum indicit, neque ille certamen detrectat. Conueniunt ambo cum exercitibus, in campis Auſtriæ trans Danubium. Commiſſum eſt atrox prælium, diuque Marte dubio pugnatum, cùm Bohemi multitudine ac robore: Sueui, quibus Rudolphus maximè fidebat, ordine ac arte ſuperiores eſſent. Cecidêre quamplurimi ex vtraque parte, maior tamen ſtrages Bohemorum edita. Ad extremũ relictus à ſuis Othocarus, dum fortiter pugnat, inter conſertiſsimas hoſtium acies occiditur, die Beati Ruffi.

Anno Christi

Ferunt Stirienſes duos domi nobiles, quorum frater ab Othocaro per iniuriam extinctus fuiſſet, eum toto prælio quęſitum, cùm certis indicijs cognouiſſent, in vltionem fraternæ cædis obtruncaſſe, caput eius, permittente Rudolpho in Bohemiam translatum, regio honore ſepultum, anno ab incarnatione Verbi 1278.

ij. IVTHA RVDOLPHI IMperatoris filia Regis Bohemiæ VVenceſlai coniunx.

RElinquit poſt ſe Bohemiæ Rex Othocarus filium VVenceslaum cognomine Sanctum, erga quem Rudolphus Cæſar ſumma clementia ac humanitate vſus eſt, reliquit enim illi Bohemiæ regnum, & filiam ei Iutham in matrimonium dedit. Relatus eſt VVenceslaus hic in Diuorum numerum, & ſacris honoribus colitur. Quo regnante Pragam fermè vniuerſam igne familiari exuſtam, liberalitate ſua Rex, ciuium diligentia atque impenſa accedente ita inſtaurauit, vt felix incendium fuiſſe videretur. Huius VVenceslai ſoror nomine Agnes, Rudolpho nupſit, Imperatoris Rudolphi filio: qui Pragæ moriens, ibi defunctus iacet. Fuit Agnes cordata mulier & ingenio feroci, quæ cùm accepiſſet germanum ſuum VVenceſlaum

laum Iuthæ Austriacæ maritum, contẽtum regno Bohemiæ, post Albertum I. Rudolphi Imperatoris filium, delatum Imperium recusasse: At ego, inquit, si rerum potiar, glebaque vna mihi modò desit: aut quod reliquum est subijciam, aut Imperio excedam. Anno Christi

Ferunt in coronatione VVenceslai, non minus quàm ducenta equitum milia apud Pragam ex regia curia cibos accepisse: peditum verò infinitam multitudinem pastam: Subiecisse & Polonos sibi VVenceslaum, à quibus inuitatus, in ciuitate Gnesne diadema susceperit. Genuit autem VVenceslaus Iuthæ Rudolphi Imperatoris filiæ Albertique Imperatoris sororis maritus filium Vvẽceslaum eiusdem nominis, & duas filias Annam maiorem natu, coniugem Henrici Carinthiæ Ducis, & Elizabetham Iohannis Imperatoris Henrici septimi filij vxorem.

iij. ELIZABETHA VVENceslai primi filia, nupta Iohanni Bohemiæ Regi.

CONTINVAMVS per Elizabetham hanc Rudolphi primi Imperatoris neptem Regum Bohemiæ generationes, vsque ad Rudolphum secundum Imperatorem nostro tempore iam orbi præsidentem, hoc modo: Elizabeth Ioanni Bohemiæ regi 1310.

Anno Christi peperit Carolum: Carolus autem Sigismundum: Sigismundus Elizabetham Alberti 2. eius nominis Imperatoris Austriaci coniugem: Elizabetha aliâ Elizabetham, quæ fuit vxor Casimiri regis Poloniæ, qui genuit Vladislaum non solùm Bohemiæ, verùm etiã Hungariæ regem, qui genuit Annam Ferdinandi Imperatoris coniugem, ex qua natus est Maximilianus Imperator eius nominis 2. Rex Vngariæ atque Bohemiæ, cui successit filius tam in Imperio, quàm etiam in regnis Hungariæ atque Bohemiæ, Rudolphus 2. ad quem paulò latius à prædicta videlicet Elizabetha VVenceslai Sancti descendẽtes, generationes reliquas 8. hoc est IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. explicabimus.

Elizabethæ FRATER *fuit* VVenceslaus iunior, qui licet idẽ nomẽ habuit quod parens, tamen moribus patri longè fuit dispar. Ebrietati etenim, & turpissimę parti corporis dies noctesque indulgens, aliorum vxores illusit, bonaque diripuit, adeò, vt apud Olmutium Moraviæ ciuitatem, dum solus in domo Decani Pontificalis ædis perambulat, tribus vulneribus cõfossus, duodeuiginti natus annos interierit. Ignoratus est necis author, quamuis Conradus Potẽstein eques Thuringus, cruentum gestans pugionem, ex ire regiam visus fuerit. Nam is prius obtruncatus est populari tumultu, quàm crimen confite-

confiteretur. SOROR autem eiusdem Elizabethæ fuit Anna maior natu, quę nupsit Hērico Carinthię Duci, quem fortè eo tempore Pragam venientem, Bohemi regem sibi deligunt. Quod ægrè ferēs Imperator Albertus, repentè coactis copijs Bohemiam ingreditur, Henricum regno deturbat: Rudolphumque filium suum regem constituit. Elizabetha senioris Vvēceslai relicta in matrimonium ei tradita, quò regnum illius solidius esset: post cuius obitum, dissidentes inter se Bohemi, alij Fridericum Rudolphi defuncti fratrem, alij Henricum quem deieceranr petierunt. Vicit Henrici factio. Maritus Elizabethæ, quam dixi, fuit Iohannes Henrici 7. Imperatoris Alberto . Imperatori Austriacę domus sereniſsimę, ſucceſſoris filius, Comes Lutzelburgenſis, cui pater Elizabetham, octo & decem annos natam, clam iuſſam ad ſe venire apud Spirā ciuitatem, quatuor annis minori, natus enim Iohānes 10. Auguſti anno 1296. Elizabeth verò parta 20. Ianuarij anno 1292. matrimonio coniunxit. Pugnatum eſt in Bohemia pluribus locis, cùm alij Bohemorum Iohannem regnare cuperent, alij Henrico, quem antea nominaui, Carinthiæ Duci ſtuderent, qui iam cum tribus Imperatorum filijs, nempe Rudolpho, Friderico, & Alberto illorum patre de regni poſſeſsione contendiſſet. Obſeſſa

Anno Christi 1306.

1292.

Anno Christi

est deniq; Praga regni Bohemiæ caput, diuque oppugnata: cùm Henricus & Marchio Misnenſis haud pigrè mœnia tuerentur. Ad extremum tamen oppidanorum proditione Iohanni tradita, hoſtis in arcem ſe recepit: nec multis poſt diebus, Henricus in Carinthiam profugit. Ex eo tempore, vſque ad Albertum ſecundum Auſtriacæ familiæ clariſsimum Imperatorem, & Bohemiæ regnũ apud Luxemburgẽſes tantum, & Imperium apud eoſdem & Bauariæ Duces viciſsitudine quadam permanſit, donec vtrumq; Bohemiæ atq; Imperij Germanici regnum poſtliminiò rediret ad Auſtriacos clemẽtiſsimos Principes, apud quos etiamnum adhuc feliciter cum Hungariæ regno conquieſcit.

Fridericus Rudolphi regis Bohemię frater quidem, vt Imperator, ſic à quibuſdã etiam Rex Bohemiæ fuit electus, aliorum tamen vota pręualuerunt, nec inter Albertum 1. & Albertum 2. Auſtriacos Imperatores, quiſq; ex ea familia Bohemiæ rex, vel etiam Imperator extitit: quemadmodum nec poſt Albertum 2. alij vel reges Bohemiæ, vel Imperatores, quàm Auſtriaci hucuſque ſucceſſerunt vel electi ſunt. Quod vt clarius oſtendam: Conuenerunt Principes Electores, Moguntinen. Treuiren. & Colonien. Archiepiſcopi: Item Iohannes Bohemiæ Rex, de quo tractamus, Rudolphus Palatinus, & Adolph'

1314.

quem

quem alij Rudolphum quoq; nominãt, Saxo Anno
niæ Dux, & Volmarus Marchio Brandeb. A Christi
Colonienſi Archiep. Palatino, & Saxone ele-
ctus eſt Fridericus Rudolphi 1. Imper. ex Al-
berto filio nepos; & contra hunc Mogũtinus
ac Treuirenſis Epiſcopi, & Bohemiæ Rex de-
legerunt Ludouicum Bauarum, Marchio
Brandeburgenſis VVoldemarus ille, licet
per legatum ex nobilitate virum quendam, ei
quem Archiepiſcopus Colonienſis Henricus
à Viernburg eligeret Friderico ſcilicet Au-
ſtriaco tanquam Imperatori futuro, votum
ſuo nomine in abſentia dandum ſtrictè præ-
ceperit, Legatus tamen idem fortè per alios
ſeductus, Bauaro dedit: id ægerrimè ferens
Marchio, in hunc ita animaduertit, vt tum
demũ culpæ tranſgreſsi mandati ſatisfeciſſe
æſtimaretur, ſi primùm fame quaſi enecatus,
ſellæ ad hoc præparatæ incluſus, in præſentia
aliorũ Aulæ ſuæ familiariũ oppiparè viuen-
tium aſsidens, olfactum tantùm, non autem
guſtum haberet eduliorum, quæ in eum fi-
nem apponebantur varia, vt omnes alij pro
libitu fruerentur, nemo verò illi quicquam
grauiſsima ſub pœna idipſum à Marchio-
ne cæteris indicta, porrigeret, donec mi-
ſerè periret. Hoc verum eſſe, atque in Ar-
chiuis Bonnenſibus reperiri, mihi teſtatus
eſt vir pietate ac doctrina ſingulari præditus

Anno Christi

Dominus Scolasticus Bonnensis Gerardus Alectorius, cui hac in re fidem adhibere nequaquam dubitaui, cùm Fridericus Bonnę Imperij insignia acceperit, æquè atque Ludouicus Aquisgrani: vnde ingentis belli ciuilis occasionem controuersia hæc in eligendo peperit apud Germanos. Archidux Austriæ Fridericus fautores habuit Pōtificem, Franciæ & Vngariæ reges, fratrem Leopoldum, coniunctis Sueuis & Heluetijs, Palatinum, Argentinēses & alios multos tam Principes quàm ciuitates: Ludouicum Bauarum secutus erat Iohannes, de quo supra, Bohemiæ Rex, & Norimbergici castri Comes, vulgò Burggrauius, & plerique principes alij, à quibus Leopoldus Friderici frater impeditus, quò minus amnē traijceret, cumq; suis fratri opem ferre posset, tanta animi indignatione ac furore percitus est, vt seipsum pene interfecturus fuerit ob cæsum à Ludouico fratris exercitum, captumque Fridericum ipsum, nisi sui cohibuissent eum, vtque recederet consuluissent, ne sua sponte se in periculum conijceret. Transacta tandem cō
1330. trouersia, dimissus est Fridericus hac lege, vt Imperio cederet: quodcùm vltrò recepisset, restitutus est à Ludouico in Austriam.

Præter hunc itaq; Fridericum nullus fuit ex eius familia Imperator ab Alberto 1. vsq; ad Albertum 2. sed ad Bohemiæ Genealogiam

logiam reuertamur.

Anno Christi

Elizabetham Barones regni Bohemiæ à rege Iohanne marito subtraxerunt, tanquã Bohemorum inimico, qui Theutones siue Germanos imprimis haberet acceptos, vnde ad arma ventum est, regnumq́; magis calamitatibus affectũ, vix tandẽ cõpositę lites, cæcus effectus, à Rege Franciæ aduersus Anglos in auxiliũ accersitus, cũ lectissima equitũ manu auxiliũ ferens, prælio memorabili, & cruentissimo se immiscuit, in quo cũ multis milibus cæsus interijt, cùm regnasset 35. annis, filiosque tres genuisset, inter quos erat VVenceslaus postea Carolus appellatus, & 4. filias, quarum Anna Ottoni Austriæ Archiduci nuptui tradita est.

iiij. CAROLVS IOHANNIS & Elizabethæ filius.

NOmen huic in Baptismo VVenceslaus fuit, quod in confirmatione à Carolo Francorum Rege mutatum est, apud quem pueritiæ rudimenta peregit. Fuit autem hic Carolus vir magnorum operum, qui regnũ Bohemiæ, tum religionis cultu, tum legum ac bonorum morum disciplina illustrauit. Nam schola liberalium artium ab eo in Praga erecta est, noua ciuitas mœnibus cincta: Palatium regium magnificentissimè exædificatum, monasteria multa fundata, arces

1316.

Anno Christi 1346. constructæ admirabiles: pax toti regno dedita: postea Romanorum Imperator factus, ac Bonnæ Imperij insignibus exornatus, etiam Romæ magnifico apparatu coronatus est. Vissegradum nouis muris ac propugnaculis communiuit, corpus Sancti Viti Pragam detulit. Pontem Multauiæ, qui exundationibus corruerat in Praga restauravit: Ecclesiam Pragensem ad Metropoliticum decus erexit, cùm antea Moguntino præsuli subiecta esset. In summa, Carolus hic Bohemici regni honorem magis, quàm Romani Imperij, quæsiuit, vt ex ijs liquet, quæ de Vvenceslao filio ipsius postea sumus dicturi.

Præter quatuor Sorores, de quibus ante mentionem fecimus, etiam FRATRES duos habuit, Primislaum, & Iohannem, cui Morauiam possidendam concessit: Habuit & filios duos, quorum vnus VVenceslaus Bohemorum & Romanorum Rex extitit: alter Sigismundus, qui à Rege Hungariæ Ludouico in spem regni adoptatus est, ibique tandem coronam adeptus, pugnauit fœliciter contra Turcas, quorum triginta duos regulos securi percussit. Hic tumultu populari captus beneficio linguæ libertatem consecutus, regnum armis recuperauit, in quo fortunam vtramque expertus, inter viros claros Sigismundus enituit, de

quo

quo plura suo loco, posteaquam de VVenceslao, eiusque patre Carolo pauca præmiserò. Carolus VVenceslaum hunc in Imperio sibi successorẽ adhucviuens ordinare conatus est, idq; pecunia. Nam cùm Principes Electores haud facilè ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, pretio comparauit, promissis cuique Electori centum millibus aureis. Quos cùm representare nõ posset, publica illis Romanę Reipublicæ vectigalia obligauit, vnde Romana potestas initiò per Imperatorem Carolum Magnum aucta, per hunc Carolum ad nihilum ita est redacta, vt posthac extollere caput Imp. non potuerit, cũ Principes Electores omnia sibi retinerent, Imperatoremq; iureiurando adigerent, ne pignora reuocaret. In cæteris Carolo V. Imperatori, Carolus 4. hic non inconuenienter fortè comparãdus, si VVenceslaum, cuius temporibus apud Pragen. publicè Iohannes Husz cõtra Indulgentias Pontificias docere cœpit, conferas cum Saxone sub quo Lutherus idẽ facere conatus est: Si præterea Sigism. 1. conferas cũ Ferdinãdo 1. eius nominis: nã vt nostro tẽpore Ferdinandus Trid. procurauit Conc. quo Lutherana hæresis sublata est: sic tẽpore Sigismun. Husi doctrina in Cõstan. Conc. in hunc vsq; diem condemnata manet: tũ fuerunt Adamitæ, Orebitæ, ac Taboritæ, nũc Anabaptistæ, Calui-

Anno Christi

1414.

Anno Christi

Caluiniſtæ, & Confeſsioniſtę vtrinq; triplices ſectæ Romanæ, Catholicæ atq; Apoſtolicæ Eccleſiæ contrariæ. Captus tũ fuit Vvẽceslaus, voluptatum ſequax, labores refugiens, & vini, quàm Reipublicæ ſalutis curioſior: Captus & noſtro quoq; tẽpore fuit Saxo, ille in Auſtriam, hic verò in Belgium abductus, vterque tandem liberatus, ſed priſtina dignitate & VVenceslaus priuatus eſt, & Saxo, quorum hic Lutheri dogma promouit, ille perfidam Huſsi ſectam non extinxit. Sectarij etenim in Bohemia poſtquam Eccleſias quamplurimas deiecerunt, monaſteria incenderunt, caſtellum petentes octauo ferè miliari ab oppido, quod Thabor appellatur, triginta circiter milia hominum conuenêre, atque ibi trecentas menſas in patentibus campis erexere, ex quibus populo Sacramentum calicis miniſtrarunt. Terruit ea congregatio VVenceslaum, verẽtem, ne tumultu facto, in ſe arma conuerterent. Quare Corauda quidam cognomento presbyter, ſingulari facundia, & in plebibus auditus, populum de Republica admonens, inter cętera ſic de VVenceslao locutus eſt.

Viri fratres, quanquam ebrioſum & inertem ſortiti regem fuimus, ſi tamen cæteros expẽdere Principes pergamus, nemo eſt, quẽ noſtro Regi anteferamus: quem rectè omnium regum ſpecimẽ dixerim: quietum, benignum,

nignum, nostri amantem. Nam quis eo regnante nos lacessere audet? licet nos ex voto viuere nostro. Si non est eadem sibi quæ nobis de religione sententia: ritum nostrũ neq; ipse perturbat, neque alios perturbare finit, eius desidia, nostra salus, nostra quies est. Quod cùm ab exploratoribus VVenceslaus cognouisset, quieto animo fuit, & factus ex tepido frigidus, Coraudam inter amicos habuit hæreticum, postea VVenceslaus paralysi correptus, vita excesit. Anno Christi

Consueuerunt corpora regum apud Bohemos priusquam sepelirẽtur, octo diebus, aromatibus condita, per sacraria vrbis circũ ferri plangique, & sequentibus amicis ac Baronibus cõclamari. Hoc in VVenceslao neglectum. Cui succesit in regno Sigismũdus filius Caroli 4.

V. SIGISMVNDVS.

QVintus in ordine Generationum, quos à Rudolpho 1. deducimus vsq; ad Rudolphum 2. fuit Sigismundus, qui post obitum fratris VVenceslai conuocatis Slesiæ ducibus, ingressus Bohemiam, Grecium, exinde Cuthnam infesto exercitu petijt, cui Ceucho arcem Pragensem reddit: vbi quatuor milia, quivrbem lacessant, collocat. Pragenses Ioannem Zisca accersunt, nobilem genere & loco, cui Trosnouia nomen, censu tenui,

Anno Christi tenui, in curia VVenceslai à puero enutritũ, & bellicis exercitatum, vno carentem oculo, quem ſtrenuè pugnando iampridem amiſerat, infectum Huſſitarum veneno, & rapinarum auidum, qui cum Thaboritis nihil moratus, vrbem Pragam accepit in poteſtatem. His primum ſtudium fuit arcem Sigiſmundo traditam oppugnare.

Locus ipſe natura munitus, non aliter quàm vinci fame poſſe apparebat. Clauſi aditus, ne quid commeatus importaretur. Sigiſmundus fumo iter aperuit, obſeſſisque neceſſaria præbuit, nec diu poſtea ciuitatem ipſam, accerſitis ex Imperio (cui etiam præerat) auxilijs, obſidere decreuit. Fuerunt in caſtris eius Duces & Marchiones, atque inter cæteros gener Sigiſmundi Imperatoris Albertus Auſtriæ Princeps (de quo paulo poſt dicturi ſumus) oppugnata eſt ciuitas ſex hebdomadibus. Ipſe verò Sigiſmundus in æde Metropolica, quæ in arce ſita eſt, regni coronã accepit: Conradus natione VVeſtphalus Archiepiſcopus, qui poſtea in hæreſim prolapſus eſt, ſacris ſolemnibus rite peractis diadema ei maxima populi congratulatione impoſuit.

Per idem tempus vulgauerant hæretici ipſa die Penthecoſtes ignem de cælo caſurũ, qui vrbes Bohemicas omnes exureret. Ob quam rem magna ex parte mœnia relicta,

die

die prædicta, cùm imbres tota fermè Bohemia vehementes fuissent, religio in risum conuersa, multis hæreticis opiniones detraxit. Anno Christi

Fertur etiam à nostri temporis hæreticis Hussus hæresiarcha antequam Vulcano cõmitteretur, ceu præsagiens, vatidico spiritu secuturam inclinationem regni Pontificij, dixisse, nasciturũ esse ex suis cineribus olorem, quem nõ ita exusturi sint, sicut anserem torrerent, hoc est, Hussum, qui lingua Bohemica significat anserem. Scribunt præterea noui huius temporis Husitæ, ex eodem has voces exauditas esse. Post annos centum vos D E O & mihi respondebitis: quæ verba Bohemi in ambitu monetæ cuiusdam signatæ imagine Husi expressissent: non vidi monetam, neque euentum vaticinium comprobasse: nisi fortè Concilium Tridentinum nostro tempore celebratum, cui & ego interfui, cum Concilio Constantiensi conferre voluit, atque dicere, quemadmodum ante centum annos Iohannes Husz & eius assecla Hieronymus Pragensis Constantiæ tanquam hæretici sunt combusti: sic per Decreta Cõcilij Tridẽtini Martinum Lutherum & eius fidum Achatẽ Melanchtonẽ meritò propter hæresim esse comburendos, si adhuc viuerẽt aliâs non video quam fatalem mutationem 1415.

Catho-

Anno Christi

Catholicæ atque Apostolicæ Romanę Ecclesiæ Husi(si vera sit)attulerit prædictio.

Legimus quidem Iohannem Ziscam Hæreticorum Husitarum tum temporis in armis strenuissimum ac victoriosissimum fuisse,sed cerne illius exitum:Nam diuina pietas pestem hancauertens,& tantum malum è medio Christianorum eripiens, effecit,vt inter eundum apud castellum Priscouiam, peste tactus,expirauerit:monstrum detestabile,crudele,horrendum importunũ,quod postquam manus humana conficere nõ valuit, digitus Dei extinxit: vidi sepulturam ipsius in oppido Chasla, dum cum Ferdinãdo Imperatore laudatissimæ memoriæ,Domino meo illustriss. ex Austria proficiscere mur in Bohemiam,licet illũ antequam è medio tolleretur interrogatum, quonam loco mortuus sepeliri vellet,ferant,iussisse cadaueri suo pellem adimi, carnes volucribus ac feris obiectari,ex pelle timpanum fieri,eoq; duce bella geri, arrepturam fugam hostes, quamprimum eius timpani sonitum audirent.

Inchoatur & Basilienſe concilium, conuocantur Bohemi ad ipsum, vt fidei suæ rationem redderent per legatos, veniunt:Iulianus autem etiam Cardinalis eosdem hospitaliter exceptos, ac postridie in concione accersitos benignè allocutus, & ad ea quæ

pacis

pacis & vnionis essent, cohortatus est. Anno Christi

IVLIANI CARDINALIS
Oratio ad Bohemos.

ECclesiam Christi Saluatoris Sponsam omnium fidelium matrẽ esse dictitãs, claues ligandi atque soluendi habere, cãdidam sine ruga, sine macula, in his quæ necessaria ad vitam æternam creduntur errare nõ posse. Qui eam contempserit, alienum, prophanum, & quasi Ethnicum, Publicanumque, censendum: eam nusquam melius, quàm in generali Concilio repręsentari. Statuta Conciliorum Ecclesiæ planta existimari, Concilijs non minus quàm Euangelijs credi oportere. quorum authoritate & ipsa sacrarum literarum eloquia præcepta sunt. Bohemos, qui se filios Ecclesiæ dicerent, voces matris audire debere, quæ filiam obliuiſci non potest: eos iam pridem seorsim à matre vixisse, neque id nouum esse. Complures aliquãdo fuisse, qui matrem reliquere: redijsse tamen, qui salutẽ optauêre: Regnante diluuio omnes perijsse, qui extra arcam remãsêre: domi nicum agnum in vnis ædibus comedendum: extra Ecclesiam non inueniri salutem. Hanc esse concluſum hortum, ſignatumque fontem, cuius aquam ſi quis biberit, non ſitiet in æternum. Ex re ſua ſapuisse Bohemos, qui eius aquæ fluenta apud Conciliũ requi-

Anno Christi

sierint, matremque tandem audire statuerint. Facessere iam odia debere, ponēda esse arma, omnemque belli materiam procul abijciendam, audituros benignè patres, quæcunque Bohemi pro sua causa dicere velint, tantùm parato animo sint, ne bene consulta sanctæ synodi consilia respuant, quibus non Bohemos tantùm, sed omnes Christi fideles conquiescere oportet, si modò æternæ vitæ participes esse velint.

RESPONSIO LEGATORVM Bohemiæ.

BOhemi pauca respondere, quibus par facundia non esset, se neque concilia, neque Ecclesiam contempsisse: aduersus inauditos sententiam Constantiæ latam, nihil de religione Christiana detrahere, incorruptā apud se patrum autoritatem manere, quodcunq; Bohemi asserant, sacris literis atque Euangelio confirmari: venisse vt innocētiam suam vniuersali Ecclesiæ patefaciant, petereq; publicam audientiam, in qua laici quoque adsint. Quatuor tātùm esse, in quibus à Rom. Ecclesia dissentirēt articulos. 1. De cómunione diuinæ Eucharistiæ: quam sub specie panis & vini sumendam his qui salui esse velint, necessariò affirmabant. 2. De ciuili dominio: quod clericis interdictum diuina lege dicebant. 3. De prædicatione verbi

verbi Dei: quam liberam permissamque passim omnibus arbitrabantur. 4. De publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putabant, etiam maioris mali vitãdi gratia. Nam quamuis plurima sint, quæ Husitarum perfidia aduersus Catholicæ fidei veritatem astruere ac prædicare non dubitat, coram cõcilio tamen, doctorumq; patrum cœtu hæc tueri tantummodò posse arbitrati sunt: eaq; regni nomine dicta. Anno Christi

Selegerunt Bohemi quatuor Magistros, qui suos articulos ex diuina lege sumptos ostenderent: qui eos confutarent, ex cœtu patrum totidem assumpti viri præstantes, & ad dicendum parati. Disputatum est quinquaginta diebus, multa in vtramque partem adducta. Postremò cùm victa Husitarum perfidia vinci nollet, ad tractatus ventum: tẽtatum, si fortasse amicè trahi possent. Missi & Oratores ex Concilio in Bohemiam, viri doctissimi, & qui gentis versutiã nossent, multa cum Bohemis agitata, nũc pacis spes ficta, nunc belli metus. Sednihil effici poterat, donec Procopium ad mortem vsq; Catholici persequerentur, alioq; illi adhærentes in Bohemia hereticos debellarẽt, quorũ Catholicorũ antesignanus tũ erat Mainardus nomine. Hic.n. concilio procerũ accersito, perdere pessimam plebẽ statuit, quæ nutrita in armis omnẽ ætatem in castris egerat,

Anno Christi

nec sub legibus victura crederetur, rapinis, cędibus atq; adulterijs assueta. Qua stãte pacata Bohemia stare nõ posset. Sed veritus, ne simul innocẽtes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam venerant: voce præconis edici iubet, nondum bellum peractum esse, fugisse Coaphconem (qui hæreticorum equitatum ductabat) Coloniam expugnari oportere, vicinasque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas.

Ad eam rem necessarios, qui sub Procopijs maiori scilicet & minori interfectis, militassent, viros fortes & in bello exercitatos: decretum eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes qui stipẽdia facere vellent, in horrea sese proxima reciperent, cauerent, ne rudes imperitosque belli, secum admitterent, illos sua rura, suasque lares repetere posse. Introierunt horrea, (quę apud Bohemos in villis ex maceria culmo tecta, frequentia sunt) pleraq; Thaboritarum & Orphanorum milia, homines nigri, ad solem & ventum indurati, aspectu tetri atque horribiles, & qui circa fumum in castris vixissent, aquilinis oculis, impexo crine, promissa barba, corporibus proceris, mẽbris hispidis, cute adeò dura, vt ferrum quasi lorica repulsura videretur. Clausa sunt cõfestim ostia, & ignis immissus horreis, quo fex illa & colluuies hominũ, ignominiosum agmen,

agmen, post multa quæ patrauerunt scelera, exusta sunt, contemptæ religionis pœnas dedit, ad exemplum eorum, quos olim apud Iudæos Rex Hieu: & nostra hac ætate Dux Guisius in Gallię oppido Vassy è medio sustulit. His peractis, Sigismundus Romæ ab Eugenio Pontifice coronatus Imperator, post multas dissensiones cum pace & gaudio à Bohemis suscipitur, nonaque Septembris anno sexto & tricesimo supra millesimum & quadringentesimum ab ortu Saluatoris Domini Pragam venit, extremis honoribus exceptus est: Barones ac ciuitates in eius verba iurarunt, & magistratus suos quos ipse constituit acceperunt, certantes inter se, quis alter altero suo regi obsequentior videretur. Anno Christi 1436.

Philibertus Episcopus Constantiensis, & collegæ sui ex Basilea missi, Ecclesiasticos introducere ritus, sacerdotes instituere, & Missarum solennibus vulgaria verba, cantilenasque detrahere, Sanctorum imagines reducere, aquam benedictam in ædibus sacris reponere, baptismatis fontes sacrare, altaria ornare, spurcitias omnes abolere. Idem procul dubio etiam nostra tandem fiet ætate, peccatis cessantibus, quæ merentur, vt Deus hæreticis ad tępus in Catholicos sæuire permittat malè viuentes Deiq; præcepta transgredientes.

Sigismundus Imperator duobus ab arce

Anno Christi



atq; oppido Schralental, distantem ciuitatem Snonimam, vulgò Znaym ingreditur: veniens ex Bohemia in Morauiam, vbi vocatis in cubiculum Hungariæ & Bohemiæ primoribus, aduentasse resolutionem sui corporis, nec iam amplius se viuere posse affirmat: iturum se patrum viam. Cæterùm priusquam oculos claudat, de salubri statu regnorum suorum velle cum eis agere. ALBERTVM Austriæ Archiducem, generum suum esse, & virtute præstantem, & generis nobilitate sublimem, eum se non minus amare quàm filium, successorem itaque suum nominare, rogare supremam voluntatem suam exequantur, beatùm id regnum futurum, cui Albertus imperauerit. Exinde legatos nominat, qui se mortuo Bohemiam petentes, in conuentu procerum testamentum suum patefaciant. Sigismúdus supremis suis ordinatis, inter amicorum manus defecit, relicta vnica filia Elizabetha Alberti 2. Austriaci Imperatoris coniuge.

vj. ELIZABETH SIGISMVNdi Imperatoris filia.

ELizabetham, quę in ordine generationú vj. est, coniugem duxit Albertus Archidux Austriæ, cuius Abauus Albertus 1. eius nominis Imperat. de quo supra: Proauus Albertus 2. Auus Albertus 3. Pater Albertus quartus,

quartus,& ipse filius in recta linea descendēs Albertus quintus,sed Imperator eius nominis secundus. Hunc Albertum Barones,qui aderant ex Hungaria & Bohemia, concordibus animis regem salutauêre. Ipse missis in Bohemiam, suis & Sigismundi legatis, versus Posonum, vulgò Presburg in Hungariam iter flexit. Legati in Bohemiam profecti, vulgato Sigismundi testamento, Albertum vicinum, potentem, nobilem, virtute præstantem, Bohemis amicum, regem assumi petunt. Ioannis, Caroli, VVenceslai, & ipsius Sigismundi erga regnum merita commemorant. Natam ex eorum sanguine Elizabeth,non esse paterna hæreditate priuandam. Inter Bohemiæ reges & Austriæ Principes fœdus extare, procerum consensu & Imperiali autoritate formatum, vt defi cientibus altera domo masculis hæredibus, altera regnum accipiat. Defeciſſe masculos in Bohemia, regiæ stirpis successorem ex Austria vocandum. Neque alium regno idoneum viderent, quàm Albertum,qui & vxoris & suo iure,& soceri iudicio præferendus sit. Futurum eum regem quem Bohemi ex cœlo missum putent: Hungari quem cupidè regem acceperūt, Bohemis haud aspernandum. Flectitur his Bohemorum conuentus. Albertus pridie Nonas Maias rex designatur.

Anno Christi

18. Decem. 1437.

Anno Christi

Inter hæc & Electores Imperij apud Frãcofordiam conuenientes, rem Romanam Alberto commendant. At illi acceptare Imperium iniussu Baronum Hungariæ, haudquaquam licebat: id enim eis promiserat, cùm se regem accepêre. Vocati primores regni negabant ex iussu esse Hungariæ Regi, Teutonicis cęterisque gentibus imperare, dum Sigismundus Romanæ reï consulturus, Italiã, Germaniam, cęteraſque prouincias peragraret, Hungariam Turcarũ direptioni patuisse. Multa in vtranque partem dicta. Postremò victi precibus Friderici Archiducis Austriæ, cui Abauus idem Albertus 1. qui huius Alberti 2. Imperatoris: proauus etiam idem Albertus in recta linea generationis secundus. sed Auus fuit Leopoldus, huius Friderici, non autem Albertus 3. de quo supra dixi. & Pater Ernestus, filius antè huius fuit Fridericus, cuius inquam tunc adolescentis precibus victi, assensum dedêre: Imperium summa Germanorum congratulatione ab Alberto hoc 2. susceptum.

Fauebant tum Henricus Ptarsco Sterenbergius, Georgius Poggiebracius à Constat, & alij plerique Barones Bohemi Casimiro regis Poloniæ fratri ę 3. annos nato, vt eum in regem suum vocarent & eligerent. Ad quem regem Poloniæ nomine gẽtis Bohemicæ missi fuerunt Legati, Iohannes Rabenstei-

benſteinius,&Iohannes Plawius,oratum,ne fratrem turbare Bohemię regnum patiatur, meminerit inter Bohemos ac Polonos veteris amicitiæ. Albertum ex Sigiſmundi teſtamento,& prouincialium decreto, regem eſſe:non potuiſſe paucos, qui Caſimirum vocauere,ius regni ad alterum trãsferre. Si pergat alienum regnum fratri parare, caueat ne de ſuo certare cogatur. Polonus ad ea: Bohemos ſibi amicos eſſe fatetur, cupere beneuolentiam perpetuò ſtare,ac fratri, quem primarij Barones regem vocauerint, ius auferre non poſſe. Polonis ac Bohemis vnam eſſe linguam, & vnam vtrique genti originem: cum Teutonicis nihil eſſe Bohemis commune: Nihil prouincialibus incommodius quã ſui regis vocem non intelligere,atque in omni loco interpretibus egere. Regnum ſibi ſuum ſatis tutum fidumq́ue eſſe,neq; ſe externam vim vllam timere. Proinde orare, vt fratrem potius recipiant,quàm ipſi ab eo recipiantur: donatoſq́ue pretioſis pellibus, vt mos eſt gentis, oratores dimiſit,ſueq́; factionis Bohemis militẽ miſit auxiliarẽ,ita vt Polonis 14.milia eſſent, Alberto autem 30.milia,quibus quadrato agmine in conſpectum hoſtis aduolat. Quare conſternati Poloni,relictis caſtris,exhauſti argento,amiſsis equis, pedibus in patriam abiere, vnde venerant. Georgius Pogiebracius per idem tempus in Anno Chriſti

Anno Christi

alam quandam Alberti equitum fortè incidens, commisso prælio hostem prostrauit, atque hinc primùm homini nomen datum: Interea Comes Vlricus Ciliæ frater Barbaræ matris Elizabethæ, quæ Alberto nupserat, inter Barones de vendicando sibi regno Bohemiæ agere cœpit. Albertus autem cognito eius studio, properatim stipendia subtraxit. Ille, materia adempta, qua Bohemorum animos sibi conciliabat, ex prouincia discessit, nec vltra reuersus est: regni cura Mainardo & Vlrico Rosensi commissa. Albertus, qui per Morauiam ex Bohemia in Austriã redierat, Budam proficiscitur, vnde nõ expectatis auxilijs aduersus Turcas exercitũ ducit, qui cũ abijssent, dimisso exercitu Budã reuersus est. Sed insolito feruẽtis Augusti calore vexatus, dũ peponibus nimiũ oblectatur, in vẽtris solutionẽ incidit: sentiensq; periculũ, moriturus in patria Viennã repetere statuit. Ingressus, cũ iam Strigoniũ præterijsset, in villa quæ longa dicitur, condito testamento, 6. Calend. Nouẽb. decessit, Princeps liberalitate ac fortitudine clarus: Hic Albertus 2. meritò Maximiliano 2. de quo postea dicturi sumus, sub generatione X. comparatur, tum quod vno anno trium regnorum coronas vterq; suis temporibus acceperint, tum etiam quod Alberti prædecessores duo Imp. Carolus 4. & Sigismũdus 1. cũ Maximi-

1439.

liani

liani prædecessoribus Carolo V. & Ferdinã- Anno
do I. rectè supra cõparauimus, ob rationes, Christi
quas antea allegauimus, nunc etiã pluribus
comprobare possemus, nisi breuitatis studio
ad Elizabethã Elizabethæ atq; Alberti filiã,
à generatione VI. descendẽdum arbitrarer,
ad generationem in recta linea septimam.

vij. ELIZABETH ALBERTI 2. Imperatoris filia.

SEptima generatio continuatur per Elizabetham Alberti 2. Imperatoris filiam, non autem per Ladislaum, qui post mortem patris posthumus natus est anno 1440. mor 1440.
tuus autem sine hærede anno ætatis suæ decimo octauo: neque etiam per Annam huius Ladislai sororem, quæ Guilielmo Saxoniæ Duci nupserat, sed per Elizabetham hanc, quæ coniunx fuit Casimiri regis Poloniæ, qui genuit Vladislaum, Regem Hungariæ atque Bohemiæ, patrem Annæ, quam Ferdinandus Imperator vxorem duxit, à quo postea, ad Maximilianum secundum, patrem Rudolphi secundi peruenietes, XI. generationes à Rudolpho primo vsq; ad Rudolphum 2. absoluemus, quoad successionem in regno Bohemiæ.

DE

Anno Christi

DE LADISLAO ALBERTI Imperatoris filio.

REgina Elizabetha Alberti secundi relicta iam filium ex eodem Alberto pe-
8. Calend. Martij. pererat 8. Calend. Martij Ladislaum nominе: atque Hungarorumei coronam, Beati Stephani (quam secum Buda ex Hungaria transportauerat in Austriam imposuerat. Mittuntur ad eum legati, qui dicant, ad eligendum regem diem statutam, si quid iuris in regno Bohemiæ ad se spectare confidat, oratores mittat, qui rem suam agant. Regina natum ex Alberto filium in cunabulis ostendit, rogat ne paterna hæreditate pupillū exuant: Tempus mittendi legatos arctum esse: neque enim amplius quàm dies [illegible] supererant: mittebantur interea tamen legati ab Regina: fit frequens cõuentus. Intromissi oratores, proceres rogant.

Sigismundi & Alberti suorum regum meminerint, nepotem filiumque ne respuant: contra ius gentium paternam hæreditatem puero ne adimant. Fœdera cum Austra libus percussa ne violent: pupilli atq; orpha ni misereantur. Respondent inter cætera Fridericum Austriæ Archiducem, iam Romanorum regem electum Bohemis indulsisse, vt quem vellēt regem sibi asciren t. Albertus itaque Bauariæ Dux maiore procerum voto

voto Rex Bohemiæ declaratur, qui apud VVenceslaum quondam enutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittuntur ad hunc primores regni legatos, quibus amplè & nobile regnum offerentibus gratias egit: qui se vnum ex omnibus elegissent, cui parere vellent, dignumque tanto Imperio iudicassent. Multa se idcircò debere Bohemis, neque id vnquam beneficij obliuioni daturum: At cum Regis Alberti soboles extet, indecorum esse cum alterius iniuria regnum quærere: paternam hæreditatem nulli auferendam, qui pupillos suo iure dispolient, dijs atq; hominibus inuisos, pœnas aliquando patrati sceleris dare, cognouisse non vano rumore fœdus antiquum inter Bohemos & Austriales extare, deficiente masculâ sobole, Principes ne foras assumant, fidem seruare pulchrum; ne cui temerè noceatur, cauendum. Scelestam execrabilemque vocem illorum, qui regnandi causa ius violandum astruunt. Atque ita Albertus Bauarus ea virtute atque animi moderatione vsus est, quæ postquâ reges esse cœpere, rarissima semper fuit. Anno Christi

Bohemi ab Alberto repulsi, iterum conuenientes, legatos ad Cæsarem Fridericum mittunt: petentes tutorio nomine vti regnũ accipiat. Is in Belgium se iturum dicit, coronæ suscipiẽdę gratia: cùm redierit de re ipsa

transf-

Anno Christi

transacturum. Reuersum potentissimi ex Bohemia proceres adeunt: inter quos Ptarsco seorsim Fridericum alloquitur, regem vt seipsum faciat hortatur: facilè id futurum, si tutelam pupilli reijciat. Nam cùm cęteri desint, Bohemos suopte ingenio regnum sibi oblaturos: cui ex fœdere tanquam seniori Austriæ Principi debeatur. Negauit Fridericus orphano, cuius tutelam gereret, hæreditatem se quoquo pacto inuasurum. Suasit autem Imperator ipsi per se prouinciam regerent, donec Ladislaus pupillus adolesceret, donatosq; oratores à se dimisit: domum reuersis gubernatores eligere placuit, inter quos Ptarsco & Mainardus priores habiti: Ptarsco moritur, defuncto Georgius Pogiebracius succedit. Moritur in carcere Mainardus. Postea missi ad Cæsarẽ oratores, peterẽt rex Ladislaus ab Imp. in regnũ Bohemię mittatur, nihil impetrauere, pupillaris ætas excusationẽ prębuit. Hungari quoq;, qui mortuo Alberto regẽ Vladislaũ ex Polonia vocauerũt, qui cõtra Turcas in pugna obtruncatus est: hinc factũ est, vt Ladislaus in conuentu ciuitatũ, procerumq; rex appellatus, missa etiã legatione ad Friderieũ, idẽ Ladislaus in Hungariam mitteretur postulatur. Respondet Imperator, puerum adhuc egere tutore, nullius tutelam salubriorem ei esse, quàm Friderici Imperatoris, & proximi cõsangui-

sanguinei: expectarent ætatem regno idoneam: interea per se regnum administrarēt. Iohānes Huniades infestis copijs Austriam ingressus, quāuis ferro atq; igne agros vastauerit, regem tamen coronamque, & quæ repetebat in Vngaria castella, obtinere non potuit. Anno Christi

Australes etiam cùm Fridericus Imperialis coronæ suscipiendæ gratia Italiā petere statuisset, Imperatorē fatigauere, Ladislaum reposcentes, quib. etiā, vt antea Bohemis atq; Vngaris postulata sunt negata. Reclamantibus.n. illis, assumpto secū Ladislao rege, Italiam ingressus est Fridericus, augustalē coronam à Nicolao V. Pontifice Maximo Romæ accepit. Interea Australes sumptis armis, præsides prouinciæ à Friderico institutos vi pellunt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt, summam rerum Vlrico EYZINGERO committunt, Vlricum quoque Ciliæ Comitem in societatem accipiunt: reuersum Imperatorem missis legatis, aut Regem Ladislaum tradere, aut bellum expectare iubent. Postulatis non tam reiectis quàm suspensis, impatientes magis moræ quàm belli, infestis signis nouam ciuitatem petunt: Australes circiter 12. millia militum expeditos in armis habuere: committitur atrox bellum ante nouam ciuitatem. Tandem interuentu Caroli Marchionis Baden-

Anno Christi

Badensis, Sigismundique Saltzburgensis Archiepiscopi Imperator Fridericus è manu sua dedit. Ladislaus quamuis Rex appellaretur, alieno tamẽ arbitrio ductus, in regnis suis Tronuphiratum deduxit. Iohannes Huniades Hungariam rexit, qui obijt anno 1456. 26. Octobris: Georgius Poggiebratius Bohemiam, qui obijt anno 1471. 22. Martij: & Vlricus Comes Ciliæ Austriam, qui obijt anno 1451. Hic dũ viueret, multa promisit Friderico Imper. quę mox barbara fide negauit: inter cætera conuentum erat, ad 3. Idus Nouẽbris conuentum Viennæ habere, in quo vocati vtriusque partis consanguinei, Bohemi quoque atque Hungari, de tutela regis nondum puberis iudicarent, interea Ladislaum in potestate Comitis Ciliæ extra Viennam degere, nihil prius ad ministrare, quàm cõsilij decretum fieret. Verùm Ciliæ Comes, non expectato tempore præstituto, regem Ladislaum in vrbem Viennæ introducit. Cuncta ex arbitrio Comitis gerebãtur. Oratores Imperatoris, inter quos & AEneas Syluius, postea summus Pontifex fuit, sed nihil efficere potuerunt. Ipse enim Comes pro rege Ladislao verbum facere ac respondere: qui neque leges neque pacta victorem obligare posse aiebat. Fridericum & iure simul & bello excidisse: armatis ac fortibus iure fauere: verùm hanc insolentiã

Comitis

Comitis vltus Vlricus Eyzingerus, Comitē Ciliæ Vienna eiecit, & administratione sibi vsurpata priuauit. Hic enim cùm iter in Bohemiam Regi necessarium ostenderet, quia pecunia sit opus, Australibus exponit, Principi suo vt subueniāt hortatur, neque inopē mendicantique similem ad coronam suscipiendam ire permittant. Conuentus deliberandi copiam petit. Anno Christi

QVA RATIONE COMITEM Ciliæ Eyzingerus in exilium eiecerit.

Ibi Eyzingerus, quid agimus, inquit, viri Australes, sempérne Cilienſis mancipia erimus? Imperatoris iugum excussimus, vt Comiti seruiremus? Moderatius certè illius regnum fuit, tolerabilior dominatio. Ille in Austria natus, nostrorum Principū sanguis erat: & si verum fateri libet, nostri domini dominus. Quia tamen ex rē sua magis quàm Principis nostri prouinciam rexerit, arma sumpsimus, præfectos eius eiecimus, regem nostrum vindicauimus. Hic ille nostra demum ętate principatus honore donatus, nos omnes pro seruis habet. Cui nostrū de Rep. cōsilium creditur? Iniussu nostro rex in Vngariam ductus est: superis gratia, qui miserunt incolumem. Nunc nescientibus nobis promissus Bohemis: Hungarica Bohemicaque ne-

Anno Christi

que negotia solus Comes pro libidine sua ducit. Neq; contẽtus duorum regnorum gubernatores vectigales sibi feciſſe, Auſtriam solus exhaurit. Nam quota portio eſt, quam regius sumptus accepit? Quicquid reliqui eſt Comiti cedit. Maior ei quã regi familia seruit. Taceo concubinã inſtar reginæ cultam: cuius virũ conciuem veſtrum, ô Viennẽſes, interfecit. Plena prędonibus & meretricibus domus eius: inter has regias opes effundit, Magiſtratus, prędecturas, ſacerdotia vendit: vbi non ſufficiunt publica furta, ad priuatas facultates manus admouet.

Quicquid olim peccauêre opulenti, hodie plectitur: nulla vetuſtas impunitatẽ criminis habet. Neq; tuta innocentia eſt, inconuicta puniuntur ſcelera, & offendiſſe Maieſtatem conuincitur, quiſquis diues habetur. Nemo ſuæ ſubſtantiæ certus dominus. Equi, ſerui, liberi, coniuges veſtræ prolibidine Comitis auferuntur.

Quibus in Bohemiam pergat pecunijs, fateor non iniqua poſtulatio eſt, ſi fraus abſit. Cautiorẽ me Comitis artes ac verſutiæ reddũt. Si hæc pecunia non regi quæritur, nouũ aliquod bellum, nouum argentum pariet. Noſtris alitur malis ſua quies: pax eius noſtrum bellum eſt: Eum ſecurum facit noſtra ſecuritas: pudet me patientiæ noſtræ, qui ſi viri

si viri essemus, facilè opprobrium hoc è nostris oculis eijceremus. Sed fuit hactenus pro hibita cõuentio: nunc simul cõgregatis reipublicæ licet consulere. Anno Christi

Resumite alacres spiritus, amicos quisque vestros commonitos reddite, ad Imperium præsto cum armis adsint. Accingimini mecum: aut vobis libertatem, aut mihi mortem parabo. Illud imprimis mihi ex vsu videtur, multitudo ne regi postulata deneget: paucos ex primoribus eligat, qui regem adeuntes, semotis arbitris prouinciæ necessitates exponant. Non dubium, quin vobis mihique id muneris demãdetur. Ego si regis alloquendi facultas detur, exclusurum me Comitem nequaquam ambigo.

Placet Eyzingeri consilium, dant inuicem dextras, iureiurando se astringunt, alterum alteri non defuturum, donec Comes eijciatur. In conuentu prouincialium, quæ volunt, ex sententia ordinant. Nec morati, regem adeuntes, daturos argentum prouinciales offerunt: esse tamen, quæ soli sibi mandata perferant, remp. Austriæ concernentia. Iussis exire cæteris, soli apud regẽ manent.

Ibi Eyzingerus Regem Australi sanguine natum dicit: nullos sibi fideliores Austra libus esse. Imperium eius, illis naturale,

Anno Christi

cæteris violentum. Consilium ab his recipi, oportere, qui amant. Molestè ferre Australes Principis sui negotia non bene administrari, expilari prouinciam, vexari subditos, vicinorum odia prouocari. Comitem ditare suos regnũ ad inopiam redigere. Ladislaum regem vocari, Comitem regnare, bellũ ab eo cum Imperatore nutriri. Gubernatorem autem Hungariæ annuo 4. & 20. millia nummûm Regi pendere, Comiti duodecim millia. Idipsum reliquos prouinciarum præsides facere, omnes Comiti vectigales esse. Nihil dubium, quin ea mens hominis ad regnum quoque aspiret: amouẽdum eũ priusquam meditata perficiat. In atrocibus delictis etiam cogitationes plectendas esse.

Posse haud difficile Comitem eijci, verùm taciturnitate opus. Aperto cõsilio postquam cuncta placent, intromisso Comite deliberatio conuentus exponitur: Promissa pecunia dicitur. Viennam tamen dum exigitur esse petendam, ordinandam ciuitatem, ne quid in absentia regis turbarum exoriatur. Ficta pro veris plerique referunt. Commendat deliberata Comes.

Eyzingerus Viennam præcurrit: Senatũ de mente Regis edocet, cuius reditus ciuitati iucundissimus fuit: Nihil prima die actũ. Postera summo manê Eyzingerus regiam adit: collocatis in proximo Diui Augustini

Tem-

Templo mille armatis, qui præsto ad signũ erumpãt, alios tectis armis intrare palatium iubet. Conueniunt frequentes Consiliarij, regem in cubiculo salutant, proceres exiturum in aulam expectant. Ex familia Comitis nemo intromittitur. Anno Christi

Vltimus omnium adest ipse Comes; nec tã citò venisset, nisi vocatus ab amicis in palatio nouas res parari accepissent. Pulsãti fores nõ patuere: donec furens calcibus insultauit: vbi ad regẽ ventum est, silentiũ aliquandiu seruatum. Deinde Eyzingerum innuente rege ita locutum accepimus. Ab hac hora Comes regiam tibi curiam interdictam scito: abi quolibet gentium, neque posthac gubernatoris nomen, neque consiliarij, neque regij familiaris vsurpes. Hæc me tibi dicere Rex iusit.

Ad ea Comes nihil mutato vultu forti & constãti animo: Indignum se cui talia dicerẽtur, respõdit, Aemulorum suorũ ea esse, non regis: solere Principes, qui de se bene meriti essent, his meliora referre: se patri Alberto, se matri Elizabeth, se ipsi Ladislao summa fide seruiuisse, pro eo prius fudisse sanguinem, quàm nasceretur. Bella eius difficillima confeciisse, fuisse in carceribus, patrimoniũ fudisse, Imperatoris odium incidisse, vt regnum ei conseruaret: scire se benignum regem habere, & accepti beneficij memorẽ.

Anno Christi

Quæ dicta essent verba, moribus suis non conuenire: Eyzingerum ea excogitasse, qui iampridé sibi fuisset infensus. Orare, ne plus inimicorum odia, quàm sua merita valerét: nę bonitatem regiam aduersariorum malignitas vinceret.

Fit silentium locuto Comite: non satis certò sentitur, an Rex in sententia persisteret, & mutatum eius animum oratione Comitis verebantur, inclinaturi quò ille se verteret: ex cuius nutu pendere victoriam norant. Eyzingerus de statu suo sollicitus, nihil cunctandum ratus, priusquam Rex Comiti responderet, ita inquit: Ego mandante Rege verba feci, nihil de meo locutus sum: ipse adest, ipse me iudicet. Dabo meritò pœnas, si meam tibi Comes non regis voluntatem exposui. Effare tandem rex optime: nec nos vltra suspensos teneto.

Tum Rex placidè, vt consueuit, ex mea, inquit, intentione ac voluntate locutus est Eyzingerus: atque his dictis subticuit. Vidisses erectas Australium mentes, & iam Comiti tanquam victo eiectoque insultantes. Ille ad proceres exiens, quos in aula congregatos diximus, eiectionis suæ contumeliam exposuit: consilium atque auxilium expetens.

Quibus in voluntate regis omnia sita respondentibus, ad sororem regiam se contulit,

lit, ab ea præter lachrymas & muliebrem eiulatum nihil extorquet. Et iam vndique per palatium ire armatos animaduertit. Cedendum itaque potenti inuidiæ censuit: neque parum putauit, ex inimica ciuitate saluum corpus educere. Anno Christi

Clientes eius audita rei nouitate, sibi quisque fuga consuluerant. Tacitus igitur & confuso similis, cum quatuor tantum Comitibus ex aula discedens, in patriam suam concessit. Inconstantis fortunæ singulare documentum. Nam qui paulò ante tutor regis Ladislai, & secundum in Austria caput erat, in quem omnium oculi respiciebant, qui belli pacisque munera solus agebat, vnico regis verbo potestate priuatus, inops consilij, & animo confusus abijt.

Postea Comes fractus sic animo & omni spe reliqua destitutus, ab eo petere salutē coactus est, cuius, vt antea dictum est, saluti fuerat insidiatus. Ad Fridericum igitur Imperatorem confugiens, malo se vsum consilio dicit, qui Dominum suum reliquerit atque impugnauerit: recepisse se patrati sceleris pœnam, regia curia deiectum, & in alienis hospitijs auxilia mendicare coactum. Pœnitere, quamuis serò, prioris vitæ, dignus tamen cuius Cæsar misereatur, qui non tam nocuisse,

Anno Christi

quàm prodesse posit. Restituturum Austriam, si suo consilio fides sit: nam secum priores prouinciæ sentirent. petit errati veniam, & in posterum magna pollicetur, si pristinâ in gratiam recipiatur.

Cæsar Fridericus, cui verba dare difficillimum esset, multa se Comitis defectione passim damna tulisse commemorat: eaq; resarciri expostulat. Neque Austriam sibi promitti sufficere, quæ non esset in Comitis potestate: si sua quæ possideret Comes traderet, posse reconciliationem sequi: sin minus, non placere pœnitentiam, quæ non sentiret pœnam. Diu res agitata.

Postremò cùm Fridericus facta cuperet, Comes verba offerret, infecto negotio discessum est. Quæsiuit postea apud Venetos exilij sui præsidium, sed non reperit: per amicos itaque reconciliari Ladislao regi querit. Neque amplius aduersata fortuna est. Eyzingerus Baronibus inuisus, quorum auaritiæ atque rapinæ obsistebat, cõseruare gratiam regis nequibat: cùm illi modò per seipsos, modò per filios, qui regi diu noctuq; astabãt Eyzingerum criminarentur, & indignum pulsum Comitem dicerent, regi propinquũ, & qui sibi regnum restituisset: libuit igitur ab exilio reuocare Comitem, qui per amicos clam regi reconciliatur, reuersusque Vien nam magno & splẽdido apparatu, mille ducens

cens equites expeditos in armis adit. Anno Christi

Venienti rex obuiam extra vrbem factus est: primores, nobiles, populares, omnes secuti, salutare, amplecti, laudare Comitem. Mira rerum mutatio. Qui paulò ante mœstus in exilium ierat, in triumphantis modũ reuertitur. Eyzingerus, qui culmen potentiæ consecutus eum deiecerat, intrante vrbem Comite, ipse cum amicis egreditur. Lubricus apud reges primus est locus, solida potestas vnius voluntatis subnixa. Ferunt Comitem Eyzingeri cognito recessu, laudasse hominem, qui fortunæ ludibrio se subtraxerit. Mira rerũ mutatio, & ludentis fortunæ iocus. Eyzingerus extra gratiam regis Ladislai factus in castella sua rediẽs, Imp. Friderico, quẽ grauiter offenderat recõciliatus est: Regisq; Ladislai gratiã simul adeptus est, adeò vt cũ in Austria de coniuge regi tradẽda diu cogitatũ multæ virgines offerebantur tantũ coniugium expetentes, nobilissimoque Regi Ladislao quæ coire meritò posset, nulla dignior visa esset Magdalena (non Margaretha, quam perperam appellat Caspar Peucerus) Caroli Regis Franciæ filia, tum propter ætatem conuenientem, egregiam formam, pudicos mores, tũ propter sanguinis excellẽtiã raramq; nobilitatẽ, & maiorum eius latè gloriã. Duę legationes missæ, altera ad Imp. Fridericum de pace agenda, in qua Princeps

Anno Christi

fuit, quem dixi, Vlricus Eyzingerus: qui ex Bohemia à Ladislao missus leges pacis vtriq; & Cæsari & Regi gratas dixit: altera ad Carolum Franciæ Regem eius filiam petitura, in hac primas partes gessit Vlricus Patauiensiũ præses cum Oswaldo Eyzingero, de quo me supra etiam dixisse memini: in ea legatione 700. equites profecti sunt, quadrigę auratæ, matronę ac virgines splẽdido apparatu, quæ sponsam ducerent: vestes præterea donaq́ue tanto digna matrimonio missa.

Iam de concordię formula cum Friderico conuenerat, iamq́ue regiæ nuptiæ maximo sumptu ac splendidissimo apparatu instruebantur: Imperator & Eleonora Augusta vocati, ambæ regis Ladislai sorores, Elizabetha scilicet Casimiri regis Polonię coniunx, & Anna Gulielmi Ducis Saxonię vxor cum viris eam celebritatem accessuræ ferebantur: Saxoniæ, Bauariæ, Slesiæ, Franconiæ, Rheni principes, multi quoq; ex Gallia reguli venturos se promiserant.

Sed hos tantos cogitatus, has pulcherrimas institutiones, tantum rerum ordinem immatura mors, ac repentina regis Ladislai interrupit. Fama vulgatum est, idcirco regẽ apud Pragam nuptiarum celebrationem decreuisse, vt concurrentibus eò Catholicis Principibus, potenti manu hæreticos comprehenderet, finemq́ue tandem Hussitarum

insaniæ

insaniæ daret. Id præsensisse Rochezanam & Pogiebracium, necemque Regi pro sua salute machinatos. Extincto rege regni proceres in magno mœrore fuerunt, & publicum toto regno luctum ad 7. cal. Decem. continuarunt. Tunc regia pōpa peractis exequijs, defuncti corpus in sinu proaui sui Diui Caroli Romanorum Imperatoris sepultum. Sequitur octaua generatio post Elizabetham Ladislai sororem, & eius maritum Casimirum Poloniæ regem, qui genuit Vladislaum. Anno Christi

viij VLADISLAVS.

VLadislaus filius Elizabethæ sororis Ladislai, fuit Rex Hungariæ atque Bohemiæ, quibus regnis pręfuerunt ante illū Georgius Pogiebracius, & Matthias frater Ladislai Huniadis, quem Rex Ladislaus capite plecti iusserat, ac filius Iohannis Huniadis: De quibus quædam paulò altius repetenda videntur, priusquam de Vladislao, eiusque fratribus Iohanne Alberto, & Sigismundo Polonię regibus narrationem instituamus.

Rex Ladislaus Alberti 2. Imperatoris filius Iohannis Huniadis vxorem sibi obuiam factam (cùm ob mortem mariti lugubri veste indueretur, puellæque quæ circa eam erāt, deiectis in terram vultibus, pullis amictibus mœrorem pręse ferebāt) complexus,

ita

Anno Christi

ita allocutus est, vt ex illius verbis laus maxima Iohannis Huniadis facilè appareat. Indigna enim, inquit, sunt hæc vestimenta, quæ ob mortem viri tui deferas. Iohannes Huniades de morte transiuit ad vitam, ille Hungariam Christo, mihi regnum seruauit, Christiani nominis hostes fudit, fugauit, perterruit, pacem Hungaris peperit, salutem cunctis fidelibus aperuit. Fortia eius facta etiam hostes admirati sunt, & vitam & mortem posteritas consecrabit. In prælio strenuus, domi mitis: in bello vicit hostes, in ægritudine seipsum superauit. Consilio & manu suas acies sustentauit: perfregit hostiles. Vbi adesse extremum vitæ tempus agnouit, & vrgere vim morbi, non est passus dominicum corpus ad se deferri, neque enim dignum existimauit secum à domino visitari, surrexit à lectulo, quamuis labentibus membris, & cùm deficiente virtute suis pedibus ire non posset, in ædem se vehi sacram iussit, ibique de more Christiano, si qua extabant rerum humanarum vestigia sordium confessione detersit, & sacrosanctam accipiens Eucharistiam, inter sacerdotum manus terrena fastidientem animam exhalauit. Et quò illum migrasse credimus, nisi ad Deum, pro quo tot bella depugnauit? Ad Imperatorem suum perrexit fortis miles: cùm Christo regnat, qui pro Christo tot periculis se obiecit iam

pridem

pridem debitum sibi cælum tenet: non est cur diuinitate fruentem lugere oporteat. Cógaudere gaudenti æquius censeo. Facessant intempestiuæ lachrimæ, superuacanei luctus, absit omnis mœror, atque imprimis lugubres habitus, pullasque vestes exuite. Atque his dictis, purpureas tunicas auro distinctas afferri iussit, easque viduæ ac filijs dono dedit. Puellas quoque sua dignitate donatas, mutare habitum imperauit: totúque diem lætitiæ dari. Conuiuia demùm splendidè apparata: inter epulas & vina saltatum; cantatumque quasi celebres nuptiæ per lusum & iocum actæ. Anno Christi

His blandimentis allecti Huniadis filij, Ladislaus 24. annorum & Mathias 12. ann. nihil iamdudum ex cæde Comitis Ciliæ, de quo supra in caput suum verti posse confidebant, posito metu, regem vsque ad Budam ex Alba secuti sunt: vbi rex Ladislaum capite plecti iubet, nec diu ibi moratus Rex Ladislaus in Austriam se recepit: Mathiam Huniadis filium coeuum captiuum ducens: verùm hæc de Ladislai regis gubernatoribus in Vngaria, nam de gubernatore ipsius in Austria Vlrico Comite Ciliæ supra satis abundè dictum. Nunc de Gubernatore Bohemiæ hoc addam.

Georgius Pogiebracius ea die, quæ inter mortem Ladislai regis & funeris eductione media

Anno Christi media interceſsit, accerſitis Bohemiæ proce ribus gubernationem ſuam non expiraſſe re gis obitu dixit: prouinciam vſque ad Pente coſten commiſſam ſibi fuiſſe affirmat. Arma tenenti, nemo finitum morte mandantis imperium obijcere auſus. Pragẽſes gubernationi ſuæ nihil morati, ſe cõmiſere. Matthias, quem dixi Huniadis filius ex Viẽna ductus, qua die Rex obijt, Pragam applicuit, atque in poteſtate Georgij factus eſt. Nec diu poſtea rex Hungariæ deſignatus, magnis ſponſionibus dimiſſus, è carcere volauit ad regnum.

Conſtituta die, qua nouus Bohemiæ rex eligeretur, multi tractatus habiti. Carolus Rex Franciæ, qui filiam Ladislao deſponderat, regnum alteri ex filijs ſuis petere, aut ei committi, cui filiam tradere non dedignaretur. Caſimirus Rex Poloniæ ſororem Ladislai defuncti regis Elizabetham ſibi nuptã eſſe aiebat, eiq́ue regnum deberi. Pari ratione Guilielmus Saxoniæ Dux vtebatur, cui ſoror Anna natu maior nupſiſſet. FRIDERICVS Imperator, eiuſdem regni ordinationem ſuam eſſe aiebat, in qua feudi ſolennia neglecta fuiſſent. Nec ſine ſpe Sigiſmundus & Albertus Auſtriæ Duces fuêre, qui deficiente rege Bohemiæ ſine virili ſobole, ex Auſtria vocandum veteri fœdere Principem norant. Vbi dies conſtituta illuxit,

illuxit, auditis legationibus in conuētu procerum Bohemiæ vtilitate regni discussa Georgius Pogiebracius rex pronunciatur. Mira rerū mutatio, & nouus siderum influxus, duo potentissima regna eodem tēpore rege orbata, ex nobilis. atq; altissimo sāguine ad mediocris generis homines peruenire. Anno Christi

Poggiebracius reposcentibus Vngaris, Matthiam Viennæ captum memoria virtutis ac fœlicitatis Iohannis Huniadis patris eiusdem Matthiæ, non solum carcere liberauit, atque instinctu Mihasi Zilagi reddidit, sed insuper etiam, ad pignus amicitiæ certum illi filiam desponsauit ac tradidit, regij cultus additis muneribus, vt Vngaros eo beneficio sibi obstringeret, atque ad confirmandum nouum regnum, Bohemis oportunè consociaret. FRIDERICVS autem Imperator interea suo quodam peculiari genio fatoque inclyto atque admirabili, licet præclara quadam ac generosa ingenij indole, prudentiaque matura & circumspecta nunquam destitueretur: à bellis tamen ob fortunam, quam experiebatur aduersam, ipse abhorruit, alienis autem armis, sumptibus, & periculis res magnas per Europam gessit, adeò, vt vbi in discrimine se constitutum sentirent defenderetur & eriperetur, & quos compescere authoritate sua nequiret, sibi aduersantes, eos incitatis

alijs

Anno Christi

alijs inuolueret, belliſque domeſticis diſtra-
heret. In motibus Auſtriacis Vlricus Ciliæ
Comes Alberto ſe iunxerat Archiduci Au-
ſtriæ, qui à fratre Friderico paternæ hæredi-
tatis diuiſionem flagitabat. Eyzingerus aût
proaui mei Stephani frater Vlricus Imperá-
toris partibus ſtudebat. Hic cùm viſitato a-
pud nouam ciuitatem Friderico, Viennam
repetijſſet, vocatus ab Alberto Friderici fra-
tre, nihil mali ſuſpicãs, fidenter eum adijt, à
quo mox captus, in vincula coniectus, & in
priuato carcere clauſus eſt. Indigna res viſa
ciuibus, murmurare, damnare omnes factũ,
ſed nemo auxilium ei contra Albertum fer-
re auſus fuit, donec bellum de poſſeſsione &
adminiſtratione Auſtriæ, interponentium
ſeſe principum Germaniæ prouidentia &
induſtria diremptum, fratribuſq; reconci-
liatis, arma ponere iuſſus eſſet Comes Ci-
liæ.

Erant patrueles, hoc eſt fratribus duo-
bus nati, Fridericus Imperator cum Alberto
fratre, & Sigiſmundus exarchus Auſtriæ, hic
natus patre Friderico ſeniore: ille Erneſto.
Has cùm pari agnationis gradu attingeret
Ladislaus defunctus Alberti 2. Imperatoris
filius, de quo ſupra, reliquit Auſtriã patrue-
libus diuidendam: quam totam ſibi ſoli ven
dicabat Imperator, in quo coniunctus Al-
berto Sigiſmundus, Imperatori reſtitit, vſq;
ad Al-

ad Alberti mortem, qui ætatis anno 63. vita functus est, cùm paulò ante mortem, fratre concluso à ciuibus in arce Viennensi, ipse ciuibus opitulaturus, inde armis, & expeditis consilijs Georgij eius, quem dixi Boggiebracij Bohemi est reiectus. Eo anno Sigismundus bello finē impositum. Austria Imp. Friderico citra disceptationē cōcessa. Matthias quoq;, vt in Hungariæ regem coronaretur, eidem Friderico octoginta millia aureorum nummum, pro redimenda, quam apud se retinuerat, Hungarię corona exoluens, dissidiū amouit. Anno Christi 1463.

Pontifex Romanus etiam regni Bohemici titulo à Georgio Boggiebracio in Matthiam transtulit, vnde inter duos illos Mathiā & Bogiebracium noua bella accensa, quibus infœliciter implicitus, aliquoties à Boggiebracij copijs cæsus & profligatus: Morauiam tamen & Silesiam spontanea illarum gentiū deditione magis quàm viribus & armis Vngariæ regno coniunxit. Oderant enim hæ gētes excommunicatum à sede Romana Bogiebracium, tanquam hæreseos reum. Vladislao Casimiri Poloniæ regis & Elizabethæ Alberti 2. Imperatoris Austriaci filio, in regnum Bohemiæ traducto, recruduit bellū, hoc auulsas prouincias repetente. Adduxerunt tunc exercitus ad vrbem Vratislauiam Casimirus Polonus & Vladislaus eius 1464. 1465.

Anno Christi filius, quos Matthias celeritate anteuertens, vrbem præoccupauit: eoque armorum progressi sunt, vt interponentibus se Germaniæ Principibus, pax die 12. Februarij anni 1475. 1475. his conditionibus firmata sit, vt Vladislao ad Bohemiam pars Silesiæ, quæ montibus Sudetis adiacet, & vtraque Lusatia accederent: reliquam Silesiam & Morauiam possideret Matthias, sed ea lege, vt si absque masculo hærede decederet, rediret ad Vladislaum: si gigneret hæredem, liberum esset Vladislao vel illi relinquere prouincias, vel ducentis eas millibus aureorum redimere. Moritur autem Matthias Viennæ Austriæ, in qua sum educatus, anno ætatis quinquagesimo sexto: Christi verò nonagesimo supra millesimum quadringentesimum, eo die festo, qui Palmarum memoriæ dicatus est. 1490. Præcipuam eidem Matthiæ Vngariæ Regi apud posteritatem peperit cognitio, admiratioque doctrinarum omnis generis, singulare in his propagandis studium, & munificentia ac reuerentia erga viros eruditione excellentes: de quorum monimentis & commendatione magis inclaruit posteris, quàm suo seculo virtute sua aut rebus gestis. Cùm enim (perinde vt Stephanus Battorius Poloniæ Rex) & hostes vincere, & virtutem liberaliter exornare Regiæ fortunæ munus

nus præcipuum duceret, inuitatis ad se viris doctis, & inuectis in Vngariam nobilioribus studijs, ita gentis ad arma natæ ingenia emolliuit, vt ex ferreo, regnum reddidisse diceretur aureum. Anno Christi

Imperator Fridericus Matthia rege extincto, redijt in Austriam tertio ante obitum anno, vbi reliquias vagorum latronum ex eo exercitu, quem vocitarunt nigrum, deleuit, multis acie trucidatis, nonnullis ex fuga in obuia flumina præcipitatis, aut laqueo necatis, postea Lincij, vbi commoratus est vt plurimum, in superiori Austria, placidè moritur decimoquarto Calen. Septembris anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, relicto post se filio Maximiliano Imperatore, nato duodecimo die Martij anni quinquagesimi noni supra millesimum quadringentesimum, paulò post obitum Ladislai Alberti 2. Imperatoris filij, qui mortuus est, vt ante diximus, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, 23. Nouemb.

Conuenerunt Viennæ Austriæ Imperator Maximilianus, Vladislaus Vngariæ atq; Bohemiæ Rex, & frater Vladislai Sigismundus rex Poloniæ, inter quos, sublatis omnibus è medio simultatibus, vetera pacta renouata, & nouis additionibus aucta, nouaq; comprobatione & nuptijs, inter liberos 1515.

Anno Christi nepotesque contractis sancita sunt, vt Maria Maximiliani neptis Ludouico Vladislai filio, Anna verò Vladislai alterutri ex nepotibus, hoc est, vel Carolo, vel Ferdinãdo nuberet, certa cũ spe successionis in regno Vngariæ atq; Bohemię, si absq; hęrede masculo Ludouicus decederet. Successit autem Vladislao filius Ludouicus.

ix. ANNA VLADISLAI REGIS *Vngariæ atque Bohemiæ filia.*

1521. LVdouici soror Anna nupsit Ferdinando optimo & Christianissimo Principi, qui non solùm Bohemiæ atque Hungariæ, sed etiam Romanorum Rex, ac tandem Imperator factus est. Occumbit enim Ludouicus, in cuius locum primùm à Bohemis, inde ab Hũgaris electus est, quem nominaui, Ferdi-
1526. nandus sanctissimæ memoriæ princeps ac dominus meus dum viueret clemẽtissimus, Caroli V. Imperatoris germanus frater. Sed ne quid deesset ad supremam regni Hungarici cladem & excidium, à quibusdam Pannoniæ rex electus est Cilię Comes Iohannes Vaiuoda, qui nõ cessauit legitimum regem Ferdinandum multis exagitare modis, donec tandem Vngaria ferè tota in Turcarum ditionem concesserit: quorum vires non nisi intestinis Christianorum bellis, odijs & simultatibus hactenus eousque creuisse patet, vt Solymannus maximis etiam viribus

Vien-

Viennam Austriæ metropolim aggredi sit ausus. Anno Christi

Moritur tandem Iohannes Vaiuoda Ciliæ Comes, qui pro Hungarię se regem gesse rat, relicto infante sub tutela Georgij monachi, qui Hungariam omnem, quæ illi paruerat, in pueri etiamnũ in cunis vagientis verba iurare cõpulit quę res noua bella peperit, quibus Hũgaria Turcis occupanda obijciebatur. Postquam.n. Turcæ Pestum occupassent, allatus est puer, quẽ dixi Ioãnis Vaiuodæ in castra ad Solimannũ regalibus crepũdijs exornatus, carpẽtoq; aurato impositus, comitantibus plerisque proceribus Ferdinando rebellibus, quos Turca muneribus affecit. Vbi in tabernaculum Solimanni ventum est, ille quidem puerum humaniter inspicit, blandè cum eius nutrice loquitur, liberos suos Baiazetem & Selymum, patrem etiamnum adhuc regnantis Turcæ Amurathis, qui aderant, puerum complecti, & amâter exosculari iubet: sed interim mira vafricie, dum Hungari proceres cum Bassis prandent, immissis in vrbem cohortibus, Budam quoque occupat, moxque sine tumultu ciues omnes, iubente tyranni præfecto, arma tradunt, Turcasque iam in fidem recepti, hospitio recipiunt, tandem Solimannus 3. Calend. Septembris etiam Budam ingreditur. 1529. 1540. 1541.

Anno Christi

Inde reginam, quæ filia fuit Sigismundi Regi Poloniæ, iubet ex vrbe & arce excedere, atque cum puero vltra Tibiscum in Lippam concedere, eiusque regionis dominio frui: paret regina non sine lachrimis & gemitu, tyranni perfidiam detestata, tormentis & armis omnibus, omniq́ue commeatu relicto: sic enim Solymannus voluit: proceres Ferdinando rebelles quoq; cum ea proficiscí coacti sunt; & meritò, quia sæuissimos Christiani nominis hostes non in Vngariæ modò, sed totius Reipublicæ Christianæ exitium acciuerunt. Debuissent enim pactis stare conuentis, quibus Ferdinándo regnum Pannoniæ iure optimo deberi non ignorabant.

Fuit sub Matthia, quem supra dixi, Huniade regnum longè florentissimum atque potétissimum. Sed sub Vladislao Annæ Ferdinandi coniugis patre, Hungari regis eius benignitate & clemẽtia abusi, ac deinde sub Ludouico iuuene, & rege adhuc imperito, luxui, inertię & fastui sese corrumpẽdos dedidêre: Hinc illæ lachrymæ: quoad Turcam in Vngariæ regno, nunc quoad Protestantes & Saxonicos in Germania, cuius ferè medium obtinet Bohemia.

1546. Conuentus egerunt Protestantes Francofurti, vbi deliberarunt de Concilio Tridentino, de prorogando fœdere, de sumptibus

bus belli Brunſwicenſis, de non deferendo Anno
Colonienſi Archiepiſcopo, à Romano Pon- Chriſti
tifice ob hæreſim excommunicato, atque in ſumma res eò in Germania recidit, vt etiam de ſummis Magiſtratibus liceret querelas deferre ad paucos Imperij Principes, quales fuerunt inter præcipuos Elector Saxoniæ, & Landgrauius, qui etiam Bohemos magna ex parte ad ſe traxerunt, non immemores religionis ab Huſſo in Bohemia plantatæ, atque per Lutherum denuò ab orco reuocatæ, cui adhærebant. Proſcripſit autem Carolus Imperator Saxonem & Landgrauium, eoſq; tandem cepit rebellantes. Et cùm Ferdinãdus Cæſaris frater in Bohemia eſſet Lętineritiæ miſit ei Carolus 8. ſigna peditum Germanorũ auxilio: offendebant enim Ferdinandũ & Bohemi quoq;, quare literas dat ad Pragenſes, quibus eos in arce Pragenſi, ad 6. diem Iulij præſto ſibi eſſe iuſsit. Veniunt illi, & ſupplices ab Rege ſuo offenſo veniam petunt, pro quibus intercedebant Ferdinandus regis Ferdinandi filius, & Auguſtus Mauritij frater, alijque nonnulli Principes, qui ſub conditionibus quibuſdam à rege aliàs clementiſsimo pacem impetrarunt, licet in nobiles quoſdam, qui ad diem citati non venerant, ſeuerior ſententia pronunciata ſit. Aliæ quoque nonnullæ Bohemiæ ciuitates & nobiles inſtar

Anno Christi

Pragensium absque conditione sese dedide-
runt, relictisque Protestantium partibus se-
se regi suo legitimo prudenter subiecerunt,
cùm extra obedientiam suorum Principum
subditis nulla salutis quies inueniatur.

X. MAXIMILIANVS ANNAE Reginæ Bohemiæ atque Ferdinandi Imperatoris filius.

DEcima generatio, quam à Rudolpho 1. deducimus vsque ad Rudolphum 2. Imperatorem, incidit in Maximilianum, Ferdinandi filium maiorem natu Hungarię atque Bohemiæ regem: qui instar Alberti 2. Imperatoris, de quo supra dixi, vniusanni spacio tribus coronis insignitus est, Imperij,
1562. Hungariæ, atque Bohemiæ, vt inde meritò dici posſit Maximilianus maximus, idque
1563. Ferdinando adhuc viuente, honoris atque dignitatis eminentissimæ consecutus, atque Imperator salutatus est, post obitum patris,
1564. qui mense Iulio ipsis ferijs Diui Iacobi Apostoli, vitam mortalem cum immortali commutauit, de cuius integritate, pietate, & in Catholica fide constantia multò plura dici possent, quã antea suo loco diximus, etiam in hoc opere Thesauri Principum: sed breuitatis causa, & quod virtutes eius sermone satis explicari, vel calamo à me designari non possunt, laudes Sanctissimi huius Principis narrare supersedeo, atq; ad Maximilianum Domi-

Dominum quoq; meum clemẽtiſs. (vtriuſque enim, & patris & filij, dum viuerent, aulæ familiaris fui quã humillimus) reuertor. Anno Christi 1565.

Hic Cæſar Maximilianus contra Turcas, & alios quoſdam, duce fortiſsimo & clariſsimo Lazaro Schwendio, viro rei militaris peritiſsimo, nec minus optimis literis inſtructiſsimo, atque (vt ex libello mihi in Belgio dono dato, ſuiſque proprijs manibus veluti commentario illuſtrato, Ludouici Viuis, de Certitudine fidei Chriſtianæ inſcripto facilè apparet) Catholicæ religioni addictiſsimo, præclaras, atque Imperatore res digniſſimas geſsit: ſeque Solimanno Turcarum, qui Chriſtianos terra mariq́ue infeſtiſsimo conatu perſecutus eſt vſq; ad mortem illius tyranni tanquam aheneus murus Imperato 1566. rio planè exercitu in Vngaria oppoſuit.

Moritur interim 18. Iulij die Sigiſmundus Auguſtus vltimus Iagelloniæ princeps, cui primùm Elizabetha, anno 526. deinde Catharina altera Maximiliani ſoror, anno 1533. matrimonio iuncta fuit, atque Maximilianus ipſe tandem in Poloniæ quoque regem, Rex Romanorum, Hungariæ atque Bohemię electus, de quo paulò clarius infra dicemus, poſtquam de alijs ſucceſſoribus quibuſdam Sigiſmundi Poloniæ regis pauca præmiſimus.

Mortuo Sigiſmundo, filio Sigiſmundi

Anno Christi 1573. senioris, ac nepote Casimiri, qui Elizabethã Alberti 2. Imperatoris filiam vxorem habuit, de qua supra generatione VII. diximus, multi particulares habiti sunt, tam de pacificandis finibus Podoliæ, Lithuanię, & Rusię, quàm de noui regis electione conuentus, varij quoque legati à summo Pontifice, Romanorum Imperatore, Galliæ Rege, & eius fratre Andium Duce, à rege Suediæ, alijsque Monarchis aduenichant, miseratque Machmet Bassa supremus Constantinop. Selimi patris iam regnantis in Turcia Amurathis nomine ad Senatum & ordines Poloniæ. qui 12. Maij Varsouiam venit, auditus 17. & 21. eiusdem mensis dimissus. Petijt hac legatione Selimus, vt Henricum Ducem Andium, Caroli noni Regis Galliæ fratrem Poloniæ Regem eligant, quod fecerunt, eundem Regẽ decimo tertio Maij denunciantibus, ad 18. diem Februarij anni 1574. insequentis, incredibili cum solemnitate, magnificentissimoque apparatu Poloniæ Rex Cracouiæ vngitur & inauguratur: sed iucundissimum hoc Polonorum gaudium insignis paulò post mutatio secuta est. Nam Henricus illorum Rex, cùm in Polonia de morte fratris Caroli factus esset certior, primùm ad decimum quintum Iunij diem Cracouiæ optimates conuocat, comitia mense Augusto indici cupit; interim

Rex

Rex clanculum mittit, qui fidem publicam à Maximiliano Imperatore flagitaret, quã haud grauatè obtinuit. Postea Rex specie malæ valetudinis, solito maturius se somno componit, & nocte intempesta mandato regis porta arcis aperitur, ipseque peregrino habitu, tanquam nobilis egressus, paucis comitatus, citatis equis, magnis itineribus Plezinam primùm Austriæ Poloniam exeuntibus oppidum, atque inde Viennam peruenit, vbi à Maximiliano perhumaniter excipiebatur, inde Venetias defertur, postea in Prãciam appulit. Henricus ad diem duodecimum Maij, qui dies ei dictus erat, non cõparuit: decimo quinto igitur Iulij publico decreto regem Henricum exaugurant, declarantque eum non amplius Regem Poloniæ agnoscendum, atq; interregnum esse, perinde ac si vita esset defunctus. Anno Christi 1575.

Erat in Polonia de nouo rege creando, magna ob candidatorum frequentiam, altercatio. Amurathes Turcarum, qui iam præest Imperio non ignorans de quibusdam Principibus sibi minus amicis, atque inter alios de Austriacis cogitari, aculeatas minacesque ad Polonos mittit literas, quibus extremam ipsis vastitatem denunciat, si aut Cæsarem Maximilianũ, aut Moscouiæ Ducem, & non potius Stephanum Batto-

Anno Christi

Battorem Transyluaniæ Principem eligerent. Erant autem regni huius competitores Maximilianus, & eius filius Ernestus, cum fratre Carolo, Archiduces Austriæ, Iohānes 3. Rex Suediæ, cum filio Sigismundo: Alphōsus Ferrariæ Dux: Iohānes Basilius Magnus Moscorum Dux, & quem dixi Stephanus Battor. Proclamauit, instante magna senatus parte, Archiepiscopus Gnesnensis Iacobus Vosauius Maximilianum Imperatorem regem Poloniæ: ab alijs electa est Anna, Princeps ex stirpe regum Iagelloniorum, ea conditione, vt Stephano Battori, & nulli alij nuberet.

1576. Mittuntur deinde die 15. Decembris ad Maximilianum literæ, cum legationibus, ab ijs, qui Annam, & ad Battorē ab ijs, qui Cæsarem elegerant, & in diem Ianuarij 13. noua comitia indicuntur. Conueniunt regni proceres ad Poloniæ oppidum Andreouiā, vt electionem Annæ & Stephani confirmarent. Eò Maximilianus, de quo iam tractamus X. generatione, præclaram mittit legationem, petens vt residua procerum pars, his qui suam Maiestatem elegerant, sua quoque suffragia adiungerent. Responsum est, se id facere non posse, tum quia suffragatio de Cæsare facta, libertati regni repugnaret, tum etiam, quia Anna electa Polonis esset consanguinea, & inter mores & leges Polonorum

norum nata atque educata: quæ cùm Battori quoque despõsata esset, neque hunc, neq; illam in liberis comitijs legitimè electam, salvo bonorum virorũ officio, posse repudiari. His ad Cæsarem relatis, comitia soluebãtur, quorum Comitiorũ decreti Stephanus Battor factus per legatos certior, regnum Poloniæ in vrbe Transyluaniæ Megesi, cum magna solemnitate, mense Februario suscepit. Anno Christi

Maximilianus Cæsar, cùm in Comitijs Ratisponensibus auxilia Principum Germaniæ contra Battorem & Turcam plurimùm vrgeret, tãdem impetrauit à Bohemis, Vngaris, quorum Maximilianus rex esset, Silesijs, alijsque prouincijs, certos armatorum numeros, quibus se Battori, eique assistentibus Turcis opponeret, verùm inter has sollicitudines Ratisbonæ moritur. In cuius locũ Rudolphus 2. Maximiliani 2. filius primogenitus, qui ante in Comitijs Casurgi Rex Bohemiæ, & paulò post Augustæ Vindelicorum Rex Romanorum anno 1575. erat declaratus, in dictis Comitijs Ratisbonensibus Cæsar proclamatur, regnumque Battori quietum relinquitur: hic postquam varia bella confecisset, vt puta, Bellum Gedanẽse, Bellum Moscouiticum, in quo Moscouiæ Dux 100. millia virorum in castris habebat, quibus Liuoniam, & Prutenorum fines, vno 1577.

eodem-

Anno Christi 1578. eodemq; tempore inuadere decreuerat. Cõuocatis itaque comitijs Varsouiam amplam Liuoniæ vrbem: decretum est, vt 15. milia Polonorum, 10. Lituanorum, 3. Germanorum, totidemq; Aidulchorũ colligerentur, & vicies centena millia nummûm, proximo decennio in belli Moscouitici vsum numerarentur: atque ita Polonorum contra Moscum expeditio progreditur, Polotia capitur, capitur & Toraulia, Socola, Susa quoq;, vt Mosci tandem petere pacem coacti fuerint. Anno verò sequenti adornatur in Moscum alia expeditio, vincituրq; Moscus, Vielisium capitur, tandem Vielicolus antea obsessum quoq; capitur: item Teropetia & arx Neuela, præterea Oseriscia, & Zaualocia.

Tertia tandem fit ad Moscum debellandum expeditio, in qua expugnatur Ostrouia, Plescouia vrbs munitissima ad lacum sita, quæ sola in tota Mosci ditione muro cingitur, totius Liuonię propugnaculum obsidetur. Inierat quoq; fœdus Suediæ Rex qui Annæ Iagellonidæ, Stephani regis coniugis sororem habet, cum Polono, vt communibus Moscum viribus exterminarẽt, & quod quisque illi decerpere posset, id sui iuris faceret. Cæterùm Magnus Dux Moscouiæ, quem & Tartari Casani, & Astracasani ab alia parte aggrediebantur, atque obuia quęque depopulabantur, pacem à rege Stephano petijt,

petijt, quam cùm obtinuisset, Suedus exo- Anno
sam habuit, verùm Stephanus animaduer- Christi
tebat Tartaros Poloniæ ditionibus minari,
atque etiam in Russiam excurrere, quod
vt auerteret legationem Polonus ad ma-
gnum Cham Tartarorum Imperatorem mi
sit, Turcamq; sibi Stephanus offensum quo-
dammodo experiebatur, tandem Iohannes
Basilides Magnus Moscouiæ Dux, Basilio
patre, & Salomea matre anno 1528. natus,
ex hac vita decessit 8. die Mart. anno 1584. 1584.
cui Theodorus filius successit, in quem Ste-
phanus bellum quoque est meditatus. Ve-
rùm post multa bella tandem & ipse Stepha-
nus Battor rex Poloniæ moritur 12. De-
cembris anno millesimo quingentesimo o-
ctuagesimo sexto, cui pro exequijs funebri- 1586.
bus Iohannes de Zamoiscio, qui Grisolidam
Batoream Stephani regis vxorem duxit an-
no millesimo quingentesimo octuagesimo
tertio, Cancellarius, & summus Dux exer-
cituum regni Poloniæ, Epitaphium con-
scripsit, quod, quia relationibus meis histo-
ricis inserui, hic breuitatis ergô prætereo:
sequitur post Maximilianum secundum pa
trem Rudolphus secundus Impera-
tor filius generatione à Rudol-
pho 1. vndecima.

Anno Christi

xj. RVDOLPHVS II. EIVS NOminis Cæsar, idemq; Rex Vngariæ atque Bohemiæ.

RVdolphus 2. Imperator, quemadmodum à Rudolpho 1. etiam Imperatore in recta per vndecim generationes linea masculina deducatur, supra dictum est, quo pacto aũt immixta linea quoque fœminina idem Rudolphus 2. quoad regnum Bohemię à Rudolpho primo, deductum sit hactenus, per suas quoque generationes vndecim deduximus; vt quo ad regnum Bohemiæ, Hungariæque regnum nihil amplius dicere sit operæprecium. Verùm ad Poloniæ regnum
1587. quod attinet: Elegerunt post Stephani obitum Poloni Maximilianum, Imperatoris Maximiliani filium, & Rudolphi 2. fratrẽ, verùm eadem inconstantia quidam Polonię proceres, illo præterito, Sigismundum Ioannis Suediæ regis filium recipiunt, qua, antea Maximiliano patri electo, Stephanum Battorem surrogarunt. Hunc propter Annam Iagelloniam vxorem Stephani: illum verò propter sororem eiusdem Annæ, quæ Sigismundi fuit mater. Proficiscitur autem frater Rudolphi Cæsaris Maximilianus ex Austria per Bohemiam in Poloniam, ad ius suũ electionis prosequendum, non contemnendo exercitu, obsidet Cracouiam regni Metropolim. Superuenit Sigismundus Suediæ regis

regis filius, regni competitor, qui à Iohanne, quem dixi, Cancellario regni excipitur, necnon à quibusdam deinde proceribus coronatur: quod impediturus, fortiq́ue manu ius suum defensurus Maximilianus, maximo cum exercitu obuiam habet summũ exercituum regni Poloniæ Ducem Zamoiscium, magnum illum Cancellarium, in cuius manus fortiter pugnans, tandem à suis quibusdam Poloniæ proceribus derelictus, incidit: verũ tamen audaci non minus quã singulari prudentia instituto stratagemate, ex eorum manibus euasit, qui in articulos sibi omnino præiudiciales, nec in conuentu legatorum à summo Pontifice, atque Imperatore, alijs Principibus pro ineunda inter vtrumque Poloniæ Regem concordia tractatos iurare, seq́ue regno Poloniæ abdicare voluerũt, quos tamen articulos prorsus reijciens Maximilianus, sibi ius suum ad regnũ coram quibus necessarium videbatur, tum expresè se conseruaturum, nulloq́ue iuramento se obligaturum in contrarium protestatus est: de quo in relationibus historicis nostri temporis tractasse me, atque alibi hos versus inseruisse memini, quos, quia breues, etiam hic subijcere, atque ita Bohemicas pariter atque Polonicas, de quibus alio in loco pluribus tractaui concludere volui, postquã de triplicibus, Angliæ scilicet, Belgij,

Anno Christi 1588.

Anno Christi

gij, nec non Bohemiæ genealogijs hactenus abundè satis tractatum sit.

Dic mihi Nympha precor, quæ narras sæpe futura,
Vere nouo regem me fore veris?
ERIS.
Qui iusiurandum sanctè mihi præstitit, ille
Stabit promissis num Mosouita?
ITA.
Nónne futura timet, dura ceruice Suecus,
Expectat durum fortè Polonus?
ONVS.
Cur Aquilam spernit, vel me Regina lacessit,
Me pro rege cupit cùm Lithuanus?
ANVS.
An nescit longas Aquilam producere pennas,
Orbem per totum cùm volitabit?
ABIT.

TER.

TERTIÆ PARTIS THESAVRI PRINCIPVM HAC AETATE IN EVROPA viuentium PARALIPOMENA.

Anno Christi

DE PROGENITORVM differentia.



D primam atque ſecundam partem Theſauri Principum hac æta te in Europa viuentium, adiecimus duplicia quoque, primæ ſcilicet, & ſecundæ partis Paralipomena, quibus acceſsione Boiorum, Turcarum, Anglorum, Belgarum, atque Bohemorum ſtemma tum eundem Theſaurum amplificauimus. Nunc tertia eiuſdem Theſauri pars reſtat, quæ triginta ſex progenitorũ tabulis abſoluitur, Myſtica Ioſephi Genealogia ijſdem tabulis adiecta: quas quidem tabulas tum demum rectè declarare videbimur, ſi Progenitorum differẽtiam inter ſe oſtenderimus: ſunt enim ex progenitoribus quidam Legitimi, quidam his contrarij, ſcilicet Illegitimi: & quidam Naturales, quorum naturam ita explicabimus, vt inde non parum lucis ad intelligendas xxxvj. tabulas progenitorum tractatio noſtra lectori ſit allatura, cùm vt antea quoq; diximus, contraria

Anno Christi

iuxta se posita magis eluceſcant: Legitimorum namque natura progenitorum tum magis apparebit, cùm de illegitimis quoque, cuius conditionis illi fuerint, dixerimus, eoſque à naturalibus seiunxerimus: quod vt commodius, ac maiori cũ vtilitate fieri posſet, subiunximus peculiarem quandam tabellam, ad quam non solum antiquiſsima verba, poſt Adam plaſmatum, Deo matrimonium inſtituente, prolata Geneſ. 2. ſunt referenda, quibus, QVAMOBREM, inquit, RELINQVET HOMO PATREM ET MATREM, ET ADHAERE-BIT VXORI SVAE: ET ERVNT DVO IN CARNE VNA. Verùm ad eandem ipſam quoque tabellam ſingula diligenter ſunt perpendenda, quæ de progenitoribus conſequenter dicturi ſumus.

TABELLA.



Septem numeri in ſingulis triginta ſex tabulis progenitorum tertiæ Theſauri partis ibi

tis ibi repetuntur: vbi 1. vnitas filium: 2. binarius patrem: 3. ternarius matrem: 4. quaternarius auum: 5. quinarius auiam: 6. senarius autem auum maternum ad differentiam aui paterni, & 7. septenarius tandem auiam maternam, respectu auiæ paternæ, atque sic consequenter, vt alibi posuimus, alij numeri alios progenitores repræsentãt. Applicemus itaque verba institutionis matrimonij paulò ante prolata, ad tabellã hoc modo. Anno Christi

Relinquet Homo, id est, vir patrem & matrem, vel si mauis dicere, relinquet 2. binarius 4. & 5. quaternarium & quinarium, & adhærebit vxori suæ, cui 3. ternarius in superiori tabella ascribitur, & erunt duo in carne vna, sic enim à siniſtra ad dextram Hebræorum more procedendum est in tabella ex vna parte, ex altera verò simili ratione, maximè cùm secundum Imperatorem Iustinianum, Matrimonium sit viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens, ita dicendum est. Relinquet vxor, id est, Vrsula, Ioannem patrem & Catharinam matrem, atque adhærebit homini, id est, Christophoro viro suo. His satis clarè videntur intelligi verba institutionis primæuæ, ad tabellam superiorem applicata, in qua lineolis quibusdam veluti hamis binæ semper personæ, maris scilicet

Anno Christi

ac fœminæ connectuntur, quemadmodum & in singulis 36. tabulis tertiæ partis Thesauri, cuius Paralipomena sequuntur: ac primũ quidem de legitimis progenitoribus in specie, nam quæ in genere breuibus hactenus pro introductione dicta sunt, sufficiunt.

DE PROGENITORIBVS legitimis.

LEgitimi progenitores, ad illegitimorum differentiam sic dicti, sunt omnes illi, quos xxxvj. tabulæ, quas diximus, comprehendunt, hi triplici modo discernuntur, si enim sexus & personas respicias, erunt quidam progenitores paterni, quidam materni, quibus in singulis tabulis suas inscriptiones apposuimus: si autem tempus & ætatem consideres, videbis quosdam progenitores dici abauos, alios proauos, auos alios, atque alios patres, sicque à dextra versus sinistram in singulis procedendo vsque ad filios, quorum Genealogias descripsimus. Sin verò præter sexum & ætatem, Dominia quoque expendas, videbis in prima tabula progenitores Henrici Regis Galliæ: In secunda Henrici Regis Nauarræ: in tertia progenitores Friderici Regis Daniæ, atque ita consequenter vsque ad XXXVI. tabulam, per Reges, Duces, Comites atque Heroes ordine procedens, triplicem in singulis tabulis tertiæ partis Thesauri Principum hac

ætate

ætate in Europa viuentium obseruabis, quo te breuitatis ergô lectorem remittendum potius, quàm de his pluribus hîc verbis agendum existimaui, cùm ibidem ad oculum ostensa, omnia vno velut intuitu conspician tur. Quare à legitimis progenitoribus ad illegitimos progrediamur. Anno Christi

DE PROGENITORIBVS illegitimis.

ILlegitimi progenitores, ad quorum com parationem legitimi tantò clarius elucescunt iuxta se positi, sunt à lege reiecti, damnati, ac de Iure reprobati, vtpote, qui contra legem, quæ nihil aliud quàm recta, & à numine diuino tracta ratio, coeunt, con iunguntur, copulantur, matrimonia, nuptias, connubia, contubernia, aliasque prohibitas societates contrahunt, adeò, vt eos, qui semel exodibilibus, quêadmodum Iustinianus inquit Imperator, & propterea prohibitis huiusmodi nuptijs procedunt, neque naturales quidem vocari, neque à parentibus, clementia nulla, supplicio verò dignis ali velit, tales enim, qui sese vetitis nuptijs vel cõiugijs funestauerint, neq; vxorẽ, neq; filios ex ea ẽditos habere credi vult, atq; præcipit Imp. Sunt aũt progenitores illegitimi in tria capita distincti. Quidam enim contra naturæ proscriptum, propriumque sanguinẽ coeunt: Quidam contra votũ,

Anno Christi quo se Deo astrinxerunt: Quidam etiam contra fidem proximo datam congrediuntur.

CONTRA SEIPSOS.

Progenitores primi generis Illegitimi sunt illi, qui sine naturæ atque honestatis vllo respectu fœdè congrediuntur, idque triplici modo, vno scilicet, cùm pater ex filia, altero, cùm filius ex matre, tertio, cùm frater ex sorore liberos procreat: de his, inter quos velut ascendentes & descendentes in infinitum prohibetur matrimonium, Diuina Lex ita loquitur Deuteronom. 27. Maledictus qui dormit cum vxore patris sui: item, Maledictus qui cum sorore sua filia patris sui dormierit: Hi namque humana quoque lege nuptias contrahere prohibentur, cùm personæ sint, quæ parentum liberorumq; locum inter se obtineant, & nepharij appellantur, si in lineam ascendentem aut descendentem impingant: Sin verò ex transuersa & collaterali linea sese respiciant, dicuntur incestuosi, quemadmodum si ad præcedentem tabellam respicientes, contingeret Annam cum Christophoro, vel Iohannem cum Vrsula matrimonium contrahere, dicerentur hi progenitores nepharij: quod exempli gratia breuibus ita de nepharijs atque incestuosis congressibus dicere atque lectorem admonere volui, ex om-

ex omnibus illis XXXVI. progenitorum tabulis, ne vnam quidem reperiri, in qua huiusmodi nepharia matrimonia atque incestuosi congressus inciderint, sunt enim legitimi, non autem illegitimi progenitores illis tabulis inserti, quemadmodum etiam in tabella, quam doctrinæ atque vberioris intellectus causa præmittere volui, sed ad alterum genus progenitorum, qui non contra seipsos & naturam atque sanguinem, vt præcedentes, sed contra Deum, congredien do grauiter peccant. Anno Christi

CONTRA DEVM.

Secundi generis illegitimi sunt progenitores, qui sacrilegi dicuntur, quique Manizeres impijs congressibus suis procreant, de quibus Deuteronom. 23. capite Diuina Lex ita loquitur. Non ingredietur Manizer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem: Vouent enim castitatis votum Domino Deo suo, & non reddunt, Psalmo 75. Cùm expressè dicatur in lege: Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Displicet enim Deo infidelis promissio, sed quæcunque voueris redde. Multò melius est, inquit Sapiens Eccl. 5. non vouere, quàm post votum promissa non reddere. His congressib. se coinquinarunt nostro tempore Martinus

Anno Christi

Lutherus, & Martinus Bucerus duo illi monachi apostatæ, qui Veneris ęstro perciti, violato iureiurando quod præstiterunt, vt sacrilegam libidinem suam explerent, non quibusuis mulieribus, verùm eiusdem, cuius ipsi fuerant ordinis, hoc est, Nonnis, siue quis sanctimoniales appellare malit, quasi matrimonio coniuncti, authores fuerunt omnibus, qui corpora sua Domino consecrassent, & perpetuã professi continentiam, se voto castitatis obstrinxissent, quo & ipsi contra iusiurandi sui religionem perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiæ claustris, eadem se turpitudine contaminarent: Imitantes in hoc exemplo Venerem illam incontinentiæ fœminam, à qua nomen traxit omnis obscœnitas & libido. Hęc enim prima fuisse dicitur in Cypro author mulieribus, vt vulgò quæstum corpore facerent. Quod ideò scribit eam imperasse Lactantius Firmianus libro 1. cap. 19. ne sola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur. Verùm hoc de vna maxima specie progenitorum illegitimorũ, vota retractantium. Reliquæ duæ sunt, vbi nõ vt supra simile simili gaudet, sed vbi monachus cum seculari fœmina, vel monialis cum viro laico congreditur, atque contra votum castitatis connubia contrahit, sic

vt

vt quemadmodum illi contra seipsos & natura tripliciter peccãt, de quibus supra dixi, sic hi triplici quoq; congressionis genere sese coinquinant & contaminant contra Deum ipsum delinquentes, sacrilegi atque Manizares illi sequuntur, qui proximum suum adulterinis & fornicarijs contubernijs contristant atque iniuria afficiunt, seque supplicio ac pœna dignos reddunt. Anno Christi

CONTRA PROXIMVM.

Tertij generis illegitimi progenitores sunt vir, qui cum alterius vxore proles suscipit, vel mulier, quæ cum alterius marito fornicatur: vel denique, cùm non solutus cum maritata, vel vxoratus cum soluta, sed vbi maritata cum alterius vxoris marito concumbens duplicem iniuriam facit, tam suo marito quàm vxori alterius, atque ita vice versa: huius generis progenitores dicuntur adulteri, vel adulteræ, illius verò, vbi soluti vel solutæ intercurrunt cum matrimonio iunctis, fornicarij vel fornicariæ vocantur, de quibus sacræ literæ sic loquuntur Deuteronomion vicesimo secundo capite: Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adultera, & Deuteron. vicesimo tertio: Non erit meretrix de filiabus Israël: nec scortator de filijs Israhel. Sunt autem meretrices

quæ

Anno Christi

que legitimo marito suo relicto, alteri adhę ret, atque ob id pœnam supplicio condignā meretur, licet, vt Cyprianus inquit, hac in parte hominis duntaxat hæc vocetur adultera, illa autem quæ per votum Christi spon sa facta est, si cum viro reperta fuerit non ho minis mariti, sed Christi fit adultera. Verùm hęc de tribus illegitimorum progenitorum generibus quidē hactenus, de quibus apud nos Christianos melius sentitur, quàm apud gentiles. Si enim primū genus progenitorū consideras, inuenies apud historicos Persas, Medos, Parthos, alioſq; id maximè solenne & iustum eos connubiū habuisse, quod cum sanguine iunctis, sororibus, matribus & alijs consanguineis esset contractum: Alterum genus si perpendas, inuenies Rheam Monia lem votum professionis emissum violasse, Martemq; Deum gentium (quarum Dij ta men dęmonia in sacris dicuntur) ex ea Ro mulum & Rhemum progenuisse, quem cen tenis aliquot annis Aeneas apud Romanos prędecessit, cuius mater Dea Venus, pater verò Anchises fuisse fingitur. Tertium genus si respicias progenitorum, de quo dixi paulò ante, dicitur Alexander Magnus ex Olym piade Philippi Macedonis vxore & Ioue na tus, & ante eum Hercules ex Alcmena & Io ue. De hoc scilicet Hercule scribit Ouidius Metap. 9.

Nam

Nam quod te iactas Alcmena matre creatum, Anno
Iupiter aut falsus pater est, aut crimine verus. Christi
Matris adulterio patrem petis, elige fictum:
Esse Iouem malis, an te per dedecus ortum.

Ille verò, quem dixi, Alexander potius se voluit Draconis filium scilicet Dei Hammonis in specie Draconis apparentis, & spurium (sic namque omnes illegitimè nati sine patre per Sp. hoc est, Spurij nominantur) nuncupari, quàm Regis Philippi. Adeò vt Olympiadem Philippi illius regis vxorem narrent festiuissimè Alexandro rescripsisse filio. Nam cùm ipse ad matrem ita scripsisset. REX Alexander Iouis Hammonis filius Olympiadi matri Salutem dicit. Olympias ei rescripsit in hanc sententiam. Amabo, inquit, mi fili, quiescas, neque deferas me, neque criminere aduersus Iunonem malum mihi paratum, illa magnum dabit, cùm me literis tuis pellicem esse confiteris. Sed prætermittamus eos, qui ex dijs geniti & heroës clarissimi fuisse traduntur, cùm, vt Plinius inquit, dicere inter Deos cõnubia, aut adulteria proximè ad clemẽtiam accedat. Ad eos itaq; stylum conuertamus, qui ex hominibus, sed illegitimè sunt procreati: quærentes, an infames illi sint censendi, nec ne.

ILLE-

Anno Christi

ILLEGITIME NATI INFAMES ac turpes.

De illegitimis filijs inoleuit apud plerosque opinio quædam, vt eos turpes infamesque personas censeant. Scriptum est enim in sacris literis: Adulterorum filij abominatio sunt Deo: Et adulterinæ plantæ non dabunt radices altas, nec stabilem sedem ponent. Dixitq; Bonifacius Martyr, genus hoc nec bello forte, nec fide constans, nec dijs amicum esse. Quod & apertius Calixtus Pontifex cõprobans: Nos, inquit, sequentes patres nostros, infamia eos notamus, & infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt aspersi, & quoniam eos designare funestum est, reperimusq; hos lege veteri vsq; ad decimam generationem prohibitos ingredi Ecclesiã Dei, (vt ante diximus) & vt Paulus docuit immundi censentur, suntque tam Mosaica, quàm Pontificia ac Ciuili lege omninò detestãbiles: Vnde & Augustinus ait, Satius esse sine liberis defungi, quàm ex illicito coitu stirpem quærere. Ideoque Plutarchus in libello, quem de liberis educandis scripsit, id potissimum parentibus præcipit, ne se vilibus aut abiectis iungant mulieribus, quales sunt meretrices aut pellices, eò quod filijs ea re macula quædam adnascatur, quæ alijs carpendi causam plerumque afferant, sed curãdum maximè vt generis sui parentes legitima ia-

ma iaciant fundamenta. Sic apud Sopho- Anno
clem in μαστιγοφόρῳ Menelaus Teucrum ob- Christi
iurgat, quòd cùm spurius esset, ea sibi puta-
ret licere, quæ & ipsi legitimo. Hinc repre-
hendendi sunt ij, qui malunt se spurios ali-
cuius potentis patris nominari, quàm legiti-
mos filios alterius priuati: hoc enim impro-
batum fuit Herculi, quod se filium Iouis ex
Alcmena genitum prædicaret, de quo supra
ex Ouidio carmen attulimus. Hinc Pontifi-
cio iure, dignitates Ecclesiasticæ illis nun-
quam solent decerni, nisi prius eos Pontifex
aut qui id potest, legibus soluerit. Et si testes
aliqua in causa omni exceptione maiores re
quirantur, spurij attestatio idonea non erit,
cùm nec semiplenè probet, eademque ratio-
ne testes duo in causa criminali, quorum al-
ter spurius esset, plenam fidem non faciunt.
Hinc etiam cùm frater inofficiosum id pos-
set testamentum dicere, in quo turpis perso-
na instituta, si spurius aliquis à fratre fuerit
hæres relictus, licebit fratri testamentum il-
lud subuertere, imò etsi spurius legitimatus
à fratre esset institutus, adhuc querelæ locus
erit, quoniam ei post legitimorum iura im-
petrata facti infamia quædam adhæ-
ret, quæ sola licet leuissima ad
expugnandum testamen-
tum sufficit.

QVO-

Anno Christi

QVOMODO ILLEGITIMI PRAETEREA legibus & Doctoribus impugnentur.

Præterea intelligimus legem finalem de Iure deliberandi, ex nobili præsumptione de iusto filio, qui honestè potest filius nominari, qualis est filius legitimus, non de eo, in quem non decet, vel non potest disponere virtus agendi in splendoribus. Item lege in filium, de his quibus Spurios non esse ex matrimonio natos, ideoque conditionem liberorum tantam non comprehendere Spurios, cũ affectio legis non sit ad eos. Colligimus & ex lege si quæ Illustri. §. 1. Codice ad Orficianum. Honestius esse patrem habere legitimum, quamuis plebeiũ & pauperem, quàm quod sit filius illegitimus, maximè spurius seu adulterinus aut incestuosus patris excelsæ nobilitatis. Hi enim in priuilegijs consequendis minimè continentur, lege Iul. §. nec distinguitur, ff. de ritu nuptiarum, cùm non sint coniunctæ personæ c. nonnulli. De rescriptis, nec habeant iura sanguinis. nec etiam de domo sunt siue familia. §. vulgò inest de successione cognatorum leg. ex parte, & l. spurius. ff. vnde cognati. l. procurat. § familiæ. ff. de verborum significatio. Verùm hæc ex legibus. sequuntur ordine temporum quoque Doctores & interpretes

1200. Iuris, inter quos vixit anno 1200. Azo, qui in C.

in C. ex quibus causis infamia irrogatur, expresse Spurios huiusmodi declarat esse infames. BARTOLVS, qui vixit anno Christi 1350. in lege eodem. ff. ad l. Iuliam repetundarum, Spurios tabelliones ad Bancam, vt loquuntur, iudicis, hoc est griffiarios, vt alij vocant, fieri posse negat; qui & in l. finali. ff. de verborum significationibus, eosdē esse, neq; iure, neq; consuetudine de domo aut familia patris sui agnatione. BALDVS, qui paulo post, anno scilicet 1400. vixit, in c. quæ in Ecclesiam, colum. penult. extra de constitutionib. præter hoc, quod huiusmodi Sp. non solū malè natos, & cōmuniter malè nutritos, ac malè edoctos, eos dicit etiā esse rudes, indoctos & ab omnibus spretos, ex quo non nisi malē facere possint, in l. quoque cum legitimę nupt. ff. de statu hom. huiusmodi sordes inter præcipuos non mereri vt nominentur: & quamuis legitimentur, eos tamen assimilari hominibus, dicit, medicatis à morbo, in quibus semper remaneant cicatrices. Vnde quidā Franc. Zabarella, eos neque doctorari posse dicit, cū doctoratus sit dignitatis: licet idē in Clem. 2. de Magistris dicat valere cōsuetudinē, vt etiā non legitimati doctorētur, quē Felin. sequitur, in c. quanto, de Magist. PETRVS de Anhorano; qui vixit anno 1408. in consil. 290. in c. initio incip. Visis diligenter, tenet etiā Sp. nec iure, nec consuetudine, de domo, familia,

Anno Christi 1350. 1400. 1408.

Christi seu agnatione patris esse, quodque filius legitimè natus ex Spurio non possit dici nobilis, cùm nascatur ex radice corrupta, l. fin. C. de natur. lib. & si mater eius esset nobilis, eius tamen nobilitas obnubilaretur si nupsisset Spurio. DOMINICVS de S. Geminiano, qui vixit anno 1430. in c. statutũ,
1430. de Henric. in VI. Inter plebeios vult legitimos plebeios præferri etiam Spurijs nobilibus. & quando præferuntur nobiliũ filij popularibus in aliquo statuto, intelligendum est se tantùm de legitimis, quia vt idẽ refert Angelus in c. eodem, legitimi plebei præferuntur Spurijs nobilibus. GVIDO Papa quęstio-
1445. ne 5 & qui vixit anno 1445. dicit Spu. sustinere in Francia Barram à sinistris per mediũ campi armorum, vt hoc pacto discernerentur à legitimis, quia si à dextris barra inciperet & tenderet ad sinistram, nõ designaret genus illud infectum, sed esse de mattice domus, vt sunt illi de Borbonio, & illi de longo vico, qui habent Barram, quam vocant Azuream in campo rubeo. ANGELVS de Are. qui vixit anno
1457. 1457. Consilio 50. & 191. dicit Spurios nõ posse portare nobilium insignia, nisi esset consuetudo in contrarium, vt apud Francos, vbi Spurij ijdem non possunt arma portare domus, cum quadam tamen Barra per transuersum, quæ incipit à sinistris, & tendit ad dexteram. ALEXANDER de Imola, qui vixit anno

1470.

1470. in consilio 64. col. 4. in vol. non esse verisimile dicit, concedentem feudum, de Spurio reprobato, quia esset infamis, & de facto etiam legitimatus maneret infamis, in consilio 94. nec Griffiarius esse posset, consilio 80. incipiente, Examinato processu. 72. volum. FRANCIS. CVRTIVS in consilio 26. incip. clarus vir. colum. 6. dixit totum mundum abhorrere & detestari istos Spurios. IASON Mainus, qui vixit anno 1482. sequitur Baldum in c. 1. coll. 5. extra de constitut. & in l. acutiss. C. de fideicommissis, ac dicit legitimatos Spurios assimilari Alchimi. quæ faceret apparere, quod non esset. BARTHOLOMEVS Castanæus Burgundus, qui vixit anno 1533. parte 11. cons. 15. gloriæ mundi, dicit Spurios & turpare familiam, nec succedere, quia sordidi, quibus non communicatur dignitas tanquam indignis & ex peccato productis, quia essent reprobati, de quibus honor & beneficium non intelligeretur, ignominiosum illis esse patrem habere talem, cuius vitio Spurij vocarẽtur illegitimi, Adulterini aut incestuosi, quoniam dicerẽtur indecori, & ideo inhabiles ad ea, quæ in decore consistunt, vt ad dignitates. c. cùm indecorum. De filijs presbyterorũ, cũ in his, quæ sunt honoris & dignitatis atque decoris Spurij tanquam infames nihil prætendere possint, infamibus autem portas non patere dignitatum, qui nec testes esse possent,

Anno Christi 1470. 1482. 1533.

Anno Christi

sent, reputarentur, inter illustres præsertim, pro nihilo, hoc magnatum ac nobilium non nouisset consuetudo, idq; propter bonos mores obseruandos ac retinendos. Dicit præterea Castaneus idem, Spurios non posse fieri successibiles ex statuto vel consuetudine, idque in suis commentariis super consuetudinibus Ducatus Burgundiæ, vbi authoritatem Sacræ scripturæ Gen. 31. allegans, existimat tale statutum fore contra Ius diuinum. Hæc & similia Doctores passim affirmantes, Spurios viles, obscuros, infames, ac turpes haberi putãt, quę tamen vereor, ne illorum opinione magis, quàm certa sint vlla ratione recepta.

ILLEGITIMOS NON ESSE infames neq; turpes.

NAm ego quoad omnia, quæ dicta sunt atque allegata, contrarium esse sentiendum existimarem, tam de illegitimis, quàm de illis, qui natalibus iam sunt restituti. Cùm sciamus principis priuilegio, quamcunque maculam, si qua fortè inesset, semper aboleri, *l. 3. De natal. restituti, l. Imperial. §. 1. vbi Baldus. C. D. nuptijs*, nouumque honorem rursus gigni, ac verè legitimum quemlibet ita restitutum censeri, *l. 2. in fin. De natal. restit. Bart. Iaſ. l. ſi is, qui pro emptor. numer. 227. Decius conſ. 366.* Quod verò ad Spurios pertinet, cùm ad dignitates ciuiles possint peruenire, expressaq; sit ratio,

ratio, quoniam non est impedienda eius dignitas, qui nihil admisit. *l. Spurij De Decurionibus.* Crediderim & hinc satis probari, eos haud quaquam infames esse. *Afflict. Decius. 195. in fin. Capys decis. 22. num. 7.* Cū hi qui eiusmodi sunt, ab omnibus muneribus & honoribus soleant arceri *l. 2. C. de dignit. lib. 12. c. in fam. De regulis Iuris in 6.* Crimen paternum, Calistratus inquit, nullam maculā filio infligere potest, *l. crimen. De pœnis.* Sed idipsum ex adulterio aut fornicatione nasci, non filii, sed parentis culpa est: Ergo nulla filios inde sequitur infamia, cùm illa proprio tantùm, non alieno delicto contrahatur, *Bald. testimon. de testib.* Homines siquidem vndecunque prodeunt, Dei æquè filij sunt. *c. vndecunq; 56. distinct.* nec natales ipsæ quemquā vel minima vlla in re valet polluere, vt Chrysostomus præclarè inquit, *c. nūquam, eadē distinctione.* Vnde nec quis illorum singulare certamen iure potest detrectare. *Alciatus in Duello, cap. 19.* Cùm tamen infames ac sordidi ab ea militia repellantur. *Paris put. de re militari lib. 7. cap. quod in principis digni.* Tradunt Diuus Hieronymus & Scriptores sacri, *c. dominus 56. distin. Abb. c. per venerab. qui filij legitimi num 5.* CHRISTVM, quo nil maius diuiniusq; dici potest, ex Adulterino stipite originem ducere voluisse, vt inde ostenderet quàm falleretur, quisquis tale hominum genus ceu vile ac turpe reiiciat, notentque hi, qui historias ab origine

Anno Christi

Anno Christi mundi legunt, artes omnes & scientias, ab huiusmodi sobole, à filijs scilicet Lamech fuisse inuentas, & ab eis subtiliora omnia & vtiliora excogitata: Memoranturque plures integerrimæ & sanctissimæ vitæ viri, his & ipsi orti initijs Nam & Iephte inter sanctos Apostolos verè numeratus. *dict. c. nasci in fine.* meretricis fuit filius. *Iud. c. 11.* Et Albanus Martyr ex incæstu patris cum filia natus dicitur *à Gabriele Paleoto 55. cap.* Et Salomonem illum, quem Sapientissimum è cælo diuinitus demissum omnes sunt admirati, multi credunt illegitimum fuisse, vt infinitos præteream, ex quibus infra quosdam referam, quorum singularis prudentia & probitas, apertè poterit nobis declarare, nihil quemquam ex his natalibus magis aut obscurari, aut illustrari.

SED dicet aliquis, num sępius expressum habemus infamia eos quàm maxima laborare, & dijs infensos esse, vt supra latius retulimus? Ad hæc respondent quidam *Iason Consi. 71. num. 1. Cagn. l. 1. de inofficios. testam. 14. & in l. si qua C. Ad Orfician. num. 8.* Ea de Spurijs tantùm intelligenda esse, non verò de naturalibus (de quibus paulo post etiam tractabimus) qui cũ extra legis pœnam sunt. *l. 3. de Concubinis.* nulla etiam labe aspersi dici possunt. Sicque sentiũt hi, Spurios quidem infames esse, naturales autem ab omni planè macula esse seiunctos. Ego verò cùm Quæstio nostra de omnibus non legitimè

gitimè natis, præcipueque Spuriis sit, quos infames non esse, volumus probare. Ad omnia supradicta, & si qua huiusmodi reperiri possunt, longè aliter, & absque vlla distinctione respondeo, cùm non ego, sed Gratianus potius, qui in libris Decretorum compilandis, vbi Canones aliquot obscuriores offenderet, egregiam etiam in iis interpretandis operam nauauit. Cuius autē hæc verba sunt, cū de Spuriis loquitur, & supra allegata refert Decreta, inquit enim *in c. Cenomanensem in fi. 56. distinct.* Quòd legitur Adulterorum filij abominatio sunt Deo, hoc de filiis Adulterorum intelligē dum videtur, ad quos paterna flagitia, hæreditaria successione descendunt. Et alibi. *c. 1. §. 1. eadem distinct.* Sed hoc intelligendum est de illis, qui paternæ incontinentiæ imitatores fuerunt. Eandem interpretationem secutus est & Innocentius III. cuius & hæc verba sunt *c. nisi cum. §. personæ, De renuntiat.* Quod scriptum est. Ego sum Deus Zelotes, vindicans peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem, in his, qui oderunt me, intelligitur, id est, in illis, qui contra me paternum odium imitantur. Vnde & Augustinus *c. vndecunq; 56. distinct.* Vndecunque homines nascuntur, si parentum vitia non sectentur, honesti & salui erunt, semen enim ipsum per se non malum est, sed malè vtentibus tantùm graue & exitiosum. Quibus quidem ex locis con-

Anno Christi

Anno Christi

ſtat, Spurios eos tantùm à iure notari, qui hæreditaria quadam ſucceſſione paternas ſordes referunt: Cæteras verò tales minimè cenſeri, cùm initio quilibet natura bonus producatur. *Felin. c. dudum. de præſum. nume. 14.* infamia verò bonitati *Bar. l. 1. de infam.* repugnet, & cõſequenter naturæ vniuſcuiuſque conditioni. *Bart. c. cùm deputati, De Iud.* Quò fit, vt qui Spurius naſcitur, ex ſe quidem infamis dici non poſſit, quia natura quemlibet bonum procreat, minus quoque talem à patre notam contrahere, quia crimen paternum nullam maculam filio inurit. *l. crimen de pœn. inuito ar. l. ſi is qui. §. vtrum. De rebus dubijs.* Ergò Spurij turpitudine nulla notati initio intelligẽtur, niſi proprijs deinde flagitijs inquinauerint, prout contraria argumenta teſtantur, vt quidam ex Italis ſcripſiſſe videtur. *Marſ. ſing. 275. ver. ſimile tamen.*

NOLIM tamen idcirco exiſtimet quiſpiam, hoc à nobis omnibus, quod aiunt, numeris abſolutis, perinde ac legitimos cenſeri. Sat enim notum eſt, Pontificio Iure non poſſe ad ſacros ordines adſciſci, niſi legib⁹ ſoluti ſint, quoniam, vt Innocentius Pontifex ait, licet nó inſit nota delicti, deficit tamẽ in his quiddam, ob quod ad ſacra non ita facilè queunt promoueri. *c. accedens de purg. can.* Sed id ego contendo, non ideo hos infames dicendos, nec facti quidem infamia, quod ea ex proprio aliquo

aliquo delicto oritur. *l. cognitionem. §. 1. de vārijs extr. rem. Bald. c. testimonium, de test.* Hi aliena laborant culpa *l. legem. C. De natural. liberis.* Illa cū primùm ignota est infamia, dici nequit. Nec enim vnquam latet, *Bald. d. c. testim.* horum plerunque natales quales sint, ignorantur, cùm tamen reuera Spurij sint. Ea rescripto principis deleri haud vnquam potest. *Abb. c. cum tedere Iud. ff. num. 9. Fel. d. c. num. 14. Bald. l. Cassius. De Sena. num. 9.* Hi cùm natalibus restituuntur, omnem prorsus eluunt labem, efficiuntur siquidem non fictè, sed verè ac propriè legitimi. *l. Imperialis §. 1. de nuptijs Decurionum 10.* Vel si eos indigniores fatear, id tantùm Iure pontificio permittam, *Card. c. 2. 56. distinct.* Sed iure Ciuili, quis id concedat? cùm in infamium Catalogo *tot. tit. ff. &* C. nuspiā numerentur. *De nuptijs.* nuspiam à testimonio ferendo repellantur. *Capy. decis. 22. num. 7.* Et in Decurionū ordinem allegantur. *l. Spurij de Decur.* ad quem plebeios non licet ascendere. *l. homines §. is qui, eod. tit.* & ius prouocandi habeant quemcunq; ad singulare certamē, *Alciat. c. 9. in Duello.* & milites esse non prohibeantur, nec feudum acquirere. *Cap. sup.* quæ omnia turpibus personis permitti nō solent. Quinimò cùm hic iure, is qui filium ex Concubina, meretrice aut ancilla procreat, nullam ideò maculæ notam incurrat, nisi fortè vxorem habeat. *Decius Cons. 130. Alb. l. 1. §. Iuris dist. de Iust. & Iur.* quod & ipsū

Anno Christi

Anno Christi

dubium est. *Glos. l. palam §. quæ in, De ritu Nuptiar. Tiraquel. de leg. com. pag. 6.* Cur velimus deinde tales liberos infames censeri, cùm author eius cõiunctionis ab omni nota immunis sit? Nonne enim iniquum & absurdum satis esset patrono ita coeunte, partim tamen eum criminosum esse. *Contr. l. principatu. c. cum Paulus q. 1.* cùm infamem esse quædam sit pœna, eò quòd multa ei interdicit, ad quæ cæteri possunt admitti. *Dyn. & Anch. c. infamis. de Reg. Iur.* Quis dicat pœnam ibi esse, vbi nulla Spurij culpa præcessit, *c. non offerimus 24. q. 1 l si pœna. De pœnis.* Fateor id quidem, & hoc iure, nescio quid in his desiderari, cùm non æquè ac alij legitimi fulgeant, sed nõ id infamiæ & turpitudini vlli fuit ascribendum, quin naturę potius cuidam inclementiæ, quæ tales eos produxerit. Sicuti & de fœminis dicere possumus, quarũ conditio multo est quàm masculorum deterior. *l. in multis. De statu homi. l. 2. De Reg. Iur.* Et potentiorum melior quàm humilium. Non enim hoc vllo eorum crimine, notaue contingit, sed quòd ita publici officij ratio exegit, vt inter hominum gradus, quidam honestiores, alij inferiores haberentur. Id quoque & in illegitimis accidit, qui pari iure cum legitimis quidem censeri non possunt, sicuti nec rustici cum ciuibus, plebei cum patricijs, iuniores cum senioribus, sunt conferendi, in quibus tamen nihil ideò turpitudinis esse arguas. Hinc

ad

ad Decurionatum Spurij admitti non solent, si competitorẽ habeat legitimo loco natum, *l. generaliter. §. Spurius, De Decurionibus.* Hinc iuramentum iusto potius teste, quàm Spurio deferendum dicunt. Sic vel leuis iunior alicuius illegitimi vitæ maiorem semper suspicionẽ solet inijcere, quàm si illud idem publicè de aliquo legitimo prædicetur. *Ang. cons. 284.* Hinc etiam Baldus dixit, fratrem minimum legitimum, fratri maiori, quamuis legitimato esse præponendum, atque hunc illi vel in via, vel in mensa, aut quocunque alio in loco, cedere debere. *Bald. c. perpetuus. De maio. & obedien.* Et generaliter quoties Spurius cum legitimo concurrat, æquis iudicijs, legitimorum causa potior haberi solet. Anno Christi

QVOMODO ILLEGITIMI præterea exemplis defendantur ante legibus, ac Doctoribus impugnati.

QVod Illegitimi non sint infames aut turpes æstimandi, ex ijs insignibus patet viris, quorum nomina mihi inter legendum historias tàm sacras, quàm prophanas occurrũt, idq; non tantum post, verùm etiam ante natiuitatem Christi existentes, qui vel belli gloria, vel literarum studijs, aut aliis vitæ generibus claruerunt, vnde facilè possit intelligi, in omni-

Anno Christi omnibus rebus, quæ maximæ & præclarissimæ inter homines habentur, illegitimorũ virtutem valde emicuisse, nam vt ex veteri testamento primùm exemplorum seriem repetamus, videmus Cainum & posteros eius, Henoch, Irad, Mauiel, Mathusaël & Lamech, omnis generis opificia, & artes præ cæteris excogitasse. CAIN ædificauit antiquissimam ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui Henoch. LAMECH, qui duas accepit vxores, genuit ex Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, & fratrem eius Iubal, qui pater fuit Cythara canentium & organo: ex Sella verò altera vxore genuit Tubalcain, qui malleator fuit, & faber in cuncta opera æris & ferri. ISMAEL natus Abrahamo ex ancilla Agar erat militaris homo ferus, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum, fixitq; è regione vniuersorum fratrum suorum tabernacula: Huic benedixit Deus, auxit quoque & multiplicauit eum valde, sic vt duodecim Duces generaret, & factus esset in gentem magnam. GAD & ASER fratres, quos ex vna ancilla quoq; Zelpha suscepit Iacob, Abrahæ nepos; item DAN & NEPHTALI, quos idem Iacob ex altera tulit ancilla Balam, licet illegitimè procreati essent, inter duodecim tamen nihilominus tribus Israel computati sunt. PHARES & ZARE fratres, quos Iudas filius Iacob ex nuru sua Thamar meretri-

Gen. 4.

Gen. 16. 17.

Gen. 30. 31.

meretrice procreauit, nonne sunt illi, à quibus consequenter Linea vsque ad Dauidem, & ab hoc ad Christum, vsq; generationis per Matthæum Euangelistam deducitur? si enim ab eodem, quem dixi, Pharez ita numerentur generationes. 1. Pharez, 2. Esrom, 3. Aram, 4. Aminadab, 5. Naasson, 6. Salmon, 7. Booz, 8. Obed, 9. Iesse, 10. Dauid, rectè incidimus in decimam illam generationem, de qua Moses in lege sic dicit, nõ ingredietur Manizer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini vsq; ad 10. generationem. ABIMELECH filius ancillę, nonne oẽs fratres illius, habitatoribus Sichẽ persuaserunt, vt cõstitueretur Rex super eos, dederuntq; illi 70. pondera argenti de phano Baalberit, vt pugnaret pro illis, & animam suam daret periculis, vt erueret illos de manu Madian? IEPHTE Galaadites filius mulieris meretricis, vir fuit fortissimus atque pugnator, à maioribus natu de Galaad, vocatus in auxilium sui de terra Tob, ad eum dicentibus; veni & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Quibus respondit, Si tradiderit Dominus filios Ammon in manus meas, ero ego vester Princeps? Qui respõderunt ei, Dominus qui hęc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus, acceperunt igitur illum in Principem, quem antea eiecerunt fratres, dicentes. Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre,

Anno Christi

Deut. 23.

Iud. 9.

Iud. 11.

Anno Christi matre, scilicet meretrice natus es. His nō obstātibus, Iephte in nouo testamēto inter summos viros ibidēhoc modo computatur. Deficiet.n.me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel & Prophetis, qui per fidē deuicerunt regna, operati sunt iustitiā, adepti sunt repromissionē. Atq; hæc quidē exēpla sunt de illegitimis illustria ex sacris literis apud Hebrēos, veniamus nunc ad Grēcos, apud quos illegitimè nati belli gloria, ingenio, doctrina atq; eruditione excellue runt.

Hcb. 11.

HERCVLES apud Græcos omnium illegitimorum princeps, breui tēpore priusquā apud Iudēos Saul rex designatus est, tū temporis vixit, qui (licet Spurius ex Alcmena, vt alibi diximus supra, natus) tamē ante alios principes, imprimis propter heroicas virtutes cōmendatur. Nam cū Minyę, qui tū potentia celebres erant, & in Orchomeno vrbe regnabāt, oppugnarent vrbem Thebanam, Hercules repulsis hostibus tutatus est eam, & oppidū Orchomenon cepit, cuius Imperium tum etiam esse desiit. Vrbs ea opulentissima fuit, cuius apud Homerum etiā magnæ laudes extāt propter diuitias. Hæc victoria primùm Herculi magnum nomen parauit, adeò, vt postea alij in Græcia Principes se vltrò ad eum contulerint: proinde vbique pacis authorem se præbuit, principibus & vrbibus opem tulit, iniu-

stē

ſtè facta vindicauit & coercuit, & erga illos, quos adiuuerat, magna clementia vſus eſt, neque illis impoſuit vllum onus, quod tolerare non poſſent. Hæc ſunt propter quæ tantam laudem meruit, quantam nemo ex Principibus alius. Poſtea in Aſiam profectus, regé Troianũ Laomedonta vicit & occidit, ſed in hac victoria, regia planè moderatione animi vſus eſt. Nã ſeruauit regnũ, neq; voluit delere, ſed eius poſſeſſionẽ Priamo, vtpote vero hæredi, tradidit, anno mundi 2741. Præterhæc & mare in Italia & Hiſpania tutũ reddidit à piratis, eamq; ob cauſam in extremo littore Hiſpaniæ & Aphricę duos ſcopulos erigi iuſſit, quos columnas Herculis in perpetuã illius memoriã, etiamnũ adhuc appellamus, & Carolus V. Imperator inuictiſſimus, has dũ viueret, tanquã peculiaris inſignis loco habuit, cũ hoc inſcriptionis ſymbolo PLVS VLTRA, ſed de his plura, in Topographica atq; hiſtorica Reginæ Auſtri, ſiue Europę deſcriptione plura diximus, ad Homerũ progrediamur, qui, vt Hercules belli virtute, ſic ingenij ac doctrinæ gloria apud Græcos emicuit. Anno Chriſti

HOMERVS inter illegitimos apud authores numeratus, ſapientiam & eruditionem ſuã carminibus & ſententiis ita complexus eſt, ſcilicet, poſt Troianum bellum, anno 160. poſt orbem conditum verò anno plus minus 3150. vt quanquam in Republica regenda non fue-

ris

Anno Christi

ritpotens, tamen cum maximorum Principum totius Græciæ consuetudine vsum esse appareat. Nam omnium ferè principũ genus & originem rectissimè descripsit, & libri eius omnium negotiorum ciuilium & heroicarum virtutum planè speculũ sunt. Depinxit enim omnia, quæ in regenda Repub. accidere possunt. Præterea & quod officium sit principũ, & summorum hominum inter se in consiliis, atque in aliis negotiis quibuscunque tandem tractandis ita proposuit ob oculos graphicè, vt videri possit in omnibus consiliis, & in maximis quibusq; causis imperiorũ agitãdis esse apprimè exercitatus. Proinde nullius vnquã poeta scriptũ tam immodicis laudibus vexerunt sapiẽtissimi authores, atq; Homericũ carmen, q̃ nunquã sibi Alexander Magnus (quẽ illegitimum quoq; scriptorũ quidã ęstimant) è manib' excidere passus est, vt haberet ex quo de officio, & virtutibus præstãtissimi regis institueretur & admoneretur: Taceo DEMOSTHENEM oratorẽ & THEMISTOCLEM apud Græcos pro Spuriis habitos, viros aliãs excellentissimos, venio ad Romanos.

ROMVLVS ex Rhea Syluia perpetuo castitatis voto addicta, atq; in Vestaliũ virginũ consortium detrusa, cum fratre Remo natus est, illegitimorum atque Spuriorum apud Romanos Princeps, hic fratre occiso, solus imperio potitus est, à quo & vrbs Roma est appel-

appellata. Hinc iam apparet, ex posteris Aeneæ conditam esse Romanam vrbem. Syluia enim mater Romuli ex AEnea, de quo supra diximus, originem habet. Cæterùm cùm ignoraretur pater Romuli, ob honestiorem prætextum culpæ, finxerunt Martem Deum Romuli patrem esse. Quo pacto autem Imperium instituerit Romulus, & quæ bella gesserit, Liuius adnotauit: ego ad TVLLVM Hostilium progredior, qui licet spurius etiam fuerit, tamen inter reges Romanorum computatur, qui belli gloria clarus, Albam euertit, & Imperatorem eorum Metium Suffetium, qui fœderis initi ruptor fuerat, digno supplicio affecit, dedit enim in eo puniendo insigne documentum hominibus, quomodo proditores puniri oporteat. Nam distentum inter duas quadrigas ligari, & equis in diuersum concitatis, discerpi ac lacerari iussit. Anno Christi

Cessauit tandem regnum Albanum, & euersa Alba veterum Troianorum posteri, imprimis Iulij, ab Iulio filio AEneæ exorti, Romam profecti sunt, relicta Alba, qui postea potentiores facti apud Romanos, tandem totam Monarchiam soli receperunt Iulij Cæsaris temporibus. Sed de spurijs, qui fuerunt apud Hebræos, apud

Anno Christi

Græcos, & apud Romanos inter præcipuos ante Christum quidem hactenus, quos spurij nomine olim non cõtemnendo sic appellō: fuerunt enim ex Romanorum consulibus, qui certis temporibus sibi inuicem succedẽtes, spurij nomine prępositō gaudebãt, veluti anno post vrbem Romam conditam 245. Consul Spurius Lucretius, anno 248. Spurius Largius Rufus, 252. 261. Sp. Cassius Becillinus, 266. Sp. Nantius Rutilius, 273. Spurius Furius Medillinus, 278. Sp. Seruilius, 288. Spurius Posthumus, 298. Spurius Virginius, 300. Spurius Tarpeius Capitolinus, 307. Sp. Herminius Centimanus, 421. & 431. Sp. Posthumius Albinus, 460. Sp. Caruilius, 580. Spurius Posthumius Paulus 606. Spurius Pophinus Magnus, 735. Spurius Lucretius Cinna, qui Consul fuit ante Christum natum anno 17.

Post natum verò Christum fuerunt spurij siue illegitimi, qui non tantùm in Ecclesia veluti Pontifices summi, Cardinales & Episcopi, verùm etiam in Reipublicæ politica quoque administratione, vt Imperatores Romani, Reges, ac Duces præfuerunt, nihil impediẽte illegitima illorum origine, quorum nomina egregijs eorum meritis, literarum monimentis digna breuiter subijciemus. Ex summis PONTIFICIBVS fuerunt Dionysius primus an. Christi 267. Bonifa-

Bonifacius anno 422. Ioannes, qui Landoni succesit anno 916. Sergij P. & Maroziæ ex adulterio filius, hic spiritus magis militares, quàm religioni deditos gerens, sedit annos tredecim, menses 2. Nicolaus tertius anno 1277. Innocentij octaui filij anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, & Clemens septimus, qui anno 1527. cũ à Duce Borbonio Cæsaris Caroli V. exercitus Romam perductus esset, vrbeque obsessa, capta, ac direpta, Dux in oppugnatione sclopo percussus interijsset, Pontifex obsidionis necessitate coactus in Angelica arce captum se dedit Cæsarianis, sed eum pro singulari clementia sua liberum dimisit Cæsar, ac pristinæ dignitati restituit, vt Christiani orbis publicę tranquillitati consuleret. Ab eodem hoc Clemente septimo Carolus Cæsar tandem anno 1530. vicesimo quarto Februarij imperij insignia accepit solenni quadam magnificentia & apparatu. Sed hæc de Pontificibus Romanis, quorum præterea plures alij fuerunt, qui licet essent Spurij & illegitimi, propter eorum tamen excellentes virtutes ad apicem Papatus deuenerũt, vt Gelasius ex patre Episcopo natione Afer. Agapetus natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, Osius, &alij, de quibus habetur 16. distinctione ferè per totum, & in c. Osius ibidem. Ex CARDINALIBVS Cæsar

Anno Christi

Anno Christi

Alexandri sexti Pontificis filius primò Cardinalis, inde Dux Valentiæ, & alter Laurentius Cibo Cardinalis. Ex EPISCOPIS Dauid Philippi Boni Ducis Burgundiæ filius, Episcopus Vltraiectinus. Georgius ab Austria Maximiliani Imperatoris huius nominis primi filius, & Henricus Episcopi Leodiensis, Iohannes Mattheus Episcopus Veronensis. Atque hi quidem in Ecclesiastica administratione: in Politica verò sunt, ex IMPERATORIBVS Heliogabalus anno 221. Alexander Seuerus anno 225. Aurelianus Cæsar 272. Galerius Maximianus anno 307. Constantinus, vt quidam volunt, Magnus 309. Crispus Constantini filius, Arnolphus anno 891. qui primùm Morauos vicit, deinde Nortmannos, qui iam ex Gallia reuersi, ad Rhenum vsque peruenerant, victi à Cæsare Normanni Christianam fidem amplexi sunt, postea, vbi Dux Spoletanus VVido per tumultum Cæsar esset creatus, in Italiam profectus Arnolphus, magna vi Romam cepit, & à Formoso Pontifice coronatus est. Sequuntur ex REGIBVS illegitimè natis Gensalericus Hispaniæ ann. 428. item Mauregatus. Deinde Rainutus Arragoniæ 825. Athelstanus Rex Britanniæ, & Arnoldus. Rex Frãciæ Clodoueus 1. vt quidam dicunt. Carolus Aquitaniæ & Burgundiæ rex. Entius Sardiniæ Rex Friderici 2. Imp. filius,

filius. Fridericus Antiochiæ Princeps, quem alij regem Tuiſconum volunt. Ferdinandus rex Neapolitanus ex Alphonſo rege Arragoniæ. Guilielmus ex Roberto rege Normandiæ, qui Arnoldum Britanniæ regem occidit. Henricus rex Siciliæ & Tancredus Ioannes rex Portugalliæ, Ferdinandi filius. Iacobus rex Cypri. Lamuſius rex Longobardorum. Ludouicus rex Franciæ Ludouici Balbi filius. Munfredus rex Neapolitanus. Sigiſbertus Normandiæ rex. Vologheſius Rex Parthorum. Zenobaldus Lotharingiæ Rex Arnolphi Imperatoris filius. Ex DVCIBVS Alexander Medices Dux Florentiæ. Borſius Dux Ferrariæ. Cromunus filius Ducis Britonum, qui cum Clotario conflixit. Theodoricus Gottorũ Dux. Vrſus Vrſinus duos quoq; filios illegitimos reliquit, Nolę & Aſcoli Duces. Hi propriam conditionem, primæuumque ſtatum ſuum ęquo animo tulerunt, & qualis in ipſis natalibus illis contigit, benignè ſuſtinuerunt, ſuarumq; virtutũ ſplendore natalium originum tenebras offuderunt, atque ob id apud bonos viros in nullo eſſe contemptu, nec legitimis quibuſdam inferiores eſſe iudicantur, imò fortè etiam ingenioſiores & ſolertiores eſſe ex Grę-cis quidã & noſtratibus affirmant: hinc Stat. Vidi ego, inquit, tranſertos alieno in robore ramos Altius ire ſuos. Et Euripides, Ex no- Anno Chriſti

Anno Christi

bis, inquit, spurios nasci non turpe putandũ est: Fac namque ingenio valeãt, fac moribus, ipsam haud vnquam poterit inuertere naturam.

DE NATVRALIBVS PROGENITORIBVS, atq; natis ex ipsis.

QVAE de illegitimis paulò latius hucusque explicauimus, ea intẽtione sic fecimus, vt contraria iuxta se posita, hoc est, legitimi progenitores atque progeniti, de quibus in 3. 6. illis tertiæ Thesauri partibus egimus, magis ac clarius eluceſcerent: si enim in illegitimis tantæ virtutes emineant, quantas ex legitimis expectare debemus? Fortes enim (vt inquit Horatius libro carminum 4. Ode 4.) creantur fortibus & bonis. Est in iumentis & in equis patrum virtus, neque imbellem feroces progenerant Aquilæ columbam. Adde, quod, vt Faustus regius scribit poëta:

Est aliquid clarus magnorum splendor auorum,
Illud posteritas æmula calcar habet.

Et Virgilius ante eum adhortatur inquiens:

Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorũ
Et pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Sed,

Degenerant homines, vitijs fiuntq; minores,
Exaltat virtus nobilitanda genus.

Ferunt

Ferunt Sardanapalum legitimum quidem & claris ortum parentibus sedentem in corona impudicarum mulierum omne turpitudinis genus exercuisse, adeò, vt vnus ex ijs, quos supra recensui, illegitimus, illi non immeritò præferendus nobiliorque censendus sit. Anno Christi

Ouidius Sardanapalum hunc sic alloquitur:

Non census, nec opes, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos ingeniumq; facit.
Virtus nobilitat animum, virtute remotus
Migrat in exilium nobilitatis honor.

Item Iuuenalis.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
AEiacide similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quàm te Thersite similem producat Achilles.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea (inquit Ouidius) *nostra voco.*

Ferunt præterea Paridem Troiani regis filium, quantumuis legitimum, Menelai tamen Principis Græcorum vxorẽ Helenam abduxisse, id indignè ferentes Principes & ciuitates omnes in Græcia, cõspiratione facta, ad Troiã profecti sunt, & integro decennio exacto, tandem Ilium vrbẽ Troianorũ expugnarunt: & occiso Priamo rege Troianũ regnũ extinctũ est. Nonne legitimo huic Paridi illegitimus Corn. Sylla præferẽdus erat, qui

Anno Christi ex Nicopolis meretriculæ sinu assumptus, à Romanis Imperator designatus est, vt in Asia aduersus Mitridatem bellum gereret, vbi magna negotia confecit, vicit Mitridatem, & Athenas vi occupauit, ac totam Græciam plurimasque alias regiones subegit, reuocatus ex Asia reditum maturat, & subsidium fert Senatui, Tribunorum plebis authoritate abrogata, qui semper multitudinis accendere solebat animos aduersus Senatum. Hic illegitimè natus Sylla, nonne meritò anteferendus censebitur legitimo Paridi, qui adulterio suam obscurauit originem; Sylla autem obscuræ natiuitati rectè agendo claritatem adduxit? Atque hæc sunt, quæ in vtramque partem de legitimis & illegitimis progenitoribus hactenus retulimus: sequitur quomodo naturales progenitores ab illegitimis differant, præterea & quomodo cum legitimis ijdem conueniant, dicamus, priusquam cum mystica Iosephi Genealogia Paralipomena nostra concludam.

NATVRALES PROGENITORES IN quibus ab illegitimis differant.

Tres sunt literæ obseruandæ, quibus naturales ab illegitimis discernũtur, nimirum S. V. M. prima litera S. sanguinis rationem denotat, in quam naturales nequaquam impingunt; sed illegitimi duntaxat, qui si coeant cum ascendentibus vel descendentibus, nepha-

nepharij dicuntur, si autem cum collateralibus, incestuosi. Secūda litera, scilicet V. votum innuit, quo se obstringunt, qui perpetuam castitatem iurantes, postea à voto recedunt, quod naturales nequaquam faciūt, sed vtrinque liberè coniunguntur, ac de Iure licitè. Vltima litera M. Matrimonium significat, quo sese astrinxerunt vir & mulier, vt indiuiduam consuetudinem continerēt: verùm ab eodem vinculo recedentes quoq; fiunt Adulteri & Fornicarij, quemadmodū illi, qui à voto castitatis recedunt, Sacrilegi sunt effecti ac Manizeres Aduersus hæc quę diximus, si aliqui coierint: nec vir, nec vxor nec nuptiæ, nec matrimonium intelligitur. Itaque ij, qui ex eo coitu illegitimi sunt, ac tales, quales sunt ij, quos mater vulgò concepit, cùm & his pater incertus sit, vnde solēt spurij appellari, quasi sine patre filij: quo ad originem huius vocabuli Plutarchus scribit dictos fuisse SPVRIOS sine patre, duabus more Romano primis dictionum literis rem notātibus, videlicet SP. Græcè παρὰ τὴν σποράν & ἀπάτορες. Naturales autem sunt neque nepharij, neque incestuosi, neque sacrilegi, neque Manizeres, neque etiam adulteri vel fornicarij appellandi, quia huiusmodi sex dictiones tantùm spurijs conueniunt, qui contra precepta legis progenerantur, atque ob id à iure sunt reiecti: naturales autē dicuntur græco vocabulo NOTHI, qui

Anno Christi

Anno Christi

à lege nequaquam sunt reiecti: verùm de iure ciuili progenitores licitè cũ liberis personis iunguntur, tametsi vt legitimi inter se consuetudinem vitæ indiuiduam non habeant, corpora tamen coniunguntur, sed cætera vitæ munia separata sunt: sibi enim vnusquisque parat, sibi quærit, sua cuique libera voluntas est: Itaque concubina, inuito eo cui coniuncta est, poterit discedere, & alteri se in matrimonium, aut in concubinatum dare: quod vxori non licet, nisi iustis peractis, libello misso, & causa probata. Dicit enim Saluator Dominus noster Iesus Christus, quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, & alteram duxerit, mœchatur: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur. Quod ergo coniunxit Deus, homo nõ separet. Naturales autem seipsos, sed de iure ciuili licitè coniungunt, ideò nec illegitimi, nec spurij dici possunt, illi enim patrem habere possunt, hi autem non habent patrem, tam ob interdictum legis, quam præuaricarunt, quàm etiam propter incertitudinem eorum, qui vulgò concipiuntur: nam sunt de vulgò conceptis hi versus.

Cui pater est populus, pater est sibi nullus, & omnis:
Cui pater est populus, non habet ille patrem.

FAL-

Anno Christi

FALLITVR ALCIATVS, QVI *Naturales à spurijs non separat.*

NOthi siue Naturales, secundum Isidorum libro Etymolog. vndecimo, sunt illi maximè, qui ex matre ignobili, patre verò illustri progenerantur: dicunturque concepti, non à nota, id est, affine & consanguinea, neq; etiam à nota infamiæ. Nam quia Concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est, vt Marcellus libro septimo Digestorum scribit, & Martianus Iurisconsultus idem repetit *Codic. in concubinatu ff. De Concubinis.* Nothus græcum vocabulum est, quod adhuc nec Latinum nomen inuenit, vt Quintilianus libro tertio cap. 8. illamque appellationem in Pandectarum libris nullo quod meminerim in loco vsurpatam, nisi *Authent. de Nothis. Quibus modis natur. sui.* τῶν νόθων. Nothos eos hic intelligendos tradit Alciatus, paulò ante nostra tempora insignis Italiæ Iuris doctor, qui ex scorto susceptí sunt, qui apud nos, inquit, spurij dici solent.

Ego quos Nothos Iustinianus vult Authentica de Nothis, alias Quibus mod. nat. sui, eos procul dubio esse puto, qui verè

& pro-

Anno Christi

& propriè apud nos sunt Naturales, quod multis ex locis illa constitutione apparet. Sed ex eo maximè, quod sciamus id agere Iustinianum ibi, vt naturales tantùm filios agnoscat, eos, inquam, naturales, qui ex vero & iusto procedunt cócubinatu. Cęteros enim, qui non huiusmodi fuerint, ita vt naturaliũ nomine digni non sint, quoscunque penitus excludit Iustinianus Auth. de Nothis, §. finali: Quod de his loquens, quibus tantùm tale vult commodum impartiri, Nothos illos appellat, §. οὐ διαφερό μεθα & §. τελευταῖμ. Cur dubitamus, quin tali vocabulo dę veris naturalibus, nõ spurijs senserit, cũ inter eos differentiam constituat? §. vlt. dict. Auth. & §. ταῦτα ἡμῖμ φυσικοὺς & νοθοὺς naturalis. Vt Alciatus malè distinguat duplici vocabulo, idem sensit, quia phisicos nomen est gręcum non idem significans. Ergò fallitur Alciatus. Nothis, id est, naturalibus vult subuenire, & quod per subsequens matrimonium, vel per oblationem Principi vel Curiæ legitimorũ iura adipisci sancit.

Holoander nihil etiam inter naturalem & spurium putauit ibidem intereſſe, &c. sed à mente Iustiniani alienum, qui in pluribus suis constitutionibus, *Auth. de Trien. & semis.* §. *consideramus. Et quibus modis natural. legit.* & §. *fin.* & in ea hoc maximè contendit, vt naturalibus tantùm prospiciat, spurijs verò nec alimen-

alimenta quidem concedat, §. penult. & fin. Anno
Iam verò, nec huic meæ sententiæ verbi ip- Christi
sius Nothi repugnat significatio, cùm eo nomine comprehenditur (vt tradit Pollux lib. 3. Authent. quibus modis natur. sui) quicunque ortus est ex peregrina siue concubina. Non nego solere Græcos, spurios nostros Nothos nuncupare, cùm eo nomine quicquid non verum & legitimum est appellent, quæ quidem omnia & Innocentij Pontificis authoritate adiuuãtur, *c. nisi, § .persona De remun.* qui cùm Nothos & Manizeres nominasset, naturales deinde & spurios subiecit, quasi Nothi verbum ad naturales, & Manizeres ad spurios esset referendum, quod ex proposito alibi tradidit, *c. perso. venera. Qui filij leg. col. 9.* atque huic sententiæ videtur aptissimum. Differunt præter S.V.M. multis alijs modis spurij Nothis, quos breuitatis gratia (contentus his tribus) recensere non volui. Sequitur itaq; in quibus Naturales cum legitimis conueniant.

NATVRALES PROGENITORES in quibus cum legitimis conueniant.

DIximus antea, in tribus his S.V.M. literis, potissimum consistere differẽtiam, quæ est inter legitimos atque illegitimos siue spurios, quando scilicet progenitores illorum peccant, vel in Sanguinem proprium & naturam ipsam, vnde procreantur Nepharij

Anno Christi

rij inter ascendentes & descendentes, & incestuosi inter collaterales: vel peccât in Deum cui votum castitatis religiosè præstiterunt, vnde nascuntur Sacrilegi & Manizeres: vel peccant denique in proximum, Matrimonij Sacramentum violantes, vnde Adulteri & fornicarij dicuntur: Has appellationes sex in naturales nequaquam incidere palam est, vt antea diximus, vtpote qui ex illis progenitoribus nascuntur, qui soluti sunt nulloque vinculo, sanguinis, voti, vel matrimonij innodati atque connexi, sed prorsus liberi cum liberis personis, inter se copulantur & coniunguntur, vnde Naturales illi, quos Græci Nothos appellant, de iure licitè procreantur: de his itaque dicturi, quatuor ponamus litteras N. C. I. A. quibus vt antea per S. V. M. Illegitimos à legitimis separauimus, ita hic per ipsas 4. literas Naturalium cum legitimis conuenientiam ostendamus.

1. NATVRA.

Primùm itaque conueniunt Nothi cum legitimis ipsa natura, nam vt Iustinianus inquit §. *Ius Naturale Instit. De iure naturali Gentium & Ciuili.* Hinc descendit maris & fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio, &c sed ex nefario & incestuoso, seu damnato complexu, liberi, inquit alio in loco,

loco, *l. ex complexu in Auth. Quib. mod. col. 7.* nec naturales sunt nominandi, qui quidem naturales, per eundem Imperatorem Iustinianũ legitimis comparantur, sic dicentem. Neq; enim à principio quando sola natura sancie bat homines (antequam scriptæ promanarent leges) fuit quædã differentia naturalis atque legitimi, sed antiquis parentibus, antiqui filij mox vt procedebant fiebant legitimi, *Auth. Si quis. Quib. mo. nat. filij col. 6. item in Aut. illud enim Quib. mod. nat. efficiuntur sui, collat. 7.* Naturales autem huiusmodi specialiter excipiuntur, aliàs lex naturæ hæc est, vt qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur, *l. lex naturæ, ff. de statu homin.* Hic verò naturales liberi patrẽ sequuntur, vulgò quę situs aũt matrem sequitur. *l cùm legitim. ff. eod. tit.* Vulgò concepti à Modestino Iurisconsul to dicuntur, qui patrem commonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed eum ha bent, quem habere non licet, qui & spurij appellantur, *l. vulgò, ff. de stat. hom.* de quibus Iustinianus idem ita loquitur: Eos enim qui se mel ex odibilibus nobis, & propterea prohibitis nuptijs procedunt, neque naturales vo cari, neque participanda eis vlla clementia est: sed sit supplicium etiam hoc patrum, vt agnoscant, quia neque quicquam peccatricis concupiscentiæ eorũ habebunt filij, *Auth. eos enim. Quib. mod. na. fil. coll. 6.*

Anno Christi

11. Con-

Anno Christi

II. CONSENSV.

Deinde conueniunt naturales cum legitimis Consensu, qui tam in nuptijs, quàm in concubinatu de iure ciuili licito atque permisso requiritur, adeò vt Vlpianus dicat Iurisconsultus, Nuptias non concubitum, sed consensum facere. *l. Nuptias. ff. De diuersis Regulis iuris antiqui.* Concubinam quoque ex sola animi æstimatione æstimari oportere, inquit Martianus, *l. concubinam ex sola ff. de concubinis*, sic vt concubinam viro suo indubitato affectu coniunctã esse, sit necesse. Consensus itaque vtrimque tam in matrimonio, quàm in cõcubinatu requiritur, vt legitimè fiat ac licitè maris & fœminæ coniunctio, licet in Naturalibus progenitoribus, de Iure ciuili necessariò non requiratur. indiuidua vitæ consuetudo, sed liberè permittatur alterutri, à cõcubinatu, vel ad matrimonium cum alijs contrahendum, vel etiam ad concubinatum alterius transuolandi, prout necessitas & commoditas, vel etiam honestas ipsa, vtriusque dictauerit, vt patet ex titulo Iuris de concubinatu per totum.

III. IDENTITATE.

Tertiò conueniunt Naturales cum legitimis etiam in Identitate rationis, quemadmodum enim in matrimonio haberi non possunt, in quas stuprum committitur, sic Mar-

Martian⁹ Iurisconsultus cũ Attilicino sentit ac putat, solas eas in concubinatũ habere posse sine metu criminis, in quas stuprum non committitur, *l. 1. ff. de concubinis*, & meritò aliâs punirentur. Concubinatus autem extra legis pœnam est, vt supra diximus, cùm per leges nomen Concubinatus assumpserit, atq; vt in sacris quoque literis Concubinæ & vxoris nomen in eandem personam cadunt. Cetura. n. Abrahæ & vxor Gen. *25*. his verbis dicitur: *Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam, quæ peperit ei Zamram.* & etiam Concubina appellatur 1. Paral. 1. his itidem verbis. *Filij autem Ceturæ Concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Iecsan, Madian, Iesboc & Sue.* Ita vt Ceturæ filij non solùm naturales, verùm etiam legitimi sint Abrahæ filij, cùm Cetura & Concubina, & quæ est eadem quoque vxor dicatur. Perinde etiam vt quis binas de iure vxores habere non potest, sed alteram si habeat dimittere cogatur, ita quoque qui vxorem habet vnam, alteram Concubinam retinere non potest.

Anno Christi

IIII. AVTHORITATE legum.

Vltimò Naturales cum legitimis etiam Authoritate legis in hoc concurrunt, quod legitimati vel per subsequens matrimoniũ, vel per oblationem Curiæ, vel rescripto principis, alijs legitimis nequaquã inferio-

Anno Christi

res censeatur, de tribus. n. his modis expresse statuitur, quod his verbis sequitur, §. *aliquando, Inst. de nuptijs*, vbi dicitur, qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus, vt legitimi patris potestati subijcitur, nec non is, qui à muliere libera procreatus, cuius matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea (inquit Iustinianus) ex nostra Constitutione dotalibus instrumentis conceptis in potestate patris, vt legitimus efficitur. extat constitutio *in l. si quis, C. de naturalibus liberis*, Si quis liberos habeat naturales ex muliere libera, quę vxor ei poterat esse, dicat in instrumẽto siue publicè siue propria manu conscripto, habente subscriptionem triũ testium fide dignorum, siue in testamento, siue in gestis monumentis hos suos esse, nec adiecerit naturales: huiusmodi filij ei legitimi successores erunt. Et si vni ex multis filijs testimonium quodlibet ex prædictis modis prębuerit, cęteris ex eadem muliere natis ad legitimorum iura sufficiet. *auth. ille tamen hoc agat pro nostra col. 7. Quibus modis Natur. eff. sui.*

Huiusmodi naturales fuerunt olim apud Persas DARIVS Nothus Rex: & apud Germanos in Gallia quoque CAROLVS Martellus, de quo plura scripsimus supra *pagina 11. 22. 24.* Nostris verò temporibus Lazarus Schvvendius Maximiliano 2. Impe-

Imperatori intimus, de quo supra etiam pluribus actum est, *pagina 186. 187. 189. 194. 196.* Anno Christi

Item Ioannes ab Austria tot victorijs contra Mauros & Turcas præclarus admodum princeps, quem Rex Hispaniarum potentissimus Philippus 2. fratrem quoque charissimum appellare non est dedignatus, quantumuis Caroli V. naturalis duntaxat filius sit habitus, de quo plura retulimus supra *pag. 206. 208. 210.*

De illegitimis autem, siue, quod recidit in idem, de Spurijs supra etiam suis locis diximus, vtrum ne illi infames ac turpes dicendi vel æstimandi sint nec ne, quo lectorē hinc remittendum esse duximus, breuitatis causa his tantùm subiectis, quos præter antea nominatos insuper apud rerum scriptores inuenimus, hicque tumultariè, alphabeti tamen ordine obseruato, nominibus suis expressimus, quales fuerunt imprimis AENEAS, q. ex Venere Vulcani vxore & Anchise, coitu adulterino conceptus processit, & ex quo se Romani natos gloriantur. ARTAXERXES, qui imperium Persis restituit. ARIDEVS ex Philippo Macedonum Rege. AMALECH, à quo Idumea dicta est terra Amalechita 1. Reg. 15. ALBANVS martyr ex incestu patris cum filia. ANNIBAL Bentiuolus Ioannis I.

Anno Christi filius. CIDRELLVS, qui Mauntem vrbem extruxit. CHRISTOFERVS Longolius Orator insignis. CAELIVS Calcagnius. ERASMVS Rotherodamus: & ex mulieribus illegitimis etiam ELIZABETHA Angliæ regina, quæ constante adhuc matrimonio inter Henricum 8. & Catharinam Arragoniam, ex Anna Bolenia nata est, de quo supra quoque plura retulimus *pagina 249. & sequentibus*. ELIZABETHA altera mater Domini De Praet, aurei velleris Equitis. FRIDERICVS Princeps Antiochiæ. GOLIATH ille Spurius, qui cum Dauide singulari certamine est oppressus, 1. Reg. 17. Gnopus, qui Entiam ciuitatem ædificauit. GRATIANVS compilator Decretorum Iuris Canonici. IVGVRTHA rex Numidarum. IOANNES Andreas Iurisconsultus. Ioannes Sforcia Pisauri Dominus. IASON Mainus Iurisconsultus Mediolanensis. LYRCVS, à quo Lyrcia vrbs condita. OEDIPVS, qui ob id Corinthum reliquit, aliò proficiscens peregrè, quòd ei probrum obijciebatur, quia Spurius esset. PETRVS Lombardus Theologus. POMPONIVS Lætus, teste Sabellico in eius vita ad Mauronum SIGISBERTVS, de quo in 2. parte Thesauri Principũ egimus *pag. 22. & 23.* & TEVCER apud Græcos, quem Menelaus obiurgat, quod cũ

Spurius

Spurius esset, ea sibi putaret licere, quę & ipsi legitimo. Alexãder verò Magnus, de quo etiam antea diximus, potius Draconis filium, scilicet Dei Hamonis in specie Draconis apparentis, & Spurius nuncupari voluit, quàm Regis Philippi filius. Sed de illegitimis & naturalibus ad illustrãdas legitimorũ xxxv. tabulas tertiæ partis Thesauri Principũ quidẽ hactenus Adijcitur autem ibi tabula xxxvi. vt cognoscamus aliquando in prosapijs sibi quosdam assumere patres, qui tamen patrés reuera non sunt, sed apparent tantùm, idq; identitate nominis duntaxat; vti patet ex quæstione Status quem Truchsesius quidã de VVetzhausen in Berussia, mouit Paulo Scalichio, qui se Michaelis cuiusdam comitis Hunnorũ filium asserebat, cùm è contrario Truchsesius ille sustineret, Paulum non illius Michaelis Comitis, sed alterius cuiusdam Michaelis Notarij Zagrobensis filium fuisse. Paulus idẽ vt ostenderet sui ortus originem Genealogiam illius Michaelis Hunnorum comitis indeab origine sic deduxit, vt primum diceret ERINGIVM genuisse Gilulphum, hũc Benedictum, Benedictum procreasse Erbonem, qui genuit Albertum. Albertus Erbonem alterum. hic Hartvvigum, qui genuit Bothonem patrem Trebalij, qui genuit Nicolaum patrem Alberni, q; genuit Albertum patrem Bartholomęi, qui Anno Christi

Anno Christi

genuit Albornum patrem Mastini, qui alterum genuit Mastinum patrem Canis Facini, qui genuit Bartholomęum patrem Sigismundi, qui genuit Nicolaum patrem Bonifacij, qui genuit Michaelem, cuius filium se asseruit Paulus ille Scalichius, idq; multis totius Europæ Iurisconsultorũ Consilijs probare nititur, sed Truchsesius ille Vvetzhusius de facto disputabat, negans eundem Michaelem comitem fuisse patrem illius Pauli: Paulus verò de Iure testimonia proferens, in Borussia coram Alberto Duce, sententiam obtinuisse dicitur. Sed quia de Duce hoc obiter mętio hic incidit, operę pretium est lectorem genealogiarũ ad xxiii. & xxxv. tabulam hinc remittam: videbit enim quomodo ex 76. progenitoribus vnico duntaxat legitimo contracto matrimonio, 32. progenitores enascantur, illis maximè considerandũ exemplũ, qui multitudine antiquorum progenitorum afficiuntur, indeq; nobilitatem suam ostendere conantur. Nunc quia xxxvi. tabulis in tertia Thesauri Principum parte Mysticam Ioseph genealogiam subiecim⁹, hanc explicantes, simulq; omnium, quæ hactenus de varietate progenitorũ dicta sunt, ad oculum demonstrates, Iosephi illius Stemma hac tabella comprehensum primùm apponere, postea paucis ordine explicare, atq; ita Paralipomena concludere statuimus.

STEM-

STEMMA IOSEPHI SVPERIORIBVS GENEALOGIIS APPLICATVM.

1397.
262.151.

THARE
filius Nachor

1439.

Nachor, cuius vxor Melcha — ABRAHAM 50.55. — Aran

242. Ismael ex ancilla Agar.56. | 242. Zamrã ex concubina Cetura 63.

BATVEL — 1468. — 53. | 55. LOTH. cũ filiabus 164.

ISAAC ex Sara vxore 60.

REBECCA vxor Isaac. — LABAN Pater Rachel vxoris Iacob. — 1501. IACOB 84.93.95. — ESAV duas vxores filias Ismaelis.

1533. RVBEN cum Concubina patris. — 1570. IOSEPH à fratribus in AEgyptum venditus. — 1534. IVDAS cum Thamar scorto in via.

SEQVITVR GENEALOGIAE SIVE Stemmatis ex Biblijs explicatio.

Anno Mundi

THARE Gen. 11. i. 1397.

THARE decimus à Noh e post diluuium (genuit enim Noh e Sem patrem Arphaxat, qui genuit Sale patrem Heber, à quo Hebræi nomen habent, qui genuit Phalech patrem Rehu, qui genuit Saruch patrem Nachor, qui genuit quem dixi Thare. hic vixit 70. annis, & genuit ABRAHAM, Nachor & Aran, qui in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum ante patrem Thare mortuus est, relicto filio Loth. Gen. 11. quem Thare vnà cum Abraham filio suo & Sarai nuru eduxit de VR Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntq; vsq; ad Haran, & habitauerunt ibi, & facti sunt dies Thare 205. anni, & mortuus est in Haran.

ABRAHAM Gene. 12. ij. 1439.

1439. ABRAHAM filius Thare & frater Nachor & Aran, est ad quem Dominus dixit: Egredere de terra tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi: faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriscq; benedictus. Itaq; egressus est Abraham, tulitque Sarai vxorem suam & Loth filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in HARAN, & egressi sunt, vt irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam, pertransierat

rat Abraham terram vsque ad locum Si- Anno
chem, vsque ad conuallem illustrem, Cha- Mundi
naneus autem erat in terra.

Genes. 13.

Habitauit Abraham in terra Chanaan, Loth verò moratus est in oppidis, quæ erãt circa Iordanem, & habitauit in Sodomis, diuisus est ab Abraham, qui mouens tabernaculum suum venit & habitauit iuxta conuallem Mãbre, quæ est Hebron, ædificauitque ibi Altare Domino.

Genes. 14.

Rex Amraphel cum alijs tribus contra regem Sodomorum, & quatuor alios inierunt bellum, & omnes concurrerunt in valle Syluestri. Rex Sodomorum cum suis terga verterunt, tulerunt LOTH & substantiam eius filium fratris Abraham, qui habitauit in Sodomis. Et ecce vnus qui euaserat nunciauit Abraham Hebræo, qui habitauit in conualle Mambre, Amorrhæorum fratris Estahol & fratris Aner, hi enim pepigerũt fœdus cum Abraham, quod cùm audiuerat Abraham captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos 318. & persecutus est eos vsque Soba & Phenicẽ, quæ est ad leuam Damasci, reduxitq; omnem substantiam, & Loth fratrem suum cũ substantia illius. Dixitq; Deus ad Abraham,

Anno Christi

Genes. 15. Ego Dominus, qui eduxi te de VR Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.

Genes. 16. 25.

Genuit autem Abraham filium ex Ancilla Agar nomine Ismael, & ex Concubina sua Cætura Zamran cum fratribus eorundem. Dixitq; de ISMAEL: hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, è regione vniuersorum fratrũ figet tabernacula. Postea immutauit pau
H. lulum Deus nomen Abrahę dicẽs. Ego sum: & pactum meum tecum: Erisque pater multarum gentium, nec vltrà vocabitur nomen tuum ABRAM, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium con-
I. stitui te. SARAI vxorem tuam non vocabis Sarai, sed SARAM. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & reges populorum orientur ex eo Gen. 18. Apparuit Abrahamo Dominus in Conualle Mãbre, & apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, & orauit pro Sodomitis & Gomorrhæis Gen. 20. profectus inde in terram AVSTRALEM, habitauitq; inter Cades & Sur. Gen. 21. Sara cõcepit & peperit filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus, vocauitque

que Abraham nomen filij sui, quem peperit ei Sara, Isaac cùm Abraham esset 100. annorum. Deinde dixit Sara marito. Eijce ancillam Agar & filium eius ISMAEL, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac Gal. 4. Anno Mundi

Gen. 23. Surrexitq; Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet HETH, dixitque ad eos, Si placet animæ vestræ audite me, & intercedite pro me apud Ephraim filium HERR, vt det mihi speluncam duplicem, quæ respiciebat Mambre, hoc est Hebron, pro digna pecunia tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.

Genes. 24.

ISAAC iij. 1468.

ISAAC filio suo dedit Abraham cuncta quæ possederat, filijs autem Concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac, dum adhuc ipse viueret ad plagam orientalem, fuerunt autē dies vitæ Abraham 175. anni, & sepelierunt eum Isaac & Ismael filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephraim filij Seor Hethæi, è regione Mambre, quam emerat à filijs Heth. ibi sepultus est ipse & Sara vxor eius Genes. 24. 25. Suscepit autem frater Abrahę Nachor ex

Melcha

Anno Mundi

Melcha filius Bathuel, qui genuit Laban filium, & Rebeccam filiam, quam duxit vxorem Isaac, cum qua genuit duos filios, primus egressus rufus erat & totus in morem pellis hispidus, vocatumque est nomen eius ESAV. Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli. Isaac amabat Esau, eò quod de venationibus illius vesceretur, & Rebecca diligebat Iacob. Hic dixit ad Esau fratrem, vende mihi primogenita tua, qui respondens ait; En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob, Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita.

Genes. 26.

IACOB iiij. 1501.

IACOB filius Isaac, ad quem Deus: Complens (inquit) iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, eò quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea; & ceremonias legesque seruauerit: mansitque pater Iacob in Geraris. Genes. 26. Postea: Nosti (inquit Iacob ad matrem Rebeccam) quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis, si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet

ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem super benedictionem. Ad quem mater: In me sit illa maledictio fili mi. Benedixitq; Isaac filio Iacob dicens: Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantia frumenti & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum, & incuruantur ante te filij matris tuæ. Deinde filio Esau benedicens dixit. In pinguedine terræ, & rore cæli desuper erit benedictio tua, vinces in gladio, & fratri tuo seruies, tempusq; veniet cùm excutias iugum eius de ceruicibus tuis. Fugit Iacob ex consilio matris ad LABAN fratrem Rebeccę, habitauitq; cum eo donec quieuerat furor Esaü, & cesserat indignatio ob prereptam illi benedictionẽ. Genes. 27. Iacob ille vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelosque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi. DILATABERIS ad orientem & occidentem & septentrionem & meridiem. Ego sum Deus Abraham patris tui & Deus Isaac. Genes. 28. Dixit Iacob ad pastores, fratres vnde estis? Qui responderunt ei de Haran, quos interrogans: Nunquid ait nostis LABAN filium NACHOR? Dixerunt nouimus. Sanus ne est, inquit? Valet inquiunt, & Ecce RACHEL

Anno Mundi

Anno Mundi

CHEL filia eius venit cum grege suo. Erat autem Rachel (cui pater Laban seruam Balã tradiderat) decora facie & venusto aspectu, Lia verò, ex qua RVBEN & IVDA nati, erat lippis oculis. Genes. 29. Dilatatus est Iacob vltra modum, & habuit greges multos, & seruos, camelos & asinos, quos in Mesopotamia acquisierat Gene. 30. Et tulit Rachel Idola patris Laban secum ignorante Iacob Gen. 31. Iacob aũt abijt in itinere quod cœperat, fueruntq; ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset ait: Castra Dei sunt hęc, & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est castra. Dixitq; Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, Domine, qui dixisti mihi, reuertere in terrã natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi, minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam expleuisti seruo tuo. Et ecce vir luctabatur cum Iacob vsque mane, qui cùm videret quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi; ait ergò. Quod nomen est tibi? Respondit Iacob. At ille, nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed ISRAEL, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis, &c. viditq;

Genes 35.

Israel

Israel Dominum facie ad faciem. Ortusque est ei statim Sol, postquam transgressus est Phanuel, illeverò claudicabat pede eòquod tetigerit neruum femoris eius vir cum eo colluctatus, & obstupuit. Rachel, quæ Gen. 29. dicitur decora facie & venusto aspectu, peperit filium Ioseph, qui pulchra quoque facie & decoro aspectu Gen. 39. tandem mortua est Rachel prę dolore postquam ob difficultatem partus periclitaretur, & sepulta in via quæ ducit Ephratam, hoc est Bethlehem, erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius. Anno Mundi

IOSEPH iiij. 1530.

IOSEPH filius Iacob & Rachel inter alios habuit duos fratres ex altera vxore Lia de qua supra dixi. Horum maior natu RVBEN, qui cũ abijsset & dormiuisset cum Bala concubina patris sui, quod patrem minimè latuit, propterea Iacob cùm benediceret filijs suis, ait: Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principiũ doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, nõ crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratũ eius, ob id ius primogenitum translatum est in fratrem illius Ioseph. IVDAS verò tres filios genuit, quorum vxor fuit THAMAR, cum

Anno Mundi

cum qua tanquam meretrice, vt in sacris appellatur literis, condormiens suscepit Pharez & Zara, de quibus, quia suprà diximus, aliùd dicere hoc loco non volui, quàm quod ex patris Iudæ & filiorum eiusdem primis literis nominum colligatur hoc nomen Ioseph, ita vt Iudas I. Oner O. Sue S. Pharez P. & Her H. ad compositionem huius nominis porrigat atq; suppeditet, quæ autem, de personа Ioséphi illius Patriarchæ dicenda sunt, hæc breuibus sequuntur hoc pacto.

MYSTICA.

1549. Deus cùm diceret Iacob patri illius quem dixi Ioseph: Descende in Aegyptum, quia magnum te faciam ibi, adiunxit; & Ioseph ponet manꝰ suas super oculos tuos. Gen. 46. Ioseph autem vidit per somnium quasi Solem & Lunam & vndecim stellas adorare se, Genes. 37. quam rem pater tantus considerans, Num ego, inquit, & mater & fratres eius adorabamus Ioseph super terram? Gen. 37. Missus est igitur Ioseph pro salute gentis suæ in AEgyptum Gen. 45. cuius omnes regiones circuiuit Genes 41. Ad quem pater Iudam misit fratrem, cui inter cæteros etiam ita benedixit, vt eum laudarent & adorarent filij patris sui Gen. 46. 49. Ioseph inde ex AEgypto in terram Hebræorum mit-

1550.

1552.

1553.

1554.

mittens, accersiuit patrem suum Act. 7. Nun cians ei, descende, ne moreris, & habitabis in terra Gessen. Vadam, inquit pater Iacob, & videbo filium meum Ioseph antequam moriar Gene. 45. Venitque in Aegyptum cum omni semine suo. 46. Quò cùm peruenisset, Ioseph ascendit obuiam patri suo, & misit manus eius super eum. Posthæc introduxit patrem suum ad Regem, constituitq; eum coram eo. Gen. 47. Rex autem: Terra, inquit, Aegypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare. Genes. 46. Dedit itaque patri & fratribus suis possessionem in optimo loco Rameses, vt præceperat Pharao. Genes. 47. Et aluit eos omnemque domum patris sui præbens cibaria singulis. Gen. 47. Cumque habitarent in illa regione Ruben ascendit cubile patris sui. Genes 35. 49. Ioseph aût pro venditione omnem congregauit pecuniam, quintam partem reseruans regi soluendam. Genes. 47. Cui à patre dictum est: En do tibi partem vnam extra fratres tuos. Genes. 48. Qui probè viderunt, quod à patre plus cunctis filijs amabatur. Genes. 37. Vnde etiam Iacob de filio langueſcens: Ioseph, inquit, hucusque non apparet. Genes. 44. Sed nunciatum est patri: Ecce Ioseph filius tuus viuit. Fiat, inquit pater, in capite Ioseph, & in vertice Nazarei inter fratres suos, rector fratrum, & stabili-

Anno Mundi	
1555.	
1556.	
	3. *Maij.*
	31. *Iulij.*
1557.	24. *Octob.*
1558.	
1559.	
	3. *April.*
	27. *Octob.*
	20. 23. & 28. *Noue.* 18. *Decem.*
1560.	
1561.	
1562.	6. *Maij.*
1563.	12. *Iunij.*

Anno Mundi mentum gentis Geneſ. 49. Eccle. 42.

FRATRES autem inuidebant Ioſeph dicentes: Nunquid rex noſter erit, aut ſubijciemur ditioni ſuæ? Gene. 37. Somnia quoque Ioſeph, & ſermones eius, inuidiæ fratrũ & odij fomentum miniſtrarunt. Geneſ. 37.

1564. 1565. 1566. Oderant igitur eum fratres odio eò maiori Gene. 37. Ità, vt procul & extraneus factus ſit Ioſeph fratribus ſuis. Geneſ. 37. Pſal. 68.

1567. Qui cùm vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos cogitauerunt illũ occidere, & mutuo loquebantur. Ecce ſomniator venit, occidamus eum Gen. 37. RVBEN autem dicebat, non, ſed proijcite illum in cyſternam, quæ eſt in ſolitudine. Geneſ. 37. Dixit IVDAS, melius eſt vt vendatur Iſmaelitis, & acquierunt fratres ſermonibus eius. Geneſ. 37.

Pag. 457. 11. Maij. FVRTIM igitur auferentes Ioſephum de terra Hebræorum Gen. 40. Fratres obtulerunt ei munera tenentes in manibus ſuis

1568. 5. Febr. 19. Febr. 14. Mar. Gen. 43. Et Iudas primus ingreſſus eſt cum fratribus ad Ioſeph Gene. 44. Qui nunquid Dei, ait, poſſumus reſiſtere voluntati? Gen. 50. Matt. 2. Et adorauerunt Ioſeph Gen. 43. Cui licet conſilium eorum non erat abſconditum Geneſ. 41. Fratribus tamen Patriarchis æmulantibus Act. 7. in ſeruum venunda

6. Maij. 14. Iunij. tus eſt Ioſeph Pſal. 104. Madianitis negotiatoribus Gene. 37. Qui vendiderunt eum Iſmaelitis

maelitis triginta argenteis Gen. 37. Fuit autem Deus cum eo, & erat in cunctis prosperè agens Gen. 39. Nã & in angustia constitutus deprecatus est fratres suos Ioseph. Gen. 42. Quem cùm non audirent, accusauit eos crimine pessimo Gene. 37. Et erat Dominus cũ eo, & cuncta opera eius dirigebat. Gen. 39.

Anno Mundi 1569. 26. *April.* 6. *Iulij.* 24. *Iulij.* 27. *Aug.*

ACCIDIT autem quòd tum etiam inter nomina Ducum in cognationibus & locis & vocabulis suis erat Dux Alua Genes. 36. 1. Par. 1. Princeps exercitus, qui emit de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat Ioseph Gen. 39. Hic duobus concaptiuis suis prædixit, vnì scilicet Pincernæ, Constitueris in gradum & officium pristinum: Alteri, nẽpe Pistori. Post tres dies auferet Pharao caput tuum Gen. 40. Fratres quoque suos Ioseph tribus diebus custodię tradidit Gene. 42. Ex quibus Beniamin auferens cyphum Ioseph, fuit lupus rapax, qui manè comedit prædam, & vesperi diuisit spolia Genes. 49. Nudauerunt Ioseph tunica talari, & polymita. Et miserunt eum in Cysternam, quę non habebat aquam Genes. 37. & descendit cum eo sapientia in foueam Sap. 10.

24. *Nouẽ.* 1570. 16. *Febr.* *Martio.* 1571. 26. *Feb.* 27 1572. 9. *Decem.* 18. *Decem.*

VBI ferrum transiuit animam eius, donec veniret verbum eius Psal. 104. Fratres interea excusantes se, Fera dixerunt pessima deuorauit eum Gen. 37. Misit autẽ Rex, & soluit eum Psal. 104. Sapientia venditum

1573. 23. *Ianua.* 12. *Maij.* 19. *Maij.*

Anno Mundi. 1574. 17 Maij. iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, & in vinculis non dereliquit illum Sap. 10. Princeps populorum dimisit eum Psal. 104. Vbi vincti Regis custodiebantur, propter nequitiam mulieris Phutiphari ibi clausum in carcere. Gen. 39.

1575. 1576. 1577. 24. Febr. 6. 7. Mart. 1578. 3. Aprilis. ELOQVIVM Domini inflammauit eum Psal. 104. Et redemit eum Dominus in brachio suo Psal. 76. Fratres quoque adorarunt eum proni Gen. 43. Fuitq; Dominus cum eo, & misertus est illius Gen. 49. & eripuit eum ex omnibus tribulationibus Act. 7. Fratrum quoque minimus frater, post liberationem adductus est ad Ioseph in Aegyptum Gen. 41. Per quem (oblitus sceleris fratrum suorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in eum) blandè & leniter eis locutus est Gen. 49. Cætera sub finem

1. Maij. 31. Aug. Thesauri Principum hac ætate in Europa viuentium lector requirat, pagina postremæ editionis 2162. cui quidem Thesauro Paralipomena hæc nostra adiunximus, præcipuasque totius Europæ Genealogias absoluimus, singulis tribus Thesauri partibus singula adijcientes (tanquam antea prætermissa) Paralipomena.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pagina.

56 *Prouerb.2.*	*Prouerb.8.*
78 *Mner*	*Muer*
83 *Brunoniam*	*Brunouiam*
193 *ammus*	*animus imperterritus*
304 *Varios*	*Varias*
384 *Genelogias*	*Genealogiæ*
384 *Honorat*	*Superat*
422 *Schralental*	*Schratental.*

BIBLIOTEKA KÓRNICKA



E

D

C

H

D

R